
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies Meditationibvs illustratæ

Paderbornæ, 1697

urn:nbn:de:hbz:466:1-62968

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 4504.
L. III
4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S

N

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITÆ SANCTORUM SACRIS per singulos anni dies MEDITATIONIBVS illustratæ.

Societatis Jesu 1722.



Cum Licentia Reverendißimi & Celsißimi Ordinarij.

PADERBORNÆ,

Sumptibus NICOLAI DAHMER.

Imprimebat DAVID HUBER.

Anno MDCLXXXXVII.

PARS I.

JANUARIUS.
FEBRUARIUS.
MARTIUS.
APRILIS.
MAIUS.
JUNIUS.

Nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis.

August. serm. 40. de Sanctis.

PRÆFATIO

PRÆFATIO AD DD. SODALES

INspice & fac secundum exemplar dicit Dominus ad omnes, & inprimis ad Te, Sodalis Parthenie, qui ceteris *exemplo* vitæ & morum prælucere peculiari ratione debes, ob regulas & leges, in quas juraſti, quando nomen Sodalitati Virgineæ dediſti. Et verò etiam *exemplo* aliis prælucebis, ſi Temetipſum *exemplari* bono conformem priùs facere per imitationem allaboraveris. Sed cui *exemplari*? non uni alicui, ſed multis, de quorum ſingulis S. Auguſtinus: *imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Clariùs: *exemplaria*, quæ aliis *exemplum* præbiturus exprimere in verbis ac factis tuis debes, tot offeruntur, quot Sancti partim jam exhibentur, partim (ſi Deo placeat) in poſterum exhibebuntur. Eorum, qui in præſenti libello proponuntur, ſemper unum, tanquam abſolutum virtutis prototypon ſeu exem-

Exodi 25. 40.

Serm. 47. de Sanctis

exemplar, ordine, quem eundem cum anni ac mensium diebus habebunt, indies *inspice*, &, quod ita *inspiciendo*, congruum statui tuo perspexeris, *fac & imitare*, adjutus ab adjunctis meditationibus, quæ cum attentione lectæ ac perpensæ intellectum tuum illustrabunt, ut, quid *faciendum* clariùs cognoscas; & voluntatem inflammabunt, ut, quod *faciendum* cognoveris, faciliùs & opere exerceas.

Vale.

JANVARIV

1.

JANUARIUS.

CIRCUMCISIO CHRISTI.

I. januarij.

Omne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine JESU CHRISTI. S. Paul. Coloss 3.

O Ut ego te exosculor, diem candidissimum! ô sidus! ô IESU Nomen! ite jam astrorum Arbitri, dicite sanè fatalem hanc mihi stellam esse, horoscopum meum esse, ab hac vitam meam, vitæ studia, mortem, omnia dependere. Rectè: quidquid igitur agam, IESU auspice, agam. Vigilabo? in oculis IESUS erit. Dormiam? IESUM somniabo. Ambulabo? comes IESUS ibit. Sedebo? latus claudet IESUS. Studebo? IESUS erudiet. Scribam? calamum cum manu IESVS ducet & IESVS IESVM scribet.

Orabo? verba IESVS formabit, animabit IESVS. Fessus ero? recreabit IESVS. Esuriam, sitiam? IESVS pascet, ille potabit. Ægrotabo? Amor aderit medicus, IESVS. Moriar? IESV immoriar meo. IESVS oculos claudet. IESV sinus mihi tumulus: tumuli inscriptio IESV nomen erit. Sed heu mihi! mi IESV! Amor meus! quid video quod si vitæ tuæ aurora tam multo cruore iam rubet, quàm largos imbres sanguinis in sero vitæ vespere dabis? ô Sol meus! Heu iterum mihi! ô MARIA, ô Cynthia mea an palles? dabis cheu! etiam tu hodie pluvias: Et ecce imbres lachrimarum ex utroque oculorum cœlo ruentes. Time peccan adolescentia, tute hanc tempestatem dedisti. Cur enim hodie jam ad sanguinem iretur nisi sceleribus tu quoq; fores obnoxia? Ecce die octavo jam sævit culter tuus verè saxeus. Sed disce ad infanda scelera, disce à cultro tuo erubescere: Disce vulnera agnoscere tua. Si nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrum est.

MEDITATIO
In Circumcisionem JEsu Christi

1. HOdie facit JESUS, quod ad mortem usq; facturus est: obedit Patri, Mariæ, Josephi. Deus

Deus obtemperat hominibus, & homines eò usque vani erunt, ut Deo, præpositorum ore præcipienti repugnent? Vel Deo parere debes, vel cupiditatibus, vel dæmoni. Elige. Ah! cùm Deus obediat legi; *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce putris obtemperare.* Bernard.

2. Elucet vel maximè humilitas obedientis Jesu, in præsepi pauper; in circumcisione habetur peccator. Deus, qui alienissimus est à peccato, sic exinanivit semetipsum, ut formam acceperit peccatoris; & ego qui in peccatis conceptus, iisq; innutritus sum, nolo peccator vocari, nolo minoris æstimari.

3. Amor JESU patet in hoc mysterio, quòd tam citò velit Salvator appellari, & suum largiri Sanguinem in amoris pignus. Hic Sanguis, hæ lachrymæ sunt verba cordis ejus, quibus promittit se passurum, & moriturum omnium hominum causâ. Hunc annum inchoa ab imitatione obedientiæ, & humilitatis JESU. Tuus sum mi Deus! in hunc annum, & in omnem vitam.

S. MACARIUS.

2 januarij.

Quærite primùm Regnum Dei & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

Hunc

Hunc MACARIUM nomine suo Alexandria, imò fallor, suo ille Alexandriam beavit. VII. annis sine cocto edulio, sine omni cibo transegit, Satur interea cœli deliciis & pius nunquam non lachrimis ebrius. Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem aggressus, calicum præsidio corpus cinxit; quos inter cum sex adeò menses nudus decertâsset, horum aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem & formidandum Tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilega Venere, &, qui in pœnam delicti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impurus. Nec in homines solùm pius, cœcum feræ nescio cujus partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuviis à grata parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: ANIME MI, NE TE IN TERRAS è CŒLO DEMITTE: IBI DEUM ET CUM DEO DEI AULAM OMNEM HABES. Viderat nimirum quandoq;, quàm multiplici dolo astuq; turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliaque ejusmodi prædicantibus verè MACARIVM, hoc est beatum ut qui Mundo tam bellè illuderet, illud re-

sponsi

sponsi dedit: caverent ne ipsis Mundus illuderet. Vivere porrò desiit, cum annum ageret centesimum; & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ Religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere.

Ex vit. PP.

MEDITATIO
De fine hominis.

1. IDeo sumus in hoc mundo, ut Deum amemus, colamus, & æternam salutem consequamur. Hoc etiam atque etiam meditare: Cultui divino, & tuæ saluti incumbendum tibi est per hunc annum, & reliquum vitæ tuæ tempus, alia quippe vel vana, vel noxia sunt. Vide, utrùm adhuc ex animo quæsieris, amaveris, & coluerís Deum: pudeat te, futilia tamdiu quæsiisse. Unus Deus quærendus est. Etenim *ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest.* Bernard.

2. Deus homini res creatas permisit, ut finem suum facilius assequeretur. Quemadmodum hominem sibi, ita cætera quæque homini creavit. Quid in rebus creatis acquiescis quasi in ultimo fine? An existimas, veram felicitatem in opibus positam esse? quid res nihili Deo anteponis? quid Dei bonis abuteris in ejus contumeliam?

3. Hoc unum deinceps amabo, quod ducit ad ultimum finem, legibus divinis parebo, virtuti incumbam.

cumbam, illecebras peccandi declinabo. Non est mihi necessaria terrena felicitas, cœlum volo. Quære à te sæpiùs, Bernardi exemplo, cur veneris in hunc mundum? An ut existimationi, commodis & voluptatibus servires? Cœlo natus es, Cœlum quære. *Ad quid venisti?*

S. GENOVEFA.

3. Januarii.

Estote parati, quia quâ nescitis horâ, filius hominis venturus est.

Matth. 24.

NON ego GENOVEFAM laudem? cùm vel parentes ejus, quòd talem genuissent, B. Germanus laudarit. Transibat hic Lutetiâ Parisiorum in Britannias, Pelagianos oppugnaturus, cum GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latére in ea ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ Religiosæ studium tenellæ suasit. At illa jam tunc annuit. Ergo mnemosynon capit nummum Cruce insignem, jubeturq; è collo suspendere, nullo dehinc muliebri Mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi Sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed sui officii

officii identidem clamitabat esse, templa frequentare. Quare fuit, cum lachrymis suis molestam & clamoribus, mater alapâ castigaret. At continuò cœca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio post à Filia, cui dederat lucem, recepit. Cæterùm hæc velo inter Virgines involuta, Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomade vinum virginitatis venenum nunquam admisit. Quoties cœlum aspexit hoc gaudiis, illa lachrymis pluere visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit & sæpiusculè salutavit per nuntios. Apud Reges Childericum, & Clodoveum tantum potuit, ut morte Virgo absolveret, quos judices damnárant. Sed parum hoc est, quando idem apud Deum potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absolvit. Quid? quod, quem abstulerat, jam imperio GENOVEFÆ, puerum Mors reddidit, ut ne deesset, qui Virginem Matrem clamaret. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De Morte.

1. MOrieris, certum est, atque à Deo statutum, Nullus hominum huic restitit

legi. Morieris. Capis hoc? propinquos, amicos, opes relinques, terra corpus teget. Non videbunt oculi, silebit lingua. Quid ita perituris adhæreo? Cur tam molliter habeo corpus, quod vermibus scatebit? Moriendum est, hoc perpende.

2. Latet me tempus, & locus obitûs. Momentum mihi præstare nequeo. Quàm multi hodie occident, quibus nunc mortis suæ non occurrit cogitatio? Si nunc temporis è vivis excedendum mihi esset, quid de me fieret? quò abirem? Quis futuræ pœnitentiæ spem fecit? Ah! quando tempus & locum mortis ignoro, ubique & semper eam præstolabor. *Quoniam ubi & te mors expectat, si sapiens fueris, ubi & eam expectabis.* Bern.

3. Peccato fui obnoxius, an Deo gratus moriar? ignoro. An futurus sit obitus ad vitam, vel ad pœnam? nescio. Ad hanc veritatem non horresco? Faciendum mihi est, ut salus mea ab omni periculo tuta sit, mihique quasi quotidie morituro vivendum. *Fac modò, qua moriens facta fuisse velis.*

S. RIGOBERTUS.

4. Januarii.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. Christus. Matth. cap. 12.

Discite, qui alienam Nobilitatem non aliter ac hæreditatem aditis, ampliùs etiam vestrâ operâ hanc condecorare; imò domi vestræ, hoc est, apud animum vestrum veram Nobilitatem quærere. Nos ea in re Doctorem ecce vobis RIGOBERTUM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit; Hanc Rhemenses Insulâ ornárunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coëgit, redituſque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro Equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multùm delectatus, teriæ tantum aliquando concessit, quantùm RIGOBERTUS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel agri lætiùs ridere, ridentibus nusquam mitiùs cœlum arridere. Aurea tempora & æternum Ver diceres. Sed filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum post dictum) sacro fonti admovit RIGOBERTUS. At Carolus ingratus, quod urbem Rhemensem dolo aggressus, non admissus esset; apertâ vi post fratrem debellatum ingressus, Pontificem

sede

sede exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumulum nocte concubia lux ingens visa, & voces è cœlo auditæ, multùm humanâ suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri, obsecro, est, quando cœlo aures claudimus?

Ex Surio

MEDITATIO
De Judicio particulari.

1. STatim post mortem totius vitæ reddenda ratio est; id credunt Christiani omnes: sed heu! quàm pauci capiunt? Scit Deus quidquid feceris, dixeris, aut cogitaveris, & horum omnium exiget rationem. Heu! ipso mortis momento sciam quid mihi futurum sit per æternitatem. Momentum terribile! hæc meditare: huc te para, *Domine memorabor justitiæ tuæ solius.* David.

2. Deus Judex est adeo perspicax, ut omnia nôrit, adeò iustus, ut cujuslibet peccati pœnas sit repetiturus, adeò potens, ut nemo sit, qui rigidioris ejus justitiæ animadversionem effugere possit. Provide rebus tuis. Quid respondebis? Quâ ratione peccatum excusabis? Ah Domine! ne delictorum meorum, sed solius infinitæ tuæ misericordiæ memineris.

3. Alius

3. Alius non erit Judex, ad quem possis provocare: vix lata erit sententia, cùm incipiet tortorũ carnificina; nihil lachrimæ, nihil gratia, nihil munera proderunt ad funesti decreti vel rescissionem, vel dilationem. Pro arbitratu meo jam meam mihi possum conficere sententiam: sim accusator, sim Judex, sim tortor meus, & nunquam imparatus ad reddendam vitæ rationem. *Quid faciam, cum venerit ad judicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Job.

S. EDUARDUS.

5. Januarii.

Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Christus Matth. 25.

EDVARDVM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit: firmavit electionem Cœlum: siquidem in Regem unctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porrò, ad quod invitum Regni Proceres traxerunt, Virginitatem copulavit pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum, Filius dici poterat summi Pontificis, ita hunc semper coluit. Tributa liberaliter remisit, postquam iis incubare custodem

custodem Orci Cerberum vidit. Jam nec ad vilis mendiculi postulata erubuit, qui membris suis captus, promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum Rege uteretur: quin mox in humeros tustulit, pium onus ad aram portavit, stipemq; divitem sanitatem addidit. Sed & cœci non nulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cum adesset, conspicuus ei ab ara benè precatus est Christus. Quidvis amore D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negasse. Hanc ille religionem præclarè obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulum Regi remisit, simul de mortis hora commonuit: quem nuntium ille toto mox regno vulgavit, quô preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cœli iter ingressus est, anno post Virginis partum M. L. XVI. & quia nullam corpus animo Virgini in vita, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem asperfit.

Ex Surio.

MEDIT.

MEDITATIO
De gloria Paradisi.

1. IN Cœlis Deo fruimur, ac simul cæteris quibuscunque. Caret hæc lachrimarum vallis deliciis, quibus redundat Cœlestis patria. Tam fluxis itaq; voluptatibus abstineamus, in quibus nunquam omnino acquiescit animus, ut potiamur cœlestibus. Deliciæ, honores, divitiæ, quàm sordetis Cœlum consideranti! Solo Deo satiatur animus. Ah Domine! *felicitas hæc acquiri potest, æstimari non potest.* August.

2. Illic erunt, quæcunque volueris; aberunt, quæcunque nolueris; nullæ lachrimæ, suspiria nulla, nulli dolores, nulla tristitia. In Cœlo merum gaudium, nullo felle permixtum. Sanè æquum est, ut tot delicias emam nonnullis laboribus. Quid enim sunt labores nostri, si cum gloriâ Paradisi, & cœlestibus bonis comparentur?

3. Sed hæc quamdiu? Tota æternitate! Hoc nôrunt Sancti. O felix æternitas? si caperent te Christiani, quid non agerent? Omnia, quæ labuntur cum tempore, indigna sunt curis nostris. Quidquid æternum est, magnum est. Unam itaq; spectemus æternitatem, & parvi faciamus bona hujus vitæ. Nam omnem omninò fugabit tristitiam cogitatio ejusmodi. *Momentaneum quod cruciat, æternum, quod delectat.*

EPI-

EPIPHANIA.

6. Januarii.

Invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. & apertis thesauris obtulerunt ei munera, Aurum Thus. & Myrrham. S. Matth. cap. 2.

Salutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes & cantus festivos, Principem suum cœlo delapsi cives, aulamque Nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed & Orcus rebellis hucusque metu jam suo venerabatur. Feræ ipsæ Dominum suum supplices agnoverant, ut jam aliud nil restaret, quàm ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum Orbis universus se componeret, tres è regnis suis excitî Magi magnis itineribus Bethlemium contendunt, Sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque ut ne aberrarent, placuit Superis ducem Stellam dare & fallere & falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum, sedulòque in Novi Regis cunabula inquisi-

tum

tum. At Herodes in regno suo alium prætet se Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinem, neces, orbásque Matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus, dolos dolis texit, &, ut noceret, amare se finxit, ut perimeret, adoraturum se hostem etiam ipse promisit. Sub hæc à Magis, sidere iterum Anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi considens Stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Extemplò ingrediuntur, Regumque Regem in throno suo, Præsepi, Sapientiam in infante, in homine Deum adorant: Addunt deinde tributa, opes peregrinas, Aurum, Thus, Myrrham. Inde viam aliam in regna avita Dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantem Herodem delusit.

Ex Hist. Evang.

MEDITATIO
In tria Regum munera.

1. OBtulerunt Jesu Myrrham in honorem sacræ ejus humanitatis. Jesus, propter suum in nos amorem, corpus, nostris simillimum assumpsit, Ut qnid non redamamus dominum, ipsíque corpora nostra non consecramus? Tuum est, amantissi-

me

me Jesu, corpus meum; ex te pendet ejus sanitas & morbus; ex te vita & mors. Me felicem! si possem tecum pati, nam tecum regnarem. *Totum me liberâsti, ut totum me possideres.* Aug.

2. Humanitati JESU accedit Regalis dignitas, ideoque aurum illi offertur. Quæ habemus bona, ea nobis dedit; iis itaque utamur ad ejus gloriam, ad altarium ornatum, & pauperum solatium. In pauperibus Deum videamus. Reges vident in præsepio infantem, pauperem illum quidem, & ab omnibus derelictum, eum tamen ut Regem, & Deum venerantur. Si pauper es, offer Jesu tuam paupertatem, donum hoc præstabit omnibus mundi Thesauris.

3. Oblato demùm Thure clariùs demonstrârunt, agnoscere se divinitatem JESU. Thus tuum sit oratio tua. Ad JESU pedes provolutus, offer suavissimo illi Puero animæ tuæ facultates. Adora, time. Sed hoc præsertim memineris, aliâ viâ Reges rediisse; pariter & tu aliam ineas vivendi rationem, & ubi viam Christi ingressus fueris, ab eâ ne decline. *Via enim immutatio, vita intelligitur mutatio.* Eus. Emil.

S. LUCIANVS.

7. Januarii.

Recedite â me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Christus. S. Matth. cap. 25

Possumus hodie ignoscere Samosatæ quando maximum probrum ingenti decore obruit, & LVCIANVM dedit, qui non jam rideret cœlum, sed & moreretur pro cœlo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, dum hæreditatem paternam jam tunc pauperum prædam feciſſet. Mox inter Cœnobitas adſcriptus & Sacerdotio initiatus, Antiochiæ ludum litterarium aperuit, Minerval pauperibus ceſſit, Libros Chriſtianos reſtituit & ſacra volumina, quæ dudum ſuperſtitio corruperat, ad Hebraæ linguæ Regulam cenſuit. Sed Maximianus non neſcius pietatem Chriſtianã non poſſe rectiùs, quàm cum Muſarum lacte, litteris, inquam, inſtillari, ad pœnas Magiſtrum tam ſancti ludi vocat; quòd tamen vel vultûs majeſtate meliora perſuadere LVCIANVS diceretur, non niſi velatis oculis huic impius Agamemnon locutus eſt. Promiſſis primò ingentibus in Martyrem pugnavit, tùm in cippũ injecit, pòſt in teſtarum fragmina. Vltimò fame longâ ad deditionem compellere eſt aggreſſus. Interea ſacrificare conſtituit LVCIANVS mirantibus; quî id fieri poſſet, diſcipulis, cùm aræ menſa abeſſet; vos inquit, in orbem me cingite & templum eri-

tis; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit, mox ad ingressos tortores, ter clamat: *Christianus sum*, & subin. de mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum saxo dexteræ appenso. Verùm truncum primò Delphin, semper hominum, sed Martyrum præcipuè amans, in litus extulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferri, brachioq; jungi visa est. Non etiam manum tam doctam pro meritis laudaremus, si ad nos Musæ manus illius stylum attulissent. *Ex Suris.*

MEDITATIO
De Inferno

1. Infernus, carcer est puniendis damnatis destinatus. Divino privari conspectu, atrocissimum supplicíorum est. Damnati cognoscent tanti Dei perfectiones, eoq, perfrui gestient, sed frustrà: Nullum amplius gaudium, voluptas nulla. Pessima conditio! quis te capere posset? Doles aut maximè cari capitis desiderio, propinqui funere, aut aliis id genus bonis amissis: & orbari te Deo, cujus non magnitudinem, leviùs feres?

2. Damnati patientur, quæcumq; fingi possunt tormenta, famem videlicet, sitim, tenebras, pœnam, spectra terrifica, ignes. Singulæ partes corporis, singulæ animi potentiæ cruciabuntur. Item

catule

catule! unius dentis dolori ferendo non es, non potes digitum cerei flammulæ vel momento admovere; quî poteris deditas sceleribus pœnas perpeti?

3. Hæc supplicia æquabunt æternitatem sine solatio, sine intermissione, sine spe. Proh Deus! si hoc verbum intelligeres *Æternum pati*, quàm tibi amaræ forent voluptates, quàm suaves afflictiones! O æternitas! Ecquis te animo volvit, quin contremiscat, Deum timeat, ac mundum contemnat? O æternitas! Momentanea delectatio æterno plectitur supplicio. Fide, aut mente caret, quem nec movet, nec ad meliora compellit æternitatis cogitatio. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Isai.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

8. Januarii.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. S. Paulus ad Rom. 2.

ANnum agenti IVSTINIANO decimũ nonum, induta Virginem Divina Sapientia amplexum tulit & osculum. Ab eo tempore omnis illi Mundus desipere, una

sapere

sapere Religio. Ad hanc cùm se recepisset; fuit, qui, cùm familiaritate (quæ ei cum LAVRENTIO intima erat) destitutum se indignè ferret, ad septa Monasterij cum totâ acie sodalium veniret: Cornu unum Citharædi, alterum armati tenebant. Sed utrumque perrupit LAVRENTIVS, captumque verbis Sodalem in sua jurare verba, manusque dare Religioni coëgit, plaudentibus utique Superis, quod jam Theseus Pirithoum suum, non ad Orcum, sed Cælum comitaretur. Post tamen LAVRENTIVS ad insulam extractus, pater pauperum & hostis superborum audiit, mirandáq; egit plurima; in ore illud crebrò habuit: EAM DIMÙM ESSE VERAM SAPIENTIAM, SCIRE DEUM OMNIA ESSE, AT NIHIL HOMINEM, & illud: CÆLO EXCLUDENDOS OMNES FORI OPULENTOS, NISI EJUS JANITORES PAUPERES PIÂ MANU CORRUMPERENT. Ego palmarium id puto: perituras Venetias fuisse pessimo Sodomorum exemplo, nisi potentior apud DEUM Abrahamo LAVRENTIVS intercessisset. Porrò moriturus plumas respuit, memor, quàm duro lectulo Christus obiisset. Tamen sine plumis in cælos evolavit anno M.CCCCX, cum justa illi homines int
Ang

Angeli persolverent, funeris dicam tibicines, an virtutis buccinatores? *Ex Suria.*

MEDITATIO
De officio hominis Christiani.

1. VErus Christianus credere debet omnia, quæ fides docet. Quàm pauci sunt igitur veri Christiani! An mortale peccatum admitterent, si penitus crederent, Deum esse, infernum, & paradisum? Sæpiùs versetur fides tua circa præcipuas ejusmodi veritates.

2 Sermo tuus sit interpres tui cordis: nihil dicere debes homine Christiano minùs dignum. Tuerisne causam JESU CHRISTI, si quando in congressibus homines impiæ, ac solutioris linguæ cum verbis appetunt? Num, qui te audit, potiùs Epicureum te, superbum, & avarum dixerit, quàm discipulum JESU CHRISTI! *Fac omnia, sicut Filius Dei, ut dignus sis eo, qui te dignatus est Filium vocare.* Bern.

3. An facta tua congruunt fidei tuæ? Ille Christianus est, qui vitâ, moribus, laboribus Christum exprimit: vana est fides bonis operibus destituta. Haud absimilis est vita tua vitæ Ethnici cujusdam, vel infidelis. An ex tuâ peccandi facilitate, & terrenorum cupiditate argui posset, credere te paradisum, & infernum esse? Nunquam tibi excidat egregium effatum S. Malachiæ; *Frustrà Christianus sum, si Christum non sequar.*

S. IVLIANVS & BASILISSA.

9. Januarii.

Gaudete, quod nomina vestra sin scripta in Cœlis. Christus. S. Luc 10.

IVLIANVS unicus Parentum clarissimor Filius, primam ætatem Musis consecravi Eæ Virgines in Clientis sui pectus amore Virginitatis cum litteris instillârunt. Sed o stitêre votis Parentes castas aures Hymen identidem pulsantes. Itaque à cælo ante p somnum armatus BASILISSAM duxit. V rùm precantes thalamo cœlestis primùm dor afflavit; mox de servando pudore p sermocinantibus, cum Matre aliisque Co tibus Christus supervenit, qui & auden bus animos addidit, & utriusque nomi Vitæ libro descripta ostendit. Ita Virgo o it BASILISSA; IVLIANVS verò etia Martyr; qui dum ad ludibrium totâ u vinctus circumducitur, CELSVS mali dicis non malus Filiolus conspicatur cu non tam inter lictorum, quàm Cœlit manus inambulare. Pedes proinde Ma

ris complexus, & Christum puer non pueriliter & ipse fassus, cum JVLIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba è flammis splendidior nimirum exit, crescitque Matre etiam Celsi ad Christum adductâ. Caput demùm omnibus sub annum Christi CCCXI aufertur. Sed neque sic locus coronæ defuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De non differenda morum emendatione

1. DEUS vult te salvum fieri. Sic enim amat omnes homines, ut nullius mortem velit, sed potius, ut omnes vitâ vivant sempiternâ. Ideo Filium suum, mandata, sacramenta, & gratiarum copiam dedit. Quantum tibi debeo, Bonitas infinita, quod mihi tot vias aperueris ad salutem! An fui tot beneficiorum memor? An iis rectè usus sum? quâ ratione incubui meæ saluti? Agnosco, Domine, tua in me beneficia, & vehementer doleo, quod iis tamdiu malè utens, repugnârim amantissimæ tuæ voluntati.

2. Salus tua ex te, in manibus tuis vita, & mors, paradisus, & infernus. Gaudes libertate, nunquam desunt gratiæ. Ah! possum meam mihi felicitatem comparare, & in manibus meis sunt sortes meæ; & ego dies salutis miserè dilapido! *Amicus Dei, si volo, ecce! nunc fio, si aliquando, cur non modo?* Aug.

3. Non vis, cùm potes; erit aliquando, cùm maximè voles, nec poteris tamen. Profectò salutem quam nihili pendis, cum volens ac lubens ab ejus viâ declines. Velles quidem hujus, & alterius vitæ deliciis potiri, Deo servire, & mundo; hoc fieri nequit. Uni saluti consulere potes, petit Deus; erit tempus, cum non poteris, nec volet Deus,

S. MARTIANUS.

10. Januarii.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. S. Joan. Ep. 1. cap. 1.

NOvit MARTIANUS maximæ Ædi Bizantii, præpositus, Orationem, quò cœlos & certiùs & citiùs peteret, alatam reddere, creberrima illi jejunia & Eleemosynas jungendo. Multus præterea in extruendis Cœnobiis templisq; fuit, monumentis, quæ ferè unica in mortali homine immortalis Deus probat Plenam, quoties foras prodivit, manum circumtulit, cum vacuâ nullũ à se inopem passus abire. Veste, quamdiu vixit, non nisi unicâ semper usus, hac etiam

cùm

cùm nulli ad manum nummi essent, se exuit, & egenum induit, sed divite lucro, quippe qui deinde, cùm seminudus pro arâ divinum cibum in populum partiretur, aureâ palàm à Cœlo veste ornari visus est, ut planè jam quæstum, quæsisse & pro paupere toga meliorem ambiisse videri possit. Noctu porrò vigil pius urbem obambulabat, vel quibus tunc etiam bene faceret, egenos, vel quos totos domi curatosq; terræ mandaret, mortuos quærens, ex quibus non pauci revixisse inter studia tam sancta memorantur, & alterum vitæ parentem MARTIANUM salutasse. Jam grassantem in templum suum, crudeliter flammam, medius ipse objecto Evangelicæ Historiæ volumine stitit, precibus domùit, lachrymis extinxit. Secundùm hæc aliaq; mira templo, quod ultimum ædificabat, & vitæ finem unà imposuit.

Ex Metaphraste apud Surium.

MEDITATIO
De Peccato.

1. Peccatum malorum omnium maximum est, cum hominem excludat à possessione summi boni, gratiam extinguat, privet hæreditate, & æternis addicat flammis. An hæc attendimus, dum committimus lethale peccatum, quod Dæmonibus

&

& damnatis tot intulit mala? Ah Domine! quid mihi factum esset, si mors oppressisset me statim post peccatum? *Justè millies damnâsses me, si voluisses; noluisti, quia amas homines, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Aug.

2. Morbi, temporum vicissitudines, ignorantia, dolor, mors, mala denique omnia ab Adami peccato dimanârunt. Si Deus tot & tam acerbas pœnas dari voluit, & etiam nunc repetat pro peccato, (ut videtur) leviſſimo; dic age, quœnam & quanta supplicia parat in alterâ vitâ? Si regnante misericordiâ tam severus est, quid futurus est, cum aderit tempus iræ, & justitiæ?

3. In memoriam revoca peccata totius vitæ tuæ, Veniam postula, & á te delictorum tuorum pœnas exige. Tu tibi conscius es, peccata commisisse æternis suppliciis digna: nescis tamen, an pœnitentiâ tuâ deleta sint. Hæc cogitatio, & humilitatem, & fremitum cuique ingenerare deberet. Statuas citiùs mori quam peccare, fuge vel umbram mortalis, aut venialis peccati. Periculosum est, quidquid Deum lædit.

S. THEODOSIVS.

11. Januarii.

Videte itaq; Fratres, quomodo cauti ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.

S. Paulus ad Ephes 5. Theo

THEODOSIUM Cappadocem antrum, ajunt incoluisse, rectiùs regiam dicerent; nam ad illud divertisse hospites primo itineris sui die tres Orientis Reges memorantur. Totus illi penus palmæ, cella fons fuit, deliciæ dactyli, herbæque & lachrymæ. Interim fuit, cùm centum & ampliùs mensas paucis panibus pasceret; aliàs, cùm Martiani hospes esset, illeque panem sibi deesse quereretur, THEODOSIUS in barba Martiani granum hærere, frumenti conspicatus; quî potes, inquit, queri, qui tot panes in barbâ circumfers? simul granum in granarium ablatum totum hoc complevit & veluti angustias hujus accusaret, extra ostia se, miraculumq; effudit. Aliàs magno Paschatis die, cum nihil in cibum suppeteret, Numen THEODOSIO mulum submisit instructissimum cibarijs; quâ re ille impulsus, semper deinde egenis duplicavit pium stipendium. Jam mortis memoriam suis impensè commendavit. Eum in finem sepulchrum quandoq; fieri jussit, interrogavitque, ecquis eo tumulari vellet: Voluit Basilius quidam, qui mox suavissimè excessit è vitâ, nec tamen in odeo sacro vel videri vel audiri delijt. Prænobilis Matronæ filio, dum inter pueriles ludos lapsus in fon-

tem

tem cadit, absens THEODOSIVS adfuit tamen spectabilis, & ne aquis mergeretur innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militū Duci vice Loricæ fuit, & victoriam peperit. Sed & tibi contra hostem intestinum victoriam spondeo, si simili utaris Loricâ.

Ex Suria.

MEDITATIO

De bono vsu temporis.

1. Nihil planè restat temporis præteriti. Quò abiêre florentes anni? quid horum superest, præter memoriam illicitarum voluptatum, quibus eos contaminásti? Heu! quasi torrens fluxit vita mea, & quasi somnium præteriit. Poteram thesauros cœlestes mihi comparare, nec comparavi. Ubi nunc amatores sæculi, quos vidisti divitiis, & voluptatibus circumfluentes? *ducunt in bonis dies suos, & in puncto temporis ad inferna descendunt.* Job.

2. Præsens tempus est in manibus nostris: eo itaque sanctiùs utamur, quàm præterito. Momentaneum quidem est tempus præsens; sed momenti grande, à quo æterna vel felicitas, vel infelicitas pendet. Hoc momentum requirit DEUS; an ipsi denegaturus es? Etiamsi forent æterna tolerandi ad DEI fruitionem, an jure conqueri posses?

3. Futurum tempus incertum est; nescis planè numerum arenularum horologij vitæ tuæ. Non potes vel unicum momentum tibi polliceri. Infœlix! quorsum

quorsum tot vana consilia? unum accipe consilium? Ne perperam abutaris concesso tibi tempore. Hunc diem, quasi supremum; hanc horam, quasi ultimam transigas. Id si sedulò quotidie feceris, nec otio, nec peccatis indulgebis. *Omnem, crede diem tibi diluxisse supremum.*

S. ARCADIVS

12. Januarii.

Si sustinebimus & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos.

S. Paulus 2. ad Tim. cap. 2.

MOre Solis Virtus hoc pulchriùs nitet, quò diutiùs latet. Testem ARCADIVM adduco. Hic sævientibus ubique terrarum in Christianos Tyrannis, sivè homo timore aliquo, sivè Christi mandato inductus posthabitis Fidei fortunis omnibus, fugâ se subduxit, & aliquamdiu latebras habitavit. Sed nimirum, ut vinceret, fugit; ex latibulis suis velut insidiis hostem expectavit. Etenim cum irruptione in domum factâ, & non reperto ARCADIO ad tribunal de amicis ejus quispiam raperetur, continuò adfuit; circumventum inexpectatò Tyrannum graviterque increpitum jussit omnes pœnas in se experi-

ri:

ri: Aciem tormentorum instrueret Tyran-
nus, ingenio etiam certaret, in auxilium
alios etiam Tyrannos evocaret, omnes in
subsidiis Carnifices constitueret: sese uni-
cum contrà omnia tormenta, etiam nudum
staturum, solâ patientiâ pugnaturum, osten
surumq; eâ dimicatione, quantum inermi
Christianus omnibus minis & tormentis ar
mato Tyranno præstaret. Desperavit jan
tum judex de victoria, & sententiam tuli
quâ manibus ac pedibus mutilari ARCADI
VS jubebatur. Hic fixis cœlo oculis inte
divinas laudes, supplicij locum magnanim
petijt, membra ad lanienam ipse nudavi
ipse singula truncanda exhibuit; itáq; sa
guinis sui purpurâ splendidus, sine pedib
ad Martyrum tamen partes transivit, si
manibus palmam cepit. S. *Zeno Ep. Veron.*

MEDITATIO
De Tolerantiâ.

1. PEccator, hac in vitâ patiendum tibi est,
patiaris in alterâ: sudoribus, lachrimis,
sanguine peccata sunt delenda. Quas calamita
infligit Deus, eæ sint remedia morborum ani
tuæ. Vis semper peccare, & nunquam pœnite
Cave, versaris in lubrico; pœnas dabis aut in h
aut in alterâ vitâ. Elige.

2.

2. Tametsi confidas, te pœnitentiæ beneficio cum Deo in gratiam rediisse, non ideo tamen lachrimis & laboribus supersedendum: Etsi revelatione constaret tibi, ut quondam Magdalenæ, tua tibi peccata remissa esse; nihilo tamen remissiùs operibus pœnitentiæ vacandum esset: & peractæ peccatorum confessioni fidis? Contremisce, semper lachrimare, cùm nescias, utrum amore Dei, an odio dignus sis.

3. Viri pij! qui ad perfectionē contenditis, etiamsi quotidie ad tertium cœlum raperemini, ut Divus Paulus, ne credatis, inutilem vobis pœnitentiam esse. Parum mihi probantur contemplationes, quæ mortificatione non condiuntur. Si JESUM ex animo amaveritis, exardescet in vobis desiderium imitandi patientiam JESU. *Secura est expectatio Beatitudinis, ubi est participatio Dominica Passionis.* S. Leo.

S. GODEFRIDVS.

13. Januarii.

Secundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum, ut & ipsi in omni conversatione sancti sitis. S. Petrus 1. ep. c. 1.

Duxit GODEFRIDVS Cappenbergensis Comes genus suum è Regio sanguine. Prædantium suorum militum licentiam, si quisquam

quiſquam alius, frænavit, gnarus militum prædam Ducis eſſe furtum. Arcem ſuam in Cœnobium vertit, & D. Norberti familiæ tranſcripſit, cum omnibus fortunis, quibus præclarum Auctarium unà cum fratre Ottone ipſe acceſſit. Viderunt hoc multò antè in ſomnis illi, qui de Cappenbergenſi arce vel columnam flammantem, vel Civitatem nive nitidiorem in cœlum viderunt aſſurgere. Et verò multa, quò moram tam ſanctis conſiliis inijceret, molitus eſt cognatus ſanguis, nunquam non Deo hæreditatem invidens; ſed ille, uti alia humana omnia ita hæc etiam inſuper habuit, conjugeque inter ſanctimoniales relatâ, Norberti inſtitutum avidiſſimè arripuit. In hoc acerrimus ſui hoſtis & glorioſiſſimus Victor, vix quicquam cibi ſumere eſt viſus, tantùm lachrymis inebriari. Cæli cupidiſſimus miſſionem corporis accepit anno M C. XXXVI. cùm ei moriturus illa audiſſet: *exite obviam ei*, & ventrùm nientem è cœlo comitatum amiciſſimè ſalvere juſſiſſet. Secundùm mortem Nepti ſuæ multâ luce veſtitum & coronâ conſpicuum ſe oſtendit, quæ illa legentibus loquebatur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis & tanquam ſponſam decoravit me coronâ*, Pulchrè certè honorum cupid

cupidos alta conscendere GODEFRIDVS docet, Comitem abjecit, ut Rex esset,

Ex Surio.

MEDITATIO
De Sanctitate, quam DEVS à nobis exposcit.

Hæc est Voluntas DEI Sanctificatio vestra: Ad hunc finem DEUS & homines creavit, & carnem assumpsit. Patet cuique via, cuique datur gratia ad sanctitatem. Age verò, an cupis, ex animo fieri sanctus? Si velis, fies, salus tua gloriæ & felicitati divinæ nihil planè addit: Tua solius interest. Quid ad hoc usque tempus fecisti, & quid facturus es ad tuam sanctificationem?

2. Non vult Deus, unâ eâdemq; ratione omnes saluti ut incumbant Sexcentis viis itur ad æternam Gloriam. Sunt sancti cujuslibet conditionis. Vide quodnam vitæ genus complexus fueris, ut illius consequaris perfectionem, hanc enim à te exposcit. Alia est vita solitarij, alia mundani. Attende vutrùm sanctos imiteris, qui idem vitæ institutum senuerunt.

3. Qui quærit, & arripit occasiones patiendi in vivendi genere, quod elegit, is nactus est compendiariam viam ad apicem perfectionis; occasiones autem ejusmodi neminem deficiunt. An iis uteris? in morem geris Domino, secretiori voce te vocanti? Tyrannos vicère primigenij Christiani, &

neglectis suppliciis ad sanctitatis coronâ pervenêre
Dimicârunt Patres nostri contra asperrimos dolores, n
è contrario dimicemus contrà mollissimas voluptates Eu

S. FELIX.

14. januarij.

Qua est enim vita vestra? vapo
est, ad modicum parens. S. Iacob.

FELICI Nolano cum Fratre Germa
ita convênit, ut ignobilior hæredita
portio, id est Terra Fratri, melior ver
hoc est Cœlum FELICI cederet, ut q
Christo militaret, Germano Imperatoris
stra sequente. Ita divisis vitæ studiis FEL
sacris est initiatus. Ob fidem deinde in vi
cula conjectus ab impiis, sed exemptus
Angelo, jussus est emeritum Præsulem Ma
imum quærere. Eum in eremo repertu
semianimem precibus primô, dein uv
quas de spinis legerat, recreatum domu
suam deportavit. Hinc cum denuò hos
ei immineren, obcœcati divinitùs, qu
auribus suis loquentem audierant, aper
oculis non viderunt. Fugientem porrò
intra geminarum ædium parietinas abd
tem sese, improviso opere suo aranea te
& fu

& fuit tam tenuis tela propugnaculum tunc FELICI. Hic Cælitum manu pastus VI. menses, & alloquio divino dignus, Insulâ etiam esset ornatus, nisi id dignitatis ex innatâ animi demissione in alium ipse transtulisset, quòd eum septem diebus ante se sacris initiatum diceret. Obiit tandem FELIX feliciter, tumulumq; Templum est nactus; quod cùm augustius postea D. Paulinus reddere laboraret, solique rusticani duo ædes suas transcribere negarent, ecce tibi! ignis nocturnus tecta rusticorum depastus amplissimam aream descripsit. Neque hoc solùm, sed & aliis deinceps miraculis FELIX luxit.

Ex Surio

MEDITATIO
De lectione piorum Librorum.

1. EVangelium, & pij libri jure lumen Mundi dici possunt, quo nimirum lumine illustratus intellectus salutiferas æternæ vitæ veritates intuetur. Enim verò piorum librorum lectione cognoscimus Dei bonitatem, malitiam peccati, pœnitentiæ necessitatem, & ea demum omnia, quæ ad salutem necessaria sunt. Ah! si daremus operam, ut mens nostra tam salutari lumine frequentiùs illustraretur, si sæpiùs, & attentiùs libros pios legeremus. Sanè minoris terram, pluris verò Cælum æstima-remus.

2. Cùm hoc lumen intellectum illuminat, excitat etiam voluntatem; Hoc enim interest pios inter & profanos libros, quòd hi quidem sterilem aliquam lucem menti præbeant; illi verò & mentē illuminent, & pectus sacris ardoribus accendant, quod videre licet in Sanctis, Hilario, Augustino, & Ignatio, quorum primus conversus est lectione Evangelij; alter Sancti Pauli; tertius vitæ Sanctorum. Nescis, an velit Deus, ut prædestinationi tuæ gratia pendeat à lectione pij alicujus libri.

3. Cùm pium librum legis, persuasum tibi sit (inquit Augustinus) verba libri hujus esse verbi Dei, qui vult, ut ea, quæ legis, & intelligere, & ad usum revocare studeas. Oportet, ut egregiam semper aliquam sententiam memoriâ retineas, ut eam interdum in die, in animo volvere, & regustare possis; sed cura potissimùm, ut praxis lectionem sequatur. *Sit tibi assidua lectio, vel oratio, nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum.* Cyprian.

S. PAULUS.

15. Januarii.

Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Christus Lu.

PAVLVS Thæbæus XV. annorum adolescens plùs Decium quàm eremū hor

ruit:

ruit. Certè hoc unum imprudens Decius boni fecit, quòd ex Christianis Eremicolas fecit. Eos inter deinceps PAVLVS perhibetur, cui in centesimum usque annum ac decimum spelunca tectum, una eademq; arbor Palma & victum & vestem dedit. Annus agebatur Christianus CCCXXXIV. cùm ad eum divino jussu visit Antonius, atque tunc prudens dispensator Corvus, qui annos jam LX. dimensum suum PAVLO quotidie afferre assolebat panem dimidiũ, hospitis memor duplicavit annonam. Secundum hæc, cùm, ita monente PAULO, vestem sepulturæ allatum iret Antonius, priusquam rediret, abire inter Cælites in Cælos amicum videt; reperitq; genibus humi adhuc fixum, passisque brachiis omnino oranti similem. Cùm ultimum proinde officium mortuo præstaret, in eo socios duos Leones habuit, qui sepulchrũ egestâ humo paravunt, & mœrenti Antonio crebro moestoque rugitu & ipsi adgemuerunt. Hinc domum revertit nimium quantũ gaudens spoliis opimis, hoc est tunicâ PAVLI è foliis palmæ concinnatâ. Certè non nisi maximis quibusque diebus festis in ea visus est superbire, ut ego minùs jam miror ab Hie-

ronymo eam palmatæ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illa magnus Antonius triumphavit. Ex S. Hieron.

MEDITATIO
In vitam Sancti Pauli.

1. S. Paulus, declinans occasiones peccandi, fu git in solitudinem, cùm animadvertit, fid & castitatem Christianorum, deliciis oppugnar Si amas hanc virtutem, si tibi cordi est flos cast tatis, fuge occasionem. *Ecce hostem! quem fugis vicisse est.* Eusеb. Emiss.

2. Ad tempus duntaxat statuerat Paulus, se solitudine mansurum; verùm illum Deus tot de ciis cumulavit, ut mundum & voluptates æterni valere jusserit. Quid timetis ignavi? vocat De vult vos mundi vinculis expediri: probate, expe mini, quàm jucundum sit Deo penitùs commit re sese. Vix benè cœperitis, cùm fugient om difficultates? imò purioribus deliciis affluetis, n *Omni homini converso non subtrahuntur delicia, mutantur.* Aug.

3. In hac solitudine annos 80 perseveravit, ullum viderit hominem, præter S. Antonium, divino ductus spiritu eum invisit. igneſcis tu q initio, sed igne stramineo, qui protinùs extingu Macte, perge, tanti est Deus, tanti est æterni ut in cœptâ virtutis viâ constanter ingrediaris, *cuis Deus tempus laboris exiguum, remunerationi mensum.* Eusеb. Emiss.

S. Fu

S. FVRSEVS.

16 Januarii.

Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. S. Ioan. 1. Epist. cap. 2.

EX Anglia FVRSEVM accivimus. Iuventa ejus prodigiis plena reliquæ vitæ prælusit, post hanc à Musis transiit ad Monachos: mox Doctor sanctioris vitæ & Cœnobii conditor, in quod passim victos oratione sua à mundo abstraxit. Interea sub Annum D. CXLIV. semel iterumque animo è mortali corpore exiit; ductoribus Angelis bonis, qui vel ignea malorum tela clypeo excipiebant, vel quas de minimis etiam vitæ noxis adversarii nectebant accusationes, diluebant. Iam verò è cœli specula orbem contemplatus, cum à quatergemina scelerũ flamma (perfidiam, rerum fluxarum cupiditatem, discordiam, atque in miseros crudelitatem Angeli dicebant) ardêre omnem didicisset, cùm à cœlestibus Choraulis levem omnem laborem, quantumvis ma-

gnum, omne tempus quantumvis longum ad æternitatem breve esse audiisset; à bini è numero Divorum Præsulibus jussus est ad corpus redire, & flagitiosos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Cœlitum Societate avelli, præsertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus, toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cœlumque orationi suâ depinxit, annosque porrò XII. scelerati in viâ reducendis impendit. Post hæc, cùm Romam pietatis causâ contenderet, priùs vitam quàm viam emensus est. Integritatis testimonium de mortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno & ipsum integrum. Animus illuc ivit, quò assuevérat jam ire.

Ex Surio.

MEDITATIO
De mundi depravatione.

1. IN mundo primas habet vanitas. Quisque studet, aliis præcellere in verbis, factis, ædibus, vestimentis: Eademque vanitas nonnunquam corrumpit sanctiora pietatis officia. O sæculum! quam tâ tumescis superbiâ! liquidò patet, te Dæmoni superborum parenti obsequium præstare, & à placitis JESU CHRISTI penitùs abhorrere. Quî fieri potest, ut is honores sitiat, qui opprobria nascentis, & morientis JESU consideraverit? 2.

2. Voluptas tam commune vitium est, ut artiũ penè omnium finis videatur: trahit quemlibet sexum, & quodlibet hominum genus. Qua ratione malum tam latè patens vitabis? fugâ duntaxat. Recede ab urbe Sodomâ, ne communi pereas incendio: si tamen mundi vinculis expedire te non possis, palàm profitêre, te hostem esse deliciarum ac voluptatum ejus.

3. Insatiabilis habendi cupiditas est mundi tyrannus, diu noctûque ejus explemus mandata. Oblectamentis, famæ, sanitati, saluti divitias plerùmque anteponimus. Quid multa? Aurum Deus est mundi, tametsi dixerit Christus: Beatos pauperes esse. Ut cœlestibus bonis potiaris, terrena relinquas, affectu certè, si minùs effectù. *Quæ mundus appetit, Crucem novisse: & illis, quæ crucem mundus reputat, toto amore inhæreas.* Bern.

S. ANTONIUS ABBAS.

17. Januarii.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in Cælo, & veni, & sequere me. Christus: Matth. cap. 19.

Ægyp-

ÆGyptius erat ANTONIUS, & domi sua nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex asse pauperes hæredes scribit subinde victoriis adversus hominũ hostes ma los genios nobilitatus; ab iis plagis aliquan do pessimè acceptus, dum IESVM suum fa miliariùs deinde rogat, ubi id temporis fu isset: adfuisse spectatorem pugnæ audit Tam propè à DEO absumus, etiam cùm longè abesse nos putamus. Aliàs dum mun dum æquioribus animi oculis arbitratur, ream esse aucupis videt laqueis undique ob tectam: scire percupidus, quis hos effugere responsum accipit, qui animo demisso esse Subinde Martyrum pugnis cùm Actor ad esse non posset, spectator adfuit & hortato judicijq; sæpe in veste candida obvius mo tem nequicquam ambiit, Eremo pugile sibi deposcente. Illic cùm ageret, à Con stantio filiisque Imperatoribus persæpè li teris salutatus, vicissim eos officii sui con monefecit, & à suo ad divinum tribun crebrò jussit advertere. Natus annos C. V. ista suis suggessit documenta: Vivere quotidie morituri, quotidie melioris ani proposita novarent, IESVM assiduè suspi rent, hoc nomine clypeo in hostem u

rent

rentur, hæreticorum familiaritatem fugiendo effugerent. Sub hæc mortuus anno à partu Virginis CCCLVIII, vitæ præconem magnum Athanasium habuit, uti & hæredem pallioli sui laceri quidem & detriti, sed quod virtutem sciret tegere. Exs. *Athanas.*

MEDITATIO
In vitam S. Antonii.

1. ANtonius fugit, & aspernatur mundum, ut vocantem Deum sequatur, generosè quidem ille, omninò, sine morâ, atque in ipso ætatis flore. Quoties audivisti ea ipsa verba, quæ traduxerunt Antonium ad perfectiorem vivendi rationem? Quoties secretiorem Domini vocem intellexisti? obdurâsti cor tuum. Manes in sæculo: amas sæculum, quod te curis, & anxietatibus tam malè habet: *Turbat me mundus, & ego eum diligo: quid si non turbaret?* Aug.

2. Mundus sequitur Antonium, in eremum fugientem, voluptatum, divitiarum, honorum adhibet illecebras, utitur blanditiis, minis, illusionibus, tormentis ut extrudat eum ex solitudine: sed qui mundum in mundo vicerat, eundem in eremo facilius superavit. Humilitate, Oratione, Austeritate, Invocatione JESU tentationes quasque debellavit. Cave, ubique tentationes, ubique Dæmon, ubique Caro.

3. Par pari mundo referre voluit Antonius; ve
nerat in solitudinem adversarius, ut eum aggrede
retur; Sanctus vicissim in ejus castra irrupit, in
mundum quippe ad tempus rediit, ut martyribu
animos faceret, & nutantes in fide Christianos con
firmaret. Viri pij! solitudo, & suavitas oration
nonnunquam relinquenda est animarum causâ, u
exemplo S. Antonii cùm verbis, tum factis adver
sus mundum depugnetis.

S. PRISCA VIRGO ET MARTYR.

18 januarij.

*Nolite timere eos, qui occidunt cor
pus, animam autem non possun
occidere: potiùs timete eum, qu
potest & animam & corpus per
dere in gehennâ.* Christ. Mat. 10.

Etiam ab imbelli columba suam exa
mari ferociam doluit Claudius Tyran
nus; eoque vehementiùs, quòd annis & ar
mis potens, hostem nactus esset fortitudin
& constantiâ superiorem. Nunquam turpi
ùs cecidit, quàm quando cum inermi im
paribus armis certavit. Fuit furoris eju
scopus

scopus Adolescentula Prisca, non minùs prisco avorum sanguine, quàm novo pugnæ genere illustris. Iam decimo tertio ætatis anno in aciem pro Christiana libertate ausa est descendere. Nemo huic duplicem Virginitatis & Martyrii lauream invideat: Nam & Lenones, qui castitati; & Leones, qui corpori nocere poterant, devicit. Tum maximè se Nobilem professa, quando fictitio Apollini Thus adolere jussa, se Christi sponsam asseruit: sed non tulit impunè os, veritatem dixisse; mox colaphis dirùm fœdatum in carceris tenebris conticescere cogitur; nec solũ os luit, sed & reliqua membra in pœnarum societatem vocantur: quæ ferventi adipe laridoque, tanquam ceromate ad Agonem, peruncta leoni dilaceranda objiciuntur: sed hic Imperatore humanior ambisse castas plantas contentus, ponit feociam. Inde triduanâ inediâ emaciata vires non amisit; imò fortiores advertit, dum in equuleo extenderetur, licet etiam ungulæ terreiq; pectines in eam suos exercerent furores. Iam etiam flammæ parcunt: Stetit ò glorioſior Virgo, quò pluribus rogis cosisca suam mundo declaravit innocentiam. andem quamvis ætate tenera, cælo tamen natura, Tyranni ferro Christo cadit victima.

MEDITATIO

De bono, & malo timore.

1. HOmines non sunt timendi, quoniam nocere animæ nequaquam possunt: Corpus quidem doloribus afficient, sed levioribus & brevioribus; eos tamen magis times, quàm Deum, nempe potentem quempiam verbis aut facto exasperare, & coram alicujus nominis viro inurbanitatis argui, omninò te puderet; non pudet tamen Deum quotidie offendere verbis, factis, cogitationibus. Ubi ratio, ubi fides tua?

2. Tolerantias, morbos, paupertatem, tristitiam, dolores, ac cætera vitæ præsentis mala refugimidas. Quid nocent afflictiones? A rebus creatis segregant, corpus debilitantes animæ rumpunt vinacula, mœstam exilii conditionem indicantes, cælestis patriæ cupiditatem accendunt. Ah! non hujus, sed futuræ vitæ labores sunt timendi.

3. Times dedecus, calumniam, abjectionem, sæpenumerò, ut incolumem famam tuearis, per amicitiam JESU. An nescis miser, verum honorem in virtute positum esse? Quid refert, utrùm ab hominibus æstimeris, nec ne, modò æstimet, & remuneretur te Deus. O cæcitas stupenda! *majora sint Imperatorum placita, quàm Christi, timemus, Evangelium contemnimus.* Hieron.

S. Au

S. ABUNDANTIA.

19. Januarii.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.
S. Ioan. Ep. 1. cap. 5.

SAtis laudasse ABVNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære Campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cùm sacro fonte tingeretur, dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ & infanti lucem, & urbi infantem gratulatæ esse, ipsaq; ABUNDANTIA jam tunc in innocentis fœminæ patrocinium (adulterii rea agebatur) fuisse facunda. Iam octennem ferunt ab icone Pueruli IESV, MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod manu fortè pictum gestabat, petiisse, & adeò impetrasse; ἀντίδωρον deinde flores (ab hyeme donatos) eidem attulisse, & ut acciperet, persuasisse. Sed hucusque cælum cum puella lusit; quæ dicam, severiora sunt. Itaque memorant cum Majolo Abbate matreq; Jerosolymam inijsse, cùm cætera Christi ve-

stigia

stigia, tum illa potissimùm venerabundam exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis fessus obviam MATREM habuit, heu! alteram tunc oculis suis crucem; hìc lachrimis diffluere voluisse ABVNDANTIAM; hìc flagris ita in sese sæviisse, ut sicut oculi in fontem, ita sanguis fusus in rivos abire videretur. Abhinc Angelo Duce in antrum Onuphrii deveniisse, illicque fæminam viri vitam vixisse. Ad extremum repertam à patre reductamq; in patriam, omnem, hoc mortuo, hæreditatem egenis cessisse, mortuam deinde etiam ipsam pro funere ab Angelis laudatam cantu fuisse. Ex Ferrar.

MEDITATIO
De constantiâ in piè susceptis.

1. AD finem usque constanter perseveret, qui mercedem sperat laborum suorum: Dominus non mutatur, dedecet servos mutari. An non æquum est, ad brevissimum vitæ tempus ejus non esse, qui noster futurus est totâ æternitate? virtus hæc parùm placet Deo, quæ augetur vel minuitur pro nostrâ levitate.

2. Nihil planè suscipias, nec ad gloriam quidem divinam, quin priùs, quid inde sequi possit, diligenter prævideris; Ubi verò quidpiam susceperis ad Dei gloriam, continuò spretis difficultatibus susceptum

ceptum perfice. Martyres nullis unquam cruciatibus a Christianâ fide potuêre dimoveri. Sancti in pœnitentiæ laboribus perseverârunt, carne reluctante, & Dæmone tentationes plurimas immittente.

3. Augendarum fortunarū occasio si detur, protinus, & quovis periculo arripitur: deficit animus, si Dei cultus augendus sit. Nunquam planè defatigaremur in via virtutis; si vitæ brevitatem & incertum finem, suppliciorum atrocitatem, & præmiorum magnitudinem spectaremus. Excitemus languentem, & socordē animum id genus stimulis. *Mercenarius, quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione.* Greg.

S. SEBASTIANVS.

20. Januarii.

Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Christus. Matth. cap. 7.

ANno post CHRISTVM natum LXXXVI. supra CC. Marcus & Marcellianus Christiani milites ad defectionem vehemen-

ter à parentibus sollicitabantur: enimvero
interponere se hîc Tribunus SEBASTIA
NVS, turpemq; à tam sanctis castris fugam
omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælum
applausit, pinmque oratorem lumine su
vestiit, simul vox insonuit ejuscemodi: nu
quam non mecum eris. Ab eo tempore non ja
fictum Æsculapium Romani habuerunt
Ita omnes morbos pellere SEBASTIANV
ita doctè, dum corpori medicinam facer
animum quoque morbidorum ad sanam
dem adducere. Inter hos cùm jam urbi
am præfectus numeraretur, Imperio Dioc
tiani malè sani medicum suum sagittis c
fodiunt, confossum & propè exanimem
gligunt. Sed qui SEBASTIANI manu
rare alios voluit, suâ SEBASTIANVM
possit? imò verò adest ille incolumis, &
aspectum Tyranni iterum se sistit: mox
men inter fustuarium fortem animam
pirat, corpusque in cloacas abjectum L
næ tumulandum committit. *Hæc ex S*
Cæterùm ejus cranio hodie Eberspergæ
jorum gloriarur magnâ semper illuc con
entium Religione, longè tamen majori
cedentium, ubi votorum damnati
sunt, lætitiâ.

MEI

MEDITATIO

De Beatorum paucitate.

1. PAuci sunt electi. Ethnici, Idololatræ, Hæretici, Schismatici funditùs pereunt, tot insuper sunt barbari homines, ad quos nondum pervênit Evangelij lumen. Hos inter infideles si natus fuisses, quodnam tenuisses vitæ genus? Quanta tibi debeo, Deus amantissime, quòd ex Christianis parentibus ortum me volueris? At gravius me manet supplicium, si malè concessis luminibus usus fuero.

2. Tot sunt mali Christiani, tot impij, tot solutioris vitæ amantes, qui nunquam Deum videbunt. O te miserum! eorum si fueris imitatus pravitatem: quos etenim in vitiis, eos in supplicijs comitabere. Precibus, pijs sermonibus, bonis exemplis consule eorum saluti. Ne superbias: in eorum quippe vitia præceps rueres, si tuæ ipsius infirmitati te permitteret Deus.

3. Effrenatam fortè, aut impiam vitam non ducis, sed vivis, ut unus de vulgo Christianorũ. Cave; nam sequi debes pusillum gregem, per angustam portam ingredientem. Noli vitam tuam instituere ex mundanorum exemplo, aut ex pravâ consuetudine; sed ex Evangelio Christi, ratione, ac Sanctorum exemplis, quia in mundo nunc *consensêre jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum factum est*, Cyprian.

S. AGNES V. & M.

21. Januarii.

Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit se. Apoc. 9.

AGNES è prima Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem, sanguinis sui purpurâ pin xit. Nam Agno dudum nupta, dum obla tum à filio Vrbi Præfecti thalamum long repudiat, vestibus spoliata in lustrum abri pitur; sed mox ab Angelo bono, divinâ luc contra impuros armatur, & veste de cæl datâ ornatur. Irrumpentem exinde, de qu dixeramus, CHRISTI rivalem, ideòque malo dæmone suffocatum, virâ iterum do nat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur sed quas ad preces virginis cælestis ros illic extinxit. Gladio denique trajicitur nov urbis Romæ (sed virgo, at non latro) Lu cretia. Porrò dum Emerentiana Virgo a AGNETIS tumulum precatur, lapidibu obruta, suoque lustrata sanguine (nam fo

te sacro non erat) à Parentibus AGNETIS propè Filiam conditur; quibus non multò post inter candidarum Virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit, vetuitque deinceps mœrere, & tam felicem thalamum, quem optimè nupta inscendisset, lachrimis aspergere.

Ex S. Ambr. & Brev. Rom.

MEDITATIO

In vitam S. Agnetis.

1. ANnum agens duodecimum, vitam, castitatem, corpus, & animum JESU consecravit. Quàm amabilem! quàm speciosum! quàm sapientem! quàm potentem! quàm ardenter redamantem sponsum elegit. Te totum illi trade, & amoris illius gustabis suavitatem. O JESU, ô Sponse animæ meæ! si te noscerent homines, neglectis terrenis quibusque te solum amarent. *Amo te Domine, & si parum est, amem validiùs, amem puriùs.* August.

2. Repetitis minis ad nubendum filio præfecti Romani cogitur, sed, *Iam pridem* (inquit) *desponsata sum Christo.* In mediis ignibus ejus in Deum amor accenditur magis, & vulneribus fit pulchrior ac similior Cælesti sponso. Quâ custodiâ servas corpus, & animum tuum amantissimo JESU? Quid pateris? te ipse cum Agnete compara: & pudeat te, ignaviorem esse Virgine duodecim annorum.

Viribus quidem erat inferior, at animo superior, & ejus tum fides, tum charitas major.

3. Amplioris fortunæ promissis allicitur ad nup tias; sed ut suppliciis, sic lenociniis resistit. Quàm pauci delitiis, muneribus, blanditiis non vincuntur! Cave, voluptas venenum suave est. *Malum omni facilius vincitur, quàm voluptas; quia illud quidquid horridum est, hoc blandum est.* Cyprian.

S. ANASTASIVS

22. Januarii.

Spe gaudentes, in tribulatione pa tientes, orationi instantes.

S. Paulus ad Rom. 12.

OPima spolia abstulisse in Persiam Chosroas putavit, cùm Crucem S. a stulit, sed nimirum quæ Persiam spoliaren Sanè, multorum fides nostra in animu simul Crux in oculos venit, interque e ANASTASII celebris magi filij, qui, cù de Cruce Crucisque anathemate multa c rioscè quæreret, jam tum gestiebat mag pati pro maxima patiente Christo. Itaq sanctissimus transfuga Jerosolymæ Chris num, mox Monachum induit: nullâ re delectatus, uti res fortiter à Divis gestas

gen

gendo, Martyribus præsertim, quibus ille tot palmas Tyro invidebat, & interea, cùm sanguinem nondum posset, lachrymas ubertim fundebat. Vt primùm ergò in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem lacessens. Igitur ad latomias damnatus, saxa tulit, dein verbera; at ille supinus membra etiam nuda lubens pulsanda præbuit, modò vestibus sanctis parcerent. Tanti ille jam tunc fecit cucullum, quem heri natus, ridet hodie hæreticus; Cæterùm collum pedemq; communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus, dies noctesq; velut Hilaria inter cantus solennes traduxit, ut jam ad se Cœlites etiam raperet, pontificali majestate, & insolito splendore insignes, quos inter visus est unus aliquis odoribus (Ah! qualibus?) Martyrem venerari. Igitur post altera virgarum clavæque verbera, post tibias fractas aliáq; supplicia tandem cum XL. sociis, Martyrum torque, laqueo est donatus. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De triplici causâ patiendi.

1. IN hac miseriarum valle pati debemus, utpote cum homines simus ad laborem nati, Corpus

& animam nostrã multa circumveniunt incommo da. Corpus quidem infirmitatibus obnoxium est anima vel ò ignorantiæ, & affectibus immoderati Quo animo pateris vitæ præsentis incommoda Num moroso? num iniquo? Memineris hominem te esse. *Homo natus ad laborem.* Job.

2. Peccator es, quid igitur infl[i]ctos à divin Justitiâ labores detrectas? Ah! quàm jucundi runt dolores illi, si reputaveris, te tuis criminib infernum meritum fuisse. Unicum laboris momen tum æternas flammas extinguit. Ah Domine! H *ure, hìc seca, modò in æternum parcas.* August.

3. Christianus es, debes igitur vivere vita Christi, & adimplere in corpore tuo ea, quæ d sunt, passionum ejus: ea necessitas in baptismo im ponitur tibi: Si diligenter ad eam patiendi lege attenderes, æquiori animo hujus vitæ mala toler res.: decet Christianum, æquo ac alacri animo o mnia perpeti.

S. JOAN. ELEEMOS:

23. Januarii.

Quicunq; potum dederit uni ex m nimis istis Calicem aquæ frigid tantùm in nomine discipuli: A men dico vobis, non perdet mercedem suam. Christus, Matth. cap. 10.

Cùm Annum ageret XV. IOANNES, Misericordia divina manifestâ in luce Sponsam se ei obtulit. Annuit continuò. Et ratum conjugium Superi habuerunt, dotémq; addiderunt tam opulentam, ut semper deinde haberet, quod in egenos effunderet. Archiepiscopus jam Alexandrinus lustrum egit clientum suorum, hoc est, pauperum, numeravitq; septies mille, & quinquaginta, quibus omnibus deinceps in singulos dies victũ submini strravit. Sed nec ulli alii piam manũ unquam subduxit; ut meritò id certaminis cum DEO suscepisse sit visus, plúsne hic dare, an reddere ille posset. Munificentiam vel ex eo vide, quòd ultimùm ægrotanti unicus super teruncius fuerit, vix naulum morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse ingenuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille, & hæc decies millies & ampliùs aucta dilapidâsse in pauperes gloriatur. Anno igitur DXCII. è corporis ergastulo in palatium abiit, quod piæ ipsius munificentiæ structum in Cælo Troilus vidit. & verò invidit postea; cùm tam bonæ prodigalitatis æmulus est factus. Venienti obviam IOANNI sua á cœlo sponsa processit cœlestis aulæ cubiculario comitata, ma-

nùque peramanter prehensum ad DEI conspectum deduxit. Ipse IOANNES nec mortuus sibi dissimilis, oleo, quod è tumulo suo dedit, in miseros mitis esse pertexit.

Ex Surio.

MEDITATIO
De charitate in pauperes.

1. SI Deus mercedem ei promittat, qui *Calicem aqua frigidæ* dederit, quàm mercedem daturus est iis, qui largiori manu stipem pauperibus erogârint, & fratrum suorum, tum animi, tum corporis necessitatibus servierint. Quot occasiones dimittimus aliis benignè faciendi? Cùm aderit decretorius dies, Deus repetet rationem harum occasionum. Salus videtur à misericordiâ vel immisericordiâ omninò pendere. *In judicio Deus Abraham obedientiam, ceteraságz virtutes silet, & solùm clamat, quod comedit pauper.* Chrysostom.

2. Quidquid boni, aut mali proximo, Christo fecisti. Omnes Christiani Corpus unum sunt, cujus caput est Christus: membrum qui ferit, ferit & caput. O te felicem! Si potum, aut vestimentum dares Christo, hæc omnia præstas, in pauperes beneficus.

3. Quâ ratione judicaverimus alios, eâ prorsus judicabimur; dabitur, si dederimus; ignoscetur, si ignoverimus. In nos itaque redundat bonum & malum: Sed quàm turpe est (ait August.) homi-

nes

nes ab hominibus malè haberi, perinde quasi læviùs cruciaretur â tot, & tam variis rebus creatis.

S. TIMOTHEVS EPISCOPVS.

24. Januarii.

Insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ. S. Paul. ad Tim. 2. Ep. c. 4.

HAbuit Timotheus Patriam Lycaoniam, Patrem Gentilem, Matrem Iudæam, Magistrum in lege Christianâ Paulum Apostolum: Cujus in Evangelio adjutor, hæres Zeli, & virtutum tanti viri religiosus imitator. Lystris postquam Paulus Claudum in pedes erexit, Timotheum peperit Christo. In eo Ingenium & virtus certârunt ita, ut utriqúe palma obveniret. Ob quæ decora cum Apostolus suis in Epistolis *Fratrem, filium Charissimum & fidelem in Domino*: nonnunquam, *Dei ministrum suiq; adjutorem Evangelij* nominat. Abstinentia in eo fuit singularis: ob ortas inde frequentes infirmitates jussus est à Paulo modico vino uti. Nec solùm ex vase illo electionis divini eloquii lac hausit, sed &

Ioan-

Ioannem habuit præceptorem. Certè ab ha
Aquilâ genuinus probatus est partus, ut non
modò Christum contemplaretur; sed & alio
cò perduceret, quando Ioannes Domitian
jussu in exiliũ profectus Timotheum Ephe
sinis Episcopum reliquit: quam spartam mi
râ sanctitate & glorioſâ morte ornavit; qu
dum insanas argueret Gentilium superstitio
nes, melioraque moneret, pro monitis sax
is est obrutus. Corpus ejus in loco, Pion di
cto, Christiana pietas condidit, & quem ob
sequiis ultrà nequierunt, lachrymis sunt
prosecuti. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De triplici effectu Zeli animarum.

1. SI minùs Apostolorum dignitatem, zelum certè æmulari debemus; & zelus noster erit secundùm scientiam, si nostræ primum conversioni incubuerimus. in convertendis parentibus, amicis, domesticis tanto zelo inflammatus videris; laudabilis quidem est zelus ejusmodi: sed primùm omnium cura te ipsum. *Accusamus sæpè, quod facimus, contra nosmetipsos disserti, in nostra vitia invehimur.* Hieron.

2. da operam, ut piis verbis plures allicias ad virtutem: Amabat Christus cum pueris, atq; cum Samaritanâ colloqui, iis nimirum ut cæli viam indicaret.

dicaret. Appositò verbo, quod opportunè dixeris, sæpè propinqui, amici, aut domestici animam lucrifacies Christo. IESVS totum Sanguinem fudit, ut hanc animam redimeret; tu verò ut eam serves redemptori, vel verbulum dicere gravaris! Ubi Charitas tua?

3. Verus ille est Apostolus, qui suadet factis, & morum integritate: is certè plùs movebit, quàm magni nominis oratores: multi solutioris ac nequioris vitæ homines, visâ ejus modestiâ, resipiscent: Quot dimittis occasiones proximi salutem promovendi? Haud dubiè (ait S. Gregorius) à te repetet Deus rationem animæ fratris tui, si, cum potes ejus procurare salutem, neglexeris.

CONVERSIO S. PAVLI.

25. Januarii.

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus. Act. 9.

ANnus, qui post CHRISTI ad Superos reditum erat secundus, idem secundissimus Saulo fuit. Hoc enim ille, personâ feliciter positâ, Paulum induit, adnitente potissimùm apud DEVM Stephano, non minùs tum in cælis, quàm terris olim pro hostibus

hostibus suis piè solicito. Ibat SAVLVS mi
narum plenus, & in vincula ipsam (si supe
ri sinerent) Fidem tracturus; cùm ecce tibi
subita ab alto vis fulgorque audaciam atto
nito omnem excutit, & feroces humi spiri
ritus cum Domino suo affligit, simul vo
istiusmodi cælo intonat: *Saule, Saule quid m
persequeris?* mox scisscitanti: *quis es Domine? respo
sum*, redditur: *Ego sum IESVS Nazarenus, quem t
persequeris*. Atq; hæc demùm vox, illam no
bilissimam expressit: *Domine quid me vis facer*
Ergo Damascum conferre se jussus, eò à co
mitibus & ipsis rerum gestarum miracul
stupentibus adducitur. Ibi triduum aperti
oculis cæcus ac jejunus ab Ananiâ demu
& oculorum, &, quod caput est, Fidei de
natur lumine. Hoc ille deinceps per
mnes provincias circumferens tot Gentibu
accendit, ut rem mihi attentiùs consid
ranti, unus quidem hodie cecidisse PA
LVS, cæterùm surrexisse cum PAVLO t
tus orbis videatur. *Ex Act. Apost.*

MEDITATIO
De conversione S. Pauli.

1. CUm Paulus vocatur, prosternitur, & r
pitur ad tertium cælum; creata non vid
qui

quia vidit increatum. Cupisne ex animo mores emendare? Audi vocem divinam: Deus quippe loquitur, cùm avellit à voluptatibus, parentibus amicis: fulgura sunt illa omnia, quibus moneris, ut neglectis nugis sæculi, cælestia duntaxat mediteris. Quoties Deus hisce luminibus mentem tuam illustravit? quoties, loquens cordi tuo dixit: Miser, *Quid me persequeris*?

2. Audit vocem DEI, & respondit: *Quis es Domine*? Proba spiritus, an ex Deo sint: vide, an voce vanitatis, aut curiositatis ad hoc opus, specie tam sanctum alliciaris; an verò voce CHRISTI? & ubi cognosces vocem Dominì, tunc, animo ad omnia parato, responde cum sancto Paulo: *Domine quid me vis facere*?

3. Sine morâ mandata Christi exequitur Paulus, properat ad Ananiam, ut fidei mysteriis imbuatur. Vis, ut feliciter tibi cadat grande conversionis negotium? Noli differre; elige sapientem, & doctũ conscientiæ moderatorem, qui divinam tibi voluntatem interptetetur, & quamprimùm illam exequêre, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Eccles.

S. PAULA VIDUA.

26 Januarii.

Beati estis, qui nunc fletis, quia ridebitis. Christus, Marc. cap. 6.

Paulam

PAULAM nemo depinget satis condignè, nisi Hieronymi penicillo utatur. Umbram dabo, quisquis alius tentaverit. Hæc est illa PAULA Romana, quæ quot liberos edidit mundo, tot cælo dicavit. Et ne ipsa terris linqueretur sola, mortuo Conjuge, Deo uni vixit, dum vixit: Nec Roma tantùm virtutem capere passa est; & Bethlehem novam suspexit stellam. Licet erraticam per tanta viarum intervalla, at fixam in Pietatis cælo. Exile tuguriolum, Palatiis & Præsepium Domini amplissimis gazis præhabuit. Nunquam Christo charior, quàm quando vestigiis ejus vicinior. Quas Romæ secùm asportaverat opes, in lapidibus pro instituendis monasteriis optimè dilapidavit; se Christo similiorem reputans, quò pauperior pauperem imitaretur. Sed & suis natis hæreditatem attribuit, dum ait: Natis meis nihil quicquam melius relinquere possum, quàm misericordiam Dei. Duplices fundebat lachrymas: has doloris; istas amoris: has ad Nævos (si quos tanta Sanctitas committere potuit) eluendos; istas videndæ divinæ Majestatis desiderio liquefacta. Nec ab his sibi temperâsset unquam, nisi mors, nè guttas darent ultra, oculos clausisset,

MEDITATIO

De lachrimis S. Paulæ

1. PAULA mundum fugit, ut negotiis expedita facilius reliquos vitæ suæ dies pietati vacet. Eam imitare. Abstine hilarioribus cœtibus, ama solitudinem, ama piorum librorũ lectionem. Quid moraris? Quid non consecras Deo, quod tibi supereſt temporis? Heu! totum ferè absumpsit mundus; reliquum saltem petenti Christo concede.

2. Uberiùs flebat leviora, quæ videntur peccata; *ea* (inquiens) *quæ mundo placere studuit, nunquam debet displicere Deo.* Luge tempus absumptum deliciis, & vanitatibus. Quò demùm abiêre florentes anni? Quò voluptates? Eorum nihil planè restat, nisi tristis memoria peccatorum, quæ commisisti, ut illis voluptatibus fruereris. Hæc peccata lachrimis dele. O suaves lachrimæ, quibus ignes purgatorii restinguuntur! *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezech.

3. Afflictiones & persecutiones perpetuos fletus eliciunt ex oculis tuis: diripiuntur tua bona, tædio, morbo, tristitiâ tantùm non conficeris, humanis demùm miseriis continuò ingemiscis: Macte, absterge lachrimas, non hominibus, sed soli Deo confide, aperi JESU crucifixo dolores & labores tuos, ejus consilium exquire. Brevi tristitia vertetur in gaudium. *Vbi passionis Sacramenta junguntur, omnis amaritudo spiritualiter conditur.* Ambros.

S. CHRYSOSTOMUS

27. Januarii.

Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.
S. Pet. 1. cap. 2.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter Chrysostomus, nos umbram damus. Nondum Pontifex Bizantinus erat IOANNES, cùm in ejus conspectum sedit Apostolorum Princeps D. Ioanne Evang. comite, & sanctioris potestatis ac magisterii indices claves illi ac librum obtulit. Et verò quid mirum, si hoc Doctore etiamnum Orbis gaudeat: qui præceptorem magnum Paulum, imò eundem cum Paulo Magistri Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse: illum, dum ad mensam scriberet, assistere dictanti similem, alii etiam viderunt. Talis itaque IOANNES cùm urbe suâ hæreticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscriberet, sanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ in-

cidit

cidit: nam IOANNES Imperii sui etiam in Reges memor, templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisq; non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamq; secundùm exul in meliorem patriam cælum abiit: ad id à geminis, quos supra memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basiliseo invitatus. Siluit itaq; aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De bono exemplo.

1. CHrysostomus, non minùs factis, quàm verbis omnes hortabatur ad virtutem. Duo manant ex alienæ virtutis consideratione. Primum amor ejusdem virtutis, alterum imitatio. Vellet unusquisque virtute esse præditus, sed multos ab eâ exercendâ deterrent fictæ difficultates; quas removet bonum exemplum: Etenim confidimus, ea posse nos, quæ adolescentuli, & puellæ tam facilè potuerunt.

2. Nihil Deo gratius feceris, nihil tibi proximóque utilius, quàm si bono exemplo virtutem facilem esse persuaseris: ô te felicem! si pio viventi instituto consulas saluti hominis, pro quo mortuus est Christus, & cui sine te sanguis Christi non profuisset.

3. In externis actionibus, hæc duo potissim
cura, ut Deo placeas, & hominibus sis bono
emplo; Omitte, quidquid fratrem tuum offend
illius ergò mortuus est Christus; tu verò, ut
ctus fiat frater tuus, vel tantulâ voluptate abstin
gravaberis? Domine si minùs idoneus sim,
concionibus doceam alios virtutem, bono c
exemplo illorum conversioni consulam. *Effica
vita, quàm linguæ testimonium, habent & opera v
suam tacente linguâ.* Cyprian.

S. JACOB. POENIT

28. Januarii.

*Sicut fuit sensus vester, ut errare
à Deo, decies tantùm iterûm co
vertentes requiretis eum.* Baruch

HOminis, mi lector, speculum cape,
peccantis & pœnitentis, IACOB
inspice. Hic postquam Anachoretes XL
mnino annos DEO militavit, miranda m
ima patravit, trophæa de hoste inferno
tuit plurima; id ætatis vir à fœminâ dem
triumphatur, & ab ea fœmina, in quâ ips
cacodæmona non horruerat, imò è quâ
ctum ejecerat. Huic itaque infœlix pri
pudorem, mox vitam extorquet. & v
terti
& vi
pi fi
xisse
sepu
vus
inte
mel
vesc
Ipse
xisse
quàn
tanc
Episc
mbr
posiu
conc
di m
ri de
itque
Instr
M

tertium scelus accumulasset desperabundus & victum se mundo dedisset, nisi à tam turpi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retraxisset. Tum enim verò ad se redire IACOBUS sepulchrum vivus subire, mortem suam vivus deflere in decimum annum usque: cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent. Ipse certè Apostolus peccato mortuum dixisset. Sed nunquam pulchriùs ille vixit, quàm sic mortuus. Nam suppliciis his spontaneis placatum Numen, disertis verbis ex Episcopis nonnemini significavit, beatum umbrem, quem tam anxiè, sed necquicquam postulabant, non nisi ad preces IACOBI concedendum. Atque hoc aliisq; ejuscemodi miris, cùm iterum Orbi innotuisset, mortui denique desiit annos natus LXXV. habuitque novo more unum idem & domicilium & sepulchrum. *Ex Surio.*

MEDITATIO

Instrumenta malitiæ fiant pœnitentiæ arma.

MAgdalena pœnitens *lachrimis cœpit rigare pedes* JESU, *& capillis capitis sui tergebat &c.*

En omnia peccatorum instrumenta coëgit in ob quium Christi. Oculos lasciviæ illices jam imp fontibus lachrimarum: capillos auro & gemmis i textos, jam pro peripsemate admovet abluend Christi pedibus. Unguenta, quibus delibuta fragr bat in odorem mundi, jam alabastro fracto effu dit in odorem suavitatis in caput, & pedes Chris

2. O si & tu, quod tibi turpiter exhibuisti, ja Deo laudabiliter offeras & quot in te habuisti ob lecramenta, tot de te invenias hololausta, ut totu serviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex te Deu contempserat in culpâ. Gregor. hom. 33. Exem plum desideras? Iacobum hîc lege pœnitentem.

3. Si cum Iacobo pœnitente & Magdalena flen te, non potes decies plus requirere Deum per pœ nitentiam, quem offendisti millies per peccandi l centiam; saltem tantundem pœniteas, quantu peccasti; consulente Apostolo Rom. 6. sicut e hibuistis membra vestra servire immunditiæ, & in quitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membr vestra servire justitiæ in sanctificationem.

S. FRANCISCUS SALESIVS.

29 januarij.

Discite à me, quia mitis sum, & hu milis corde, & invenietis requie animabus vestris. Christus. Matth. c. 11

FRanciscum mundo, & nomen Francisco dedit Salesium Galliæ oppidum. Nobilitavit à teneris stemma, sed decus addidit vitæ integritas: quæ ne lateret, omnibus liberalibus disciplinis imbutus, juris vacavit prudentiæ; ita tamen ut ei comitem adjunxerit, mundo raram, sed cælo charam prudentiam, quâ instructus, nullâ docente lege, omni suo juri, quod habebat in carnem, voto castitatis in æde lauretana emisso resignavit, suumque dominium transtulit in Mariam. Prudens translatio: jure amisso proprio, nec benè fundato, acquirit sempiternum; quod ut securius possideret, recusavit in senatu Sabaudiæ amplissimam dignitatem, eique sacerdotalem prætulit, in qua Ecclesiæ Genevensis Præpositus, & verus Christi Apostolus, septuaginta duo millia Calvini lue infectarum animarum Christo lucratus est: Dignus ut crearetur Episcopus, & Pastor Ecclesiæ, qui tot oves uni & vero ovili restituit, nec decuit tam ardentē lucernam sub modio abscondi, sed in Candelabro prælucere, quippe quæ Ecclesiæ splendorem & novo adauxit religiosarum Virginum ordine & scriptis Seraphicis illustravit. Obiit Anno 1622. & ne à terris ab-

fens cessaret prodesse hominibus, Cor miraculis claresçens Lugdunensibus legavit imitandæ virtutis illicium.

MEDITATIO
De Corde S. Franciſci Saleſij.

1. COr S. Franciſci ignibus divini amoris sic ardebat, ut nihil non moliretur Dei gloriæ & animarum salutis causâ, huc referebat conciones, huc congressus, huc libros. Ah! si perinde Deum amares, atque ille; nihili duceres divitias, voluptases, honores; nullam prætermitteres occasionem de Deo loquendi, & amorem ejus in aliorum animis accendendi. O Deus amabiliſſime! unde tam parum amaris? O *ignis! qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me.* Aug.

2. Carebat felle cor Franciſci, & purum mel in proximi sinum effundebat, ægrotos solabatur, pauperibus dabat eleemosynam, docebat peccatores, & errantes oves ad ovile JESU Christi mirâ suavitate pelliciebat, studebat singulari manſuetudine alios sibi devincire, ut eosdem postmodum adjungeret & Christo. Quàm malè Sancti hujus exprimis manſuetudinem! quàm dissimilia sunt verba tua, facta, judicia!

3. Cor demùm illius, quod efflictim Deum deperibat, & proximum suaviſſimâ pietate complectebatur; maximè oderat delicias, frænabat sensus, & omnes animi motus omnino domitos habebat.

Diligenter

Diligenter inquire causam tædiorum tuorum, & observabis, ea omnia nasci ex indomitis & immoderatis affectibus tuis. *Qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam dedit.* Cyprian.

S. ALDEGUNDIS.

30. Januarii.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.
Christus. Matth. cap. 11.

ETsi Numen amore omnes omninò animas depereat; fatendum tamen est, non rarò etiam illustres ceras apud homines quæsiisse. Ita ALDEGVNDEM è Regia Gallorum stirpe oriundam vox cælo allapsa jussit uni Agno castum thalamum servare; palmâ interim & veste longè nitidissimâ arrhæ loco datis. Ad id ipsum cùm Angelus etiam Tutelaris palàm visus hortaretur, mater interim jam telam in sindones nuptiales offerret, eâ Neophytos illa vestiit: mox à morte matris concubia nocte, ad suas nuptias in eremum evolavit, castoque flammeo ab Amando Episcopo (quem magno post coruscum splendore, cœlum inter cœlites vidit subire) involuta est. Cæterùm quo

die nova nupta dotem ſuam vel in templa vel pauperes diſpertivit, etiam has nuptias probaturum Numen, aquam bibenti in vinum vertit. Sed illa, ut pulchriorem ſe Sponſo ſuo probaret, multis precibus carcinoma, velut formæ pigmentum à cælo extorſit. Vltimùm ægra, cùm è manu D. Petri manna guſtaſſet, nauſeavit ab hinc omnes humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus adventantibus, & inter hos Auguſtiſſimâ cæli REGINA, deducta eſt, ubi illis deliciis quotidie frueretur. *Ex Sur, & Lippeloo.*

MEDITATIO
De triplici gradu Mortificationis.

1. ALdegundis aulæ tumultum fugit, ut ſolitudinis tranquillitate potiatur; reſpuit voluptates, & divitias, ut imitetur patientiam, & paupertatem Chriſti. A tanto tempore vocat te Chriſtus, quandonam audies vocem ejus? Hæc Virgo maxima ſuperat impedimenta; tu verò minimâ difficultate ſuperaris. Ama JESUM: time infernum, & tuis vinculis expedieris: nam *facilè rumpit hæc vincula amor Chriſti, & gehennæ timor.* Hieron.

2. Hæc Sponſa JESU Chriſti, ubi pleraq; amoris ſigna ſacro ſponſo dediſſet, ab eo etiam atque etiam contendit, (Delicatuli, petitionem Aldegundis audite, ut pudeat vos ignaviæ veſtræ) conten-

dit

dit [inquam] ut cancro exesas ejus mammas vellet. An simile quidquam adhuc Deum rogâsti, tu, qui sanctorum neminem non rogas, ut minimo dolore libereris? Dolores tamen, & labores, sunt blanditiæ, & beneficia Christi.

3. Parum erat, delitiis omnibus carere, & acerbissimo dolore cruciari: rogat insuper Deum suum, ut tum cibi, tum potûs fastidium inducat: fit votî compos, accepto siquidem à S. Petro mannâ cælesti, dulcia quæque fercula fastidiebat. Quid dicis ad hæc, voluptuarie, qui omnem quæris corporis voluptatem? *Peto Domine, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas anima meæ.*

S. PETRUS NOLASCVS.

31. Ianuarij.

Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15.

S. Petrum genere nobilem, dedit Ecclesiæ Gallia, quo fructu, jam in cunis præsagiit examen apum, quod infantis dexteræ favum mellis imposuit, ut è forti dulcedinem, & è dulci fortitudinem in Christianos

osten-

ostenderet emanaturam. Hoc ut opere probaret, ab Albigensium Hæreticorum veneno præservatus, vovit animam suam dare pro amicis suis, quâ majorem charitatem nemo habet. Placuit Matri Misericordiæ affectus tam misericors, eique noctu oranti apparens, sibi suoque filio gratissimum fore suggessit, si Ordinem de captivis à Barbarorum tyrannide liberandis institueret. Paruit cælesti monito, non jam suus, sed proximi; & invênit divinâ bonitate præmonitos tantæ in proximos charitatis comites qui se offerrent in obsides, & ne lytrum deesset, coronam & sceptrum obtulit Iacobus Arragonum Rex, quod tamen quantumvis magnum, cum Petro videretur parvum, maximum quod habuit, obtulit in pretium libertatis alienæ, Deoq; votum nuncupavit, se ipsum dandi in pignus pro captivis sub Pagano jugo Christianis. Tu si alios non vis aut potes; te saltem Barbara exue captivitate carnis & jugo mundi.

MEDITATIO
De vitâ S. Petri Nolasci.

1. TAnta fuit ejus in pauperes charitas, ut omnia bona sua pauperibus largitus sit. Primum

mum hunc charitatis ejus effectum imitare. Quid adhuc feciſti ad proximi tui ſolatium? quid facturus es? ſi minùs bonis, ſaltem precibus eum adjuves, & ejus vitia æquo animo feras.

2. Inauditâ prorſus incenſus charitate, lubenter (ajebat) toto vitæ meæ tempore in vinculis eſſem, ſi vel unum Chriſtianum iis poſſem expedire. Quî poſſes corpus tuum proximi causâ devovere, tu, qui ægrè admodum ſoles nummulum dare pauperi? Vult tamen Chriſtus, ut ſolvas fratribus tuis, quod ipſis debes, vinctis opem feras, mœſtos ſoleris, nulliſque verbis durioribus, aut ingenio moroſiori incommodo ſis. *Quem contemnere vis, pretium ejus attende, & tum morte Chriſti totum mundum appende.* Auguſt.

3. Hoc potiſſimùm habuit in animo clarus iſte Fundator, ut ab interitu ſempiterno vindicaret animos Chriſtianorum, quorum fides diuturnioris captivitatis tædio periclitaretur, ideoque cùm corpori, tum animæ eorum ſedulò conſulebat. Nihil utilius feceris proximo tuo, quàm ſi incumbas ad ſalutem animæ ejus: quare nullam ejuſmodi prætermittas occaſionem.

FEBRUARIUS.

S. IGNATIUS EPISC. & MARTYR.

1. Februarii.

Si quis non amat Dominum JEsum, anathema sit. S. Paulus.

IGNATIVS ex Joannis Apostoli schola docilis oppidò discipulus, tam altè in pectus suum demisit JESU amorem, ut hunc unum loqui lingua, hunc unum dictare animus sciret, illud unum denique in deliciis ei verbum esset: AMOR MEUS CRUCIFIXUS EST. Certè quod hunc ubique præ se ferret, gloriosum Theophori nomen reportavit. Illud quantum amantis animi robur fuit, cùm sanctè audax omnia tormenta, omnes mortes unus unicus provocare in certamen non dubitavit, cùm ad bestias damnatus, laborantibus ex hostili manu eripere Præsulem suum Christianis, solus nimirum ipse interceſſit, DEI amore obtestatus, ne ad coronam

ronam currenti obsisterent. Et verò prægustâsse, cùm Romam iret, ferarum rabiem sibi ipsi visus est in X. militibus, qui custodiæ causâ additi, usque adeò hominem vexaverant, ut familiari joco Leopardos eos vocitarit. Iam caveis emissi leones horrendo rugitu theatrum compleverant, & ecce IGNATIO piè adhuc ludere placuit. Frumentum Christi se dictitabat, gestire molaribus bestiarum commoli, quò delicatus panis Superûm mensæ apponeretur. Sed hem majus tibi miraculum! Elidunt fauces IESVM suum inclamanti ora crudelia: tacere lingua cogitur Amores suos, quid expectas? frustra silentium linguæ imperatur, ubi cor est eloquens. In hoc siquidem disertis litteris exaratum repererunt familiare illud Linguæ IESV nomen: breve quidem tam augusti monumenti, sed longè pulcherrimum Epitaphium. *Ex Sur' & Metaphr.*

MEDITATIO
De Amore JESU.

1. Totum se nobis dedit Christus, ut amicitiam nostram sibi conciliaret totam! Vis ejus amicus fieri? illi te totum trade. Quàm suave est, cor, corpus, animam JESU consecrare! Ah!

quantæ

quantæ liberalitatis Dominus est, quantæ fidei a- micus, quantæ potestatis Deus! facessant omnia creata, me totum consecro JESU. Nonnihil pa- tiar, sed parvi refert, non tanti vitæ delicias facio, ut eas JESU meo anteponam. *Nihili pendo supplicia hæc, neq; tantum amo vitam hanc, ut eam plùs amem quàm Dominum.* Ignat.

2. Quamdiu vixit, nobis vixit JESUS: vivendum ergò JESU tam dulci, tam constanti amico. Ad unum JESUM referamus cogitationes, & actiones nostras, & suavissimum JESU nomen in ore sem- per habeamus. Propter JESUM colamus parentes, observemas amicos, inimicis etiam benefaciamus. Admodum facilè omnes amaverimus, si perspexe- rimus in omnibus JESUM.

3. Ut tui, tuarumq; actionum munus accepti- us sit JESU, toto animo incumbe in illius imitati- onem. Ab hac cogitatione diem auspicare: volo esse amicus, volo esse similis JESU: vide, qui- nam ipse ratione Patrem orabat, quo pacto age- bat cum hominibus, &, cùm aliquid facis, te ipsi sæpiùs interroga: feciſſetne hoc JESUS perinde atque ego? *Christus sit confabulator tuus, contuber- nalis tuus, & conviva, imò Christus ipse sit tua delicia.* Damian.

PURIFICATIO

PVRIFICATIO B. M. V.

2. Februarii.

Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem, ut sisterent Domino. S. Luc. cap. 2.

IBat dies à partu VIRGINEO quadragesimus primus, quo terra dignum aliquando Cælo donum offerret. Gestabat hoc præpectore Virgo nuper, nunc geminâ felicitate Mater Virgo: latus Iosephus claudebat, Virgo Virginis Virginem gestantis comes. Gerebat illa munus in sinu, iste in oculis, arridebat euntibus Cælum, & spectatores Cives suos plenis agminibus effuderat: exiliebat lætitiâ Tellus, & ad singula pedum vestigia singula fundere lilia gestiebat; cùm interim jam Ierosolymam, jam templum pompa ingreditur, & obvius adest felix ille longâ ætate senex, felicior aspectu Servatoris futurus, feliciſſimè in Vitæ amplexu vitam positurus. Ergò in genua procumbit Virgo puriſſima, donumq; Cælo dicat, quo nec terra dare, nec cælum expetere majus poterat. Quid hìc dicam? parce nimiùm

Mater prodiga. Poteras charum pignus pectore avellere? poteras alienis manibu unicum Filiũ concedere? & talem Filium & tu, ô Puer IESV suavissime, poteras ab ire sinu tam dulci? poteras aliis ullis quàm Matris in ulnis delitescere? ite nunc paren tes avari, qui DEO negatis prolem. Ore datis: Ite molles filii, qui pluris unam ma tris lachrimam, quàm omnem IESV san guinem facitis ingrati; Ite & utrique ætat florem discite non mundo, sed templi sed aris, sed DEO dicare. *Ex Histor. Evan.*

MEDITATIO
De Purificatione B. V. M.

1. UT Divinæ gloriæ serviret Maria, & obed ret legi, coram hominibus honoris sui d trò jacturam facit, in hac enim Purificatione, no Virgo non Deipara, sed una de immundis mulier bus existimatur. Hinc intellige, veram gloriam i Divino obsequio positam esse. Tametsi pessimu omnium haberi necesse foret, modò Deus laude tur, non est detrectandum. IESVS qui in circum cisione formam peccatoris induit, itemq; Maria i Purificatione, non obscura illius veritatis præbe argumenta. Vera gloria à judicio Divino plan pendet.

2, Maria devovet æterno Patri suavissimum ac

lectissimu

lectissimum Filium. Mirum sanè parentibus documentum! Oportet, ut parentes ipsi filios suos Deo devoveant, non autem, ut sæpè fit, in eorum animis vovendi restinguant voluntatem. Hodie, pijssime Deus, offero tibi quidquid mihi carissimũ est, cor, voluntatem, affectus, omnia.

3. Maria suæ in Patrem liberalitatis fructum refert ampliſſimum; jam enim recuperat & Filium & honorem suum; nam Simeon eam colit ut Dei matrem, miratur ut Virginem, & in porrectis ejus brachiis IESUM reponit. Si honorem, si cor tuum Deo dederis, etiamnum, in hac vitâ largiorẽ mercedem accipies. Quâm suave est, tam liberali Deo servire, qui danti terrena, cælestia rependit! *Cur non cœlo mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus?* Chrysost.

S. BLASIVS.

3. Februarii.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. cap. 13.

BLASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex specula Gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officii obsequentes habuit; fuitque tam sedulæ virtutis stipendium benè

precari ſtato tempore confluentibus. Sub inde cùm indagine mons cingeretur, nobil venationis auctuarium BLASIVS acceſſit dum ad quæſtionem rapitur, non paucis ſa lutem attulit, inter quos filium memoran unicum unicè matri ſuæ dilectum, cui d piſce ſpina fauces obſidens loquelam jam eripuerat, vitam etiam ereptura, niſi prio eam è gutture BLASIVS rapuiſſet. Atqu hoc eſt, quòd à Majoribus edocti ſimili in periculo ſimilem Divi opem hodieque im ploramus. Cæterùm ab hominibus ad feras, non à feris ad homines diceres migrâſſe, ita barbarè ab Agricolao ſudibus ſecundùm ac ceptus eſt. Ejus ſanguinem cùm ſeptem ma tronæ legiſſent, ipſæ quoque verberibus la ceratæ, in candidiſſimæ innocentiæ teſti monium non niſi lac per vulnera egeſſêre, quod tamen ipſum mox capite truncatæ pulchrè ſanguine miſcuerunt. At BLASI VS undis, quibus mergendus erat, ancil lantibus uſus, lacum primò non aliter ac pontem perambulavit, deinde velut feſſus molliter in medio aquarum conſedit; hau ſtis interim vortice LXIIX. viris, qui Deo rum ſuorum fiduciâ idem agere tentârant. Tandem cum geminis unius ex ſeptem, de

quibus

quibus dixeramus, matronæ filiolis, lictori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriæ quàm sanguinis manavit.

Ex Surio.

MEDITATIO
De solitudine.

1. POenitentiam age, & ut pœnitentia tua felicior sit ac fructuosior, S. Blasii exemplo, fuge in solitudinem, procul esto ab occasionibus, in quibus peccâsti, ne eædem causæ eosdem habeant effectus. Jucundius nihil est, quàm solum cum solo JESU colloquì! ubi vel primis labiis hanc gustaveris suavitatem, procul [inquies] procul cænosæ mundi voluptates. Ah! mundanum murmur obtundit aures illius, qui solitudinis novit tranquillitatem. *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.* Hieronym.

2. Si propter vitæ tuæ conditionem homines fugere minùs possis, potes quidem certè habere cordis solitudinem. Singulis annis quosdam dies, singulis diebus quædam tempora seligito, quibus Deo & animæ vacES. Vide singulis horis, quid feceris? Quid facturus sis? an is es, qui Deo tantulum tempus denegaturus sis? Memineris solitudinem cordis esse perneceſſariam. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis?* Greg.

3. Sub noctem peractis negotiis, attende ad peccata commissa, ut veniam petas; ad piè facta,

ut gratias agas. Quàm lætus, si benè! quàm tristis, si malè diem transegeris! Heu! vita sicut dies hæc extinguetur. Et forsitan hæc dies erit ultima vitæ tuæ. An paratus esses ad reddendam Deo rationem?

S. THEOPHILVS, CONFESS:

4 Februarii.

Quid tibi negabitur (ô Maria!) cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare: nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare. Damian: Serm. 1. de nativ. Virg.

O Semper insidiosa demissis animis ambitio! THEOPHILVS ille, qui Infulam ultrò oblatã ultrò rejecerat, mox officio Oeconomi ab æmulis se dejici adeò indignatus est, ut excire in auxilium Orcum non verereretur. Ergò ad Magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur: DEVM, Deique Matrem ejurare non titubat lingua impudens, non erubescit scripto

firmare

firmare calamus impius, sustinet obsignare fœdus infandum gemma perfida: Verbo, IESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem Conscientia flagellat; quin honori jam suo restitutum acriùs etiam torquet. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris ubera, per quæ Filium sauciárat? ad vulnera Filii, per quæ Matrem impetierat? & tamen ad Matrem ausus est confugere; memor semper Matrem faciliùs flecti, quàm judicem. Itaque ad Marianæ Ædis limina quadraginta ipsos dies noctesq; perstare, sed longè magis ipsam Cœli portam Virginem amoire, hanc lachrimis mollire, hanc gemitibus pulsare, hanc jejuniis frangere. Cedit itaque vim facienti facilis aliàs janua. Admittitur per Matrem ad Filii gratiam THEOPHILVS, extortósq; infames hosti codicillos aufert. Hos ubi palam igni dedit, post triduanam febriculam per notam sibi & jam apertam portam Cælum ingreditur. Agnoscite felicitatem vestram in THEOPHILO Mariophili. Sit omnibus aliis angusta cæli porta, certè vos latam amplamque habetis.

Ex Surio.

MEDITATIO
Maria mediatrix Peccatorum.

1. QUod est asylum reis, & urbs refugii malefactoribus, ne pereant, hoc est Maria peccatoribus. Audi Bernardum. *Maria est Regina misericordiæ, quod divinæ pietatis asylum, cui vult & quomodo vult creditur aperire; ut quivis enormis peccator non pereat, cui sancta Sanctorum Patrocinii sui Suffragia præstat.* O Domina! defensio generis humani, portus & protectio eorum, qui ad te confugiunt, quis unquam hominum tuam fideliter rogavit opem, & fuit unquam derelictus? *Eutychianus.*

2. Monstrat se esse matrem, & mediatricem, monstrando pro salute peccatoris uberá, quæ lactaverunt Christum Dominum. Audi Abbatem Bonævallis Arnoldum Carnot: *Securum accessum homo jam habet ad Deum, ubi mediatorem suæ causæ filium habet ante Patrem, & ante Filium matrem: Christus Patri ostendit latus & vulnera, mater Christo pectus & ubera, nec potest esse repulsa, ubi concurrunt & erant omni lingua disertiùs hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia, quando videlicet petitur ut sanguis Christi, & lac matris pro nostra causa loquatur.*

3. Sicut in cælo inter leonem & libram mediat signum virginis, sic inter Christum [qui est Leo de tribu Juda] & libram ejus judiciariam, in quâ peccata nostra severissimè ponderanda sunt, mediat, suoque intervenit patrocinio Maria, miserorum causas mitigat, & rigorem temperat tremendi judicii divini.

S. AGA-

S. AGATHA.

5 Februarii.

Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus. S. Paul. 1. cor. 4.

ANno CCLIV. AGATHA Catanam ad Quintianum Prætorem abducitur. Deperibat hic Christi Sponsam. Quare eam Aphrodisiæ lenæ commendat, facilè ratus fidei castrum evertere, ubi prodita pudoris arx conflagrâsset. Ambulavit illa per omnes fraudes; sed cœcam ad munera, surdam ad blanditias & minas invênit. Itaque Prætor amorem vertit in odium, martyriq; ubera auferri imperat. Tulit facilè eam jacturam Virgo, gnara Ecclesiæ sobolem non tam lacte matrum, quàm sanguine Martyrum ali: sed nec uberibus diu caruit, medicinam D. Petro faciente. Quintianus ex amatore jam carnifex; dum nudam in testarum fragminibus prunisque volutari mandat, ecce mota insolitè terra, cùm duos supplicii auctores oppressisset, populum etiam ita commovit, ut re ad seditionem spectante ad carcerem Virgo reduceretur. Ibi inter vota animam in sinum ac amplexus Sponsi sui

expiravit'. Tumulum sepultæ Cælites marmore ornarunt cum hac epigraphe; *Mentem sanctam, spontaneum honorē Deo, & patriæ liberationem.* Quintianus dum Panormum fortunas Virginis direpturus trajicit, equorum calcibus in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ sitim positurus. Ajunt corpus ejus nunquam repertum, sepulchro caruisse. Nimirum ut Castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab homine quidem meretur tumulari.

Ex Surio

MEDITATIO
De vitâ sanctæ Agathæ.

1. HÆc generosissima Virgo mundum planè vicit, cùm flocci fecit vanitatem; noverat enim terrena bona; quanta quanta sint, nihil esse ad cœlestia. O munde, quam malè audis! te deserunt Sancti, tui etiam asseclæ conqueruntur, quod bona promittas, & largiaris mala. Pro certo habes, & longâ quidem doctus es experientiâ, mundum fallacem & malignum esse; attamen ipsi adhæres, ipsum amas, ipsi laboras. Quid faceres, si staret promissis, & digna laboris præmia penderet? *Amarus est mundus; & diligitur, puta si dulcis esset, quid faceret? Aug.*

2. Agatha blanditiis, & minis fortiter resistit. Quàm difficilè tamen duobus resistitur, quorum

alter

alter blandè & cuniculis, alter palam & apertâ vi aggreditur! Quàm difficilè, inquam, cùm etiam corpus noſtrum, allectum blanditiis & deliciis voluptatum, partes illicò ſuſcipiat. Quid ageres ſi conſtantia tua deliciarum illecebris, & Tyrannorum minis tentaretur? tu? qui tuam ſalutem breviori voluptati toties poſtponis?

3. Angelis puritate par fuit, imò, juxta ſanctum Ambroſium, ſuperior; hominibus quippe fortiter pugnandum, ut illibatam ſervent caſtitatem, non item Angelis, qui ab omni concretione corporis ſejuncti ſunt, Ut puritatis theſaurum ſervemus, S. Agathæ; & Angelorum exemplo, Deum præſentem ſemper cogitemus, ſemper obſequamur ejus voluntati, & ſpretis, quantum fieri poteſt, voluptatibus, cæleſtes delicias exequamur. *Differunt quidem homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute. illius caſtitas felicior, hujus fortior eſſe cognoſcitur.* Amb.

S. DOROTHEA.

6. Februarii.

Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?

S. Paulus ad Rom. cap. 8.

DOROT-

DOROTHEA Cæsareæ pro Christo captiva, captivos in triumphum Cupidinem & Tyrannidem duxit. Expugnanda enim binis sororibus tradita, quæ datam DEO fidem prodiderant, tam fortiter decertavit, ut ambas ab impiis castris ad antiquam fidei stationem redire compulerit; & hæ quidem proditionis crimen sanguine eluêrunt; ipsa verò victorias victoriis perrexit nectere, eruentas illas quidem, sed gloriæ plenas, ut quæ sciret nullam tam Sponso Christo placere Virginem, quàm quæ suâ non alienâ ruberet purpurâ. Itaque cùm faces lateri admoverentur, has illa nuptiales tædas credere; cùm ad gladium citaretur, velut ad thalamum properare; inter lictores quasi paranymphos obambulare; ad supplicii deniq; locum ut melioris cæli hortos ridere. Irrisit tam innocentem risum Theophilus quispiam, & è Sponsi viridariis aut rosam sibi vernam, aut Autumni munus, pomum, Virginem poposcit. Promisit utrumque DOROTHEA, fidemque vix ingressa Elysios campos extemplo liberavit. Adest lectissimus cælo Ephebus, & promissum Theophilo, eodem in calatho, Ver & Autumnum offert. Miratur ille in hyeme

rosas

rosas non flaccidas, miratur poma non marcida, miratur certantem cum munere suo muneris bajulum, & jam non contentus vidisse horti munera, ad ipsos hortos Christianus per omnia tormenta penetrare contendit, quæ quidem ille ut spinas generosè calcavit, dum animo volveret, quales rosas quæreret. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De castitate rosâ adumbratâ.

INtuere rosas, quas Angelus attulit Dorotheæ, & tria in his deprehendes castitatis præsidia. 1. Rubeus Rosæ color pudorem exprimit, sine quo castitatis citò marcescit decor. Vis castus esse? Pudorem habe, ac verecundiam; verecundus oris pudor impedit, quò minus hostis ad cor pertingat. Fuge loca, ubi audiuntur, ac videntur ea, quæ lædunt puritatem, atq; vultum pudicum etiam minimo rubore suffundunt.

2. Rosa cingitur spinis, quibus ipsa nobiles pariter ac ignobiles, divites ac inopes pungit. Hinc discat Virgo singulari modestiâ & quadam severitate mollioris & solutioris vitæ homines longè à se repellere. Nunquam indulgenter patiatur dicentem, aut facientem, quod castitati vel minimùm repugnet. Ad hæc spinis, hoc est mortificatione, cor, & corpus suum vallet, nam fieri nequit, ut quis in castitate diu perseveret sine mortificatione.

3. Hæc Rosa in cælum spectat, quasi significet omnem suam pulchritudinem, & omnem suum amorem cælo se penitûs consecrâsse, à quo nimirû sperat vitalem tum calorem, tum humorem, Quisquis amat castitatem, propriis viribus diffidat necesse est, & precibus assiduis petat hunc cæli florem; Parum enim aut nihil proderunt diligentia, & asperitas vitæ, nisi accedat benignitas Dei. Cùm virgines suam Christo voverunt virginitatem, solû Deum respicere, soli Deo placere, solum Deum amare debent. *Virgines nulli placere studeant, nisi Domino, à quo præmium exspectant virginitatis.* Cyp.

S. ROMUALDUS.

7 Februarii.

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: nam spiritus promptus est, caro autem infirma.

S. Marc. cap. 14.

S. Romualdus Ravennæ ex illustrissima Ducum stirpe progenitus ad lubricam juventutis viam à teneris licet proclivis, mente tamen Deo devotus sese ad majora tentabat erigere. Et dum feras in sylvis persequitur, amorem venatur solitudinis. Antequam verò mundum vinceret, urgente

Patre

Patre Sergio cum hostibus prælíandum fuit. in quo prælio ob injustam Patri opem latam in necandis hostibus, anima sauciata medelam quæsiit in Claustro, in quo vulneris Pharmacum salutare reperit, lachrimas pœnitentis. Ita sanatus, carni & mundo indixit certamina, suaq; castra sub Duce Marino locavit in solitudine, in quâ tam solida spiritualia militiæ fundamenta jecit, ut sui exemplo magnum Venetorum Ducem relicto sæculo traxerit sub vexillum. Mox è Tyrone Ductor Camaldulensem ordinem instituit, pluribus insignis victoriis, quas tam de se, quàm inferis reportavit. Et ne mors cruenta pro Christo sibi pugili deesset, iter parabat ad Barbaros, sed instar Jacobi, Cœli scalâ, quâ victor Cælos ascenderet, revocatur, quam brevi multis clarus miraculis Triumphator conscendit Anno 1009.

MEDITATIO
De Oratione.

1. SÆpiùs in die orandum, sed præsertim manè, dum surgimus, & sub noctem, dum lectum petimus. Cùm jugis sit Dei erga nos beneficentia, jugis quoq; debet esse gratiarum actio: si cum hominibus colloquendum est, quàm multum temporis!

ris! si cum Deo, quàm parum! Quoties in die Deum oras? Erubesce, & in futurum tibi ipse orandi præfinias tempus, quod semper & ubique expleas.

2. At (inquies) præ negotiorum copiâ orationi vacare minùs possum, tametsi maximè velim; cum S. Gregorio respondeo tibi, quò quis graviori negotiorum mole opprimitur, eò longiori & ardentiori indiget oratione; ea siquidem, ut rectè & sine peccato perficiat, validiori auxilio opus habet. In omnibus Deum consule: roga eum, ut te adjuvet. Hæc si semper feceris, omnia tibi prosperè cadent.

3. Si tamen aliquando præ negotiorum multitudine preces omiseris, consilii JESU Christi memor: VIGILATE ET ORATE, semihoram certè somno destinatam orationi concedas, hoc nullatenus nocebit tuæ sanitati, hoc faciunt tot pii viri, & quidem citra valetudinis incommodum. Tu quoque toties vigilas, ut ludo, aut rebus alicujus momenti incumbas. Parum temporis subtrahas occupationibus illis, quæ faciunt, ut duram & molestam vitam vivens, otium non habeas vacandi tuæ saluti. *Abÿciantur omnia quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi, longam dolori.* Euch.

S. PAVLVS EPISC.

8. Februarii.

Quicunq; voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. S. Matth. c. 20.

S Paulus non solùm nomine, sed vitâ & moribus egregius D. Pauli imitator, in Gallia Belgica ortus est. Iam puer unà cum litteris ita virtutem imbibit, ut vix mundo notus, ea quæ mundi sunt generosus contempserit, cujus ut omne vitaret commercium, Abrahami exemplo, solius Dei comitatus fiduciâ, exivit è terra & cognatione sua in exteras regiones, ut cum Christo (vulpibus foveas, & volucribus nidos suos habentibus) pauperior non haberet ubi caput reclinaret. Elongavit se cum Davide fugiens & mansit in solitudine Vogasi. Sed virtutis fama latere non potuit, nec tam ardens sanctitatis lucerna longiùs abscondi. Quare à Dagoberto Galliarum Rege è Monasterio vi & invitus, eximius honorũ contemptor, extractus, Virdunensis Ecclesiæ creatur Episcopus, cui ita præfuit, ut eam non tantùm virtutum suarum Thesauro, sed copiosis reditibus locupletârit. Ne verò sibi deessent divitiæ, plenus dierum & meritorum ad æternas, quas nulla consumit tinea, evocatur, dignum tot virtutum & laborum præmium accepturus.

MEDITATIO
De triplici causâ Humilitatis.

1. VEra Humilitas nititur in cognitione sui ipsius : priusquam te Deus creâsset , quid? ubi eras? in nihilo planè, ex quo nimiâ suâ charitate te eduxit. Gloriaris tamen, teque divinæ gloriæ idoneum , hominum saluti necessarium , comparandis privatis rebus non inutilem arbitraris. Antequam nascereris , Deus & homines tuâ operâ facilè caruerunt , certè te mortuo non difficiliùs.

2. In præsentiâ , quid es? si corpus inspicias, corruptionem; si animam, ignorantiam, ac peccatum deprehendis : haud absimilis est vita tua facis illius , quam Divus Paulus manu tenet, aquæ guttulâ, vel minimo flatu potest restingui. Cura valetudinem , quantùm volueris , tandem aliquando morieris , & evanescent ampla tua consilia. O homo! si tuæ naturæ humilitatem cognosceres, cognosceres utique Dei sublimitatem, teq; coram Deo despiceres. *Vt cognoscere Deum possis , te anti cognosce.* Cyprian.

3. Quid eris totâ æternitate? An orci victima? an hæres Paradisi? magnum ænigma. Potes gloriari , hoc si mediteris? nescio , quò post mortem sim iturus: corpus quidem in sepulchrum efferetur, sed quò anima? Itaque coram Deo & hominibus esto tui contemptor. Qui nequam , & nullo numero habetur in terrâ , is in cælo forsan altiorem locum obtinebit, *Domine Iesu noverim me , noverim* 16. Aug.

S. APOL-

S. APOLLONIA.

9. Februarii.

Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

S. Paul. 1. ad Cor. 13.

NEcdum, in flammas eruperat furor Decianus, cùm anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio præluſit Alexandriæ, neſcio, cujus hominis inſania. Arrogavit iſte ſibi Vatis nomen, & factis ad populum criminibus id repentè excitavit incendium, quod non niſi multo Chriſtianorum ſanguine extingueretur; quos inter facilè princeps fuit APOLLONIA Virgo, quæ invaleſcente vulgi furore, cùm jam totâ Vrbe eadem omnium vox audiretur, flammis addicendum, quiſquis Chriſto non maledixiſſet, in Virtutis ſcenam protracta eſt. Et ſanè præclarè perſonam ſuſtinuit Chriſtianã, quippe cui ore citiùs omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Chriſtus, evulſi. Quid agitis manus carnificũ? fortem eſſe APOLLONIAM, excuſſi

dentes & fractæ malæ loquuntur; ad majora tormenta provocare, nihil humile tam alta spondent principia. Ecce rogus ingens succenditur, crepant flammæ, furit populus, minantur lictores; aut Christum abjice, aut in ignem abjicière APOLLONIA; quid hîc illa? paululum apud animum suum, quasi consultans subsistit; mox, bullientè jam sanctiore sub præcordiis igne, non morata tortores, generoso ausu ipsa involat in flammas, è flammis ad cælum evolat. I nunc Scævola fortissime Romuli Nepotum: Manus tuæ miraculum Rogus hujus Virginis extinxit.

Ex Surio.

MEDITATIO
De morbis.

1. Si labores aliquo morbo, memineris Deum morbum hunc, quicumque tandem sit, permittere, ut probet & exerceat patientiam tuam; quare patiens esto, & necessitatem verte in voluntatem; murmurationes quippe, verba, motusque impatientis animi morbum tantummodo augent, ac te tuis, tibique efficiunt gravem. Quomodo morbos ferre consuevisti?

2. Quos Christus infligit dolores, hos feras æquo & grato animo; his potissimùm donis ac muneribus

muneribus cumulare solet amicos suos. Offer ipsi quidquid pateris. Dic: Domine, adauge dolorem, sed simul patientiam. Quæ Christus, quæ sancti passi fuerint, attende, inspice crucem JESU Christi, profectò tua levior videbitur, imò dices, dolores tuos nullos esse, si cum doloribus Jesu componantur. *Quid hæc ad Dominum meum?*

3. Considera damnatorum supplicia, quæ tuis criminibus promeruisti: hæc consideratio nonnihil suavitatis tuo dolori asperget, teq; à peccando prorsus deterrebit. Heu! piissime Deus, longè atrociora in inferno ferrem, si statim in peccato mors me opprimens, non reliquisset pœnitentiæ locum. Si pati non possim breviorem, ac tot solatiis mitigatum dolorem, quî fieri poterit, ut æternos ignes sustineam? Deinceps, Domine, morbos meos patienter feram, quandoquidem horum morborum brevi tolerantiâ æternos ignes redimere possum. *Hæc omnia, quæ illic finiri non poterunt, hîc redimi possunt.* Eucher.

S. VVILHELMUS, CONFESS.

10. Februarii.

Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc

exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Rom. 6.

INgentia scelera Wilhelmus pari pœnitentiâ plectere instituit. Conjugio fraternæ conjugis, Herodi non impar, cœnabat unus, quod octonis in cibum sufficiebat. Ad duella non invitabat, sed cogebat obvios, neque jam ducem se Aquitaniæ putabat, nisi factionis quoque, quæ contra Innocent. Pont. pugnabat, Dux esset. Mellea verba Bernardus ingesserat: fel merum retulit: minas addiderat; majores audivit. Ergò secundùm divina, Numine manum armatus, ad præstolantem pro templi foribus progreditur, & voce plus quàm humanâ, *hoc*, ait, *etiam temnes improbe?* Non erat hoc loqui, sed fulminare; Corruit humi ferox, & qui nulli antehac victas manus dederat, Bernardo dedit, jamque dum omnis casum populus miratur; unus Wilhelmus negat se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox Anachoretæ consilio, nudum corpus & caput loricâ & galeâ abscondit, longè maximum hostem, se, expugnaturus. Talis ad Innoc. Pont. inde Ierosolymam tendit, ibi antrum lachrimis implet & gemitibus, qui

cœlo

cælo repulsi, audirentur: Sub hæc patriam repetens, dum ex itinere castro expugnando operam vult locare, à viâ salutis penè exerrat cœcus. Tamen eâdem nocte in viam redit, recipitque, quos iterum lachrimis det, oculos. Mox solitudines montesque mutat, & à cacodæmone, qui patrem mentitus, frustra ad vitam veterem revocabat, verberibus immanibus cæditur. Medicinam tamen fecit Virgo Magna, ut tanti jam vulnera faceret WILHELMVS. Vltimò in stabulo Rhodis obiit, feliciùs utiq; quàm in palatiis vixerat. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De Conversione S. VVilhelmi.

1. ANtequam Wilhelmus morum mutationem feciſſet, impudicitiâ, impietate, crudelitate, omnium denique vitiorum genere delectabatur: Num & tu conscius es alicujus ex his criminibus? si conscius, ne desperes, Deus, qui tanto peccatori pepercit, utique tibi condonabit, si ritè confessus fueris peccata; si verò, divinæ gratiæ beneficio, in ejusmodi barathra non cecidisti, noli gloriari, siquidem: *Nullum est peccatum, quod fecerit homo; quod non possit facere alter homo, si desit creator, à quo factus est homo.* August.

2. Demum aliquando è vitiorum cœno emersit, auditis verbis S. Bernardi, qui JESUM Christum manu tenens, sic eum allocutus: *Hominibus obedire noluisti, Ecce Dominum & judicem tuum!* His dictis corruit Dux planè immutatus. Quantùm valent convertendis peccatoribus Verbum Dei, & Corpus JESU Christi! toties tu Verbum illud audis, toties corpore Christi pasceris, & tamen etiamnùm in vitiis jaces. Ubi fides tua?

3. Quemadmodum criminibus suis cuique fuerat offensioni, sic durlori vivendi ratione cuiq; fuit exemplo. Ubi vitam dissolutiorem egerat, ibi acriorem auspicatur pœnitentiam: nec huic pœnitentiæ modum imposuit, quin summo Pontifici ab se offenso feciſſet satis; Num aliquem verbis, aut factis offendisti? necesse est ut à satisfactione, & tuæ vitæ probatione pœnitentiam ordiaris.

S. VICTORIA, VIRGO ET MARTYR.

11. Februarii.

Vos estis Corpus Christi, & membra de membro. S. Paul. 1. ad Cor. 12.

GEminum VICTORIA triumphum duxit; de amore unum, de Tyranno alterum; uter pulchrior fuerit, tute Arbiter esto.

esto. Anno igitur salutis trecentesimo tertio, quod Christiani & cœtus pietatis causâ agerent, & sacros codices profano Iudici tradere recusarent; Diocletianus, & Maximianus Imperatores omnibus tormentis in hos pugnârunt. Sed quidni vincerent Christiani, quando felicissimo omine ex horum parte VICTORIA stetit, Virgo in ipsis cunis magna, magnisq; signis jam tunc futuræ sanctitati præludens? illud unum quantum facinus fuit, cùm, obstrepente auribus castissimis hymenæo, Sponso mortali in amplexus ruente, ut hos eluderet, quando alas non habuit, animos sumpsit, & à summo tecto præceps abiit, innoxia templum petiit, verbisque conceptis Sponsam DEO se devovit, frustra homine interea nuces spargente, quas illa cum rebus aliis humanis dudum reliquerat. Igitur meritò de VICTORIA Iudex desperavit, & ne à fœmina triumpharetur, incolumem cum fratre domum ire à tribunali jussit. Sed negavit illa pedem è pugna referre, negavit fratrem se agnoscere, qui non eundem patrem (Deorum cultui addictissimus erat) Christum clamaret. Itaque latâ mortis sententia Virgini palmam invitus Iudex cessit.

Interea nunquam sæpius Superi VICTORIAM clamarunt. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De vitâ activâ, & contemplativâ.

1. OMnes fideles sunt unius corporis membra, cujus caput est Christus. Alii agant necesse est, dum cælestia speculantur alii. Quàm suave est, cum rebus creatis nullũ prorsus habere commercium, & solo DEO familiariter uti, quod in cælis sancti, id nos mortales in terris agimus, unum amabilissimum Creatorem anima nostra tunc amare studet, nec eam res creatæ blanditiis suis inescant.

2. Per charitatem, obedientiam, ac statûs tui conditionem cum Magdalenâ meditari semper non licet; expedit, ut cum Marthâ agas interdum, quóne dæmonis laqueis faciliùs irretiâre. Cave tibi, ne imiteris impios, quibuscum agis; imò, si potes, aut ad meliorem vitam reducas eos, aut exemplo Victoriæ, etiam fratres ut hostes fuge, & ad JESUM confuge.

3. Speculationi, & actioni sic te dedas, ut neutra noceat alteri: legibus charitatis & urbanitatis pareas, hoc enim vult Deus: sed heu præposteram Christianorum vivendi rationem! per diem integrum mundanis incumbunt rebus, nec vel momento quidem Deo, & saluti vacant. *Nosmetipsos deferentes in illud studium omne consumimus, quæ migrantes habere non possumus.* S. JULI-

S. JULIANUS CONF:

12. Februarii.

Tuorum tibi conscius peccatorum, quomodo potes de alterius judicare peccato. Ambros. in psal. 118.

QVoties dum hostem petit, se sauciat, & suos ira! Domo aberat IVLIANVS familiam Conjuge curante. Interea parentes adsunt, & quem puerum amiserant, filium quærunt. Heu! quàm præstabat nunquam invenire. At Conjux gratulata sibi, quod benefacere etiam absenti IVLIANO in parentibus posset, humanissimis verbis hospites salutat, epulo lautissimo excipit, ab epulo in suo thalamo molliter locat, nescios funebrem se lectum conscendere. Et fortè jam filium somniabant, cùm ecce adest hîc, & ubi primùm à geminis premi lectum videt, sive nox, sive thori violati suspicio oculos fascinaverat, præcipiti vindictâ utrumq; ferro trajicit, lectumq; dum ab adulterio purgare parat, ah! parricidio maculat. Mox uxor superveniens, & dies facinus monstrant. Hîc demum IVLIANVS non longiùs fugisse se parentes, ingemiscere,

miscere, accusare parricidas manus, ultrò omnes culeos advocare, denique cogitare, qui nefas tantum seriò in se castigaret. Longum supplicium placuit, Xenodochiũ propè fluminis ripas construxit, rectiùs in hoc hospites pauperes accepturus. Et fuit cùm leprosi formam Christus induit. Hunc cùm IVLIANVS transportatum foco fovisset rigentem, mensa esurientem, & suo lectulo dormiturientem; ecce parricidii veniam manifestus vel dedit, vel olim datam nuntiavit. Perrexit tamen ille operam suam eò studiosiùs probare, quò hospitibus nobilioribus jam frequentari videbat ædes.

Ex Pet. de Natal.

MEDITATIO
De temerario Judicio.

1. *Nolite judicare, & non judicabimini;* Mat. 7. Deus non creavit te judicem alterius, sed socium. *Pater omne judicium dedit filio.* Tu si alterum judices, jurisdictionem filii Dei tibi arrogas. Meliùs facies, si te ipsum per examem conscientiæ judices, ut non judiceris.

2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Justo scilicet Dei judicio fit, ut temerè judicantes, ab aliis vicissim temerè judicentur; imò ut in defectus incidant, quos aliis impingunt,

3. *Hypocrita! ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Luc. 6. En remedium extirpandi judicium temerarium, tuos ipse defectus inspice, & alios non judicabis. Denique si dubitas de facto fratris tui, cur in pejus interpretaris? si apertè malum est, excusa intentionem, si opus non potes. Puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.

S. MARTINIANVS CONFESS:

13. Februarii.

Periculis in civitate, periculis in solitudiue, periculis in mari.

S. Paul. 2. ad Cor. 11.

Vitam solam MARTINIANUS agere cœpit octo & decem annorum adolescens. Dæmon malus ejecturus statione suâ militem, veteris serpentis exuvias induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo meritò humi eum repere post casum tam altum dixit. Quid ageret victus serpens? ut virum decipiat, iterum mulierem subornat. adest hæc panniculis involuta, & velut à viâ exerrâsset, magnis ejulatibus, ne in pabulum

ferig

feris cedat, id noctis hospitium orat: aperit MARTINIANUS à feris fœminam defensurus, se Lupæ objecturus; penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manè mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam. Videt hanc, & Basiliscum videt: audit, & Sirenem audit, & Dæmonis Victorem penè mulier vincit. Experrectus tamen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans, age dixit, lubeat peccare, si vel has flammas lubet ferre. Extinxit hic rogus Veneris ardorem, tum præcipuè cùm lachrimas meretricula etiam, damnatâ jam Venere, affudit. Cæterùm MARTINIANUS in rupem è medio mari eminentem secessit. Hîc quoque dum Charybdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venerem planè regnare in mari discit. Ecce enim naufraga puella, & ad perniciem oculorum pulchra, in rupem enatat. Hîc verò MARTINIANUS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, Lector? Delphines tergo excipiunt, & littori salvum reddunt. Vides, puto, nunc, quid in homine hi ament.

Ex Metaphr.

MEDIT-

MEDITATIO

De tentationibus.

1. NUllus locus, ætas nulla, nulla vitæ conditio à tentationibus vacat, caro ſpiritui ſemper adverſatur. O te miſerum! quod tot tentationibus obnoxius ſis, cum timore & diligentiâ attende tibi, fuge periculoſas occaſiones, ſi poſſis; ſin minus, prævide, ne pecces, cum in iis eris.

2. Ambula coram Deo, & nullis unquam vincêris tentationibus. Non cecidit Martinianus, quòd Deum præſentem cogitaverit. Videt me Deus, à quo pœnas, ſi vincar, mercedem, ſi vincam, expectare debeo: videt me Chriſtus, qui pro me ſanguinem fudit: ego verò nollem minimâ voluptate abſtinere ejus cauſâ? Hæc ſi reputaveris, tentationes quaſque ſuperabis.

3. Exemplo S. Pauli, & S. Martiniani, caſtiga corpus tuum, & in ſervitutem redige, citò citiùs fugiet tentatio. Dic cum S. Martiniano: vis hoc peccatum admittere, quo dubio procul damnaberis, agedum experire, utrum pati poſſis æternos ignes, verbera, famem. Oportet, ut cogitatione dolorum inferni, mundi voluptates amareſcant. *Quidquid ex præſenti ſæculo arridet, ex conſideratione æterni ignis amareſcet*, Greg.

S. AUXENTIUS ABBAS.

14. Februarii.

Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Christus. S. Ioan. cap. 8.

AUXENTIUS cùm eodem in contubernio non convenire Marti, & vitæ Innocentiæ perspiceret, ut DEO vacaret, vacationem à militia sibi impetravit. Neque arma tantùm posuit, sed ut miserum contra frigus amaret, tunicam ex mendicabuli humeris suspendit. Aliàs, quò pauperibus stipendia numeraret, operam suam inter opifices locavit. Oxeam deinde montem conscendit, atque iterum, sed melior miles sub pellibus vixit, omni aliâ veste abjectâ. His horridum pueri Pastores, cùm gregem amissum quærerent, feram putârunt. Sed ille, quâ erat in Juventutem humanitate, facilè se hominem probavit, imò homine majorem ostendit, cùm vates pueris absens dixit, quò greges aberràssent. Inter hæc celebrari

lebrari ab Accolis concurrentibus cœpit, cùm passim ægri venirent, sani redirent. Ipse Imperator Marcianus familiariter usus viro fuit & ad Chalcedonense concilium evocavit. Ibi dum patres præstolatur, & velut Impostor habetur, à columba cibum accipit. Verbis deinde ac Miraculis Christi divinitatem, & Virginitatem Christi Matris propugnat. Obiit denique longâ patientiâ clarus, & vermes cùm è putrido vulnere excíderent, loco suo reponere solitus. Nos delicati vermiũ nomen horremus, sed mortui baculo scilicet (ut ille canes) abigemus.

Ex Metaphr.

MEDITATIO
De Gratiâ.

1. GRatia cum lumine in eo convenit, quod nemini negetur, & unusquisque satis habeat, si uti velit. Quanta Deo debemus, nos præsertim Christiani, quos tot gratiis cumulavit? Quot accepisti? num in te vacuæ fuerunt? utere concessis gratiis, operare dum per lucem licet, memorem te Deo præbe, ne ingrati animi vitio gratiarum fons exsiccetur.

2. His certè gratiis, quas divus Aug. vocat *Coruscationes luminis æterni*, sæpiùs illustratur intellectus tuus. Quoties enim clarè perspexisti vanita-

tem mundi, & cæleſtium bonorum veritatem? Sæpiùs meditare præcipuas Chriſtianæ fidei veritates, & da operam, ut meditationibus tuis acceptum lumen magis ac magis accendatur.

3. Hoc lumen foret inutile, ſi, cùm intellectum illuminavit, voluntatem ad difficilia quæque non accenderet. Gratiæ ſiquidem eſt, grandia ſuadere, inflammare pectus, virtutem faciliorem efficere. Num verum eſt, te quandoque ad Deum tam ſuaviter impelli, ut ſacrificium tui ipſius facillimum tibi videatur? Utere diligenter pretioſo gratiæ momento: *Semen modicum eſt, ſed magnus inde fructus: in hoc momentaneo latet æternitas.* Bernard.

SS. FAUSTINUS, & JOVITA MM.

15 Februarii.

Charitate fraternitatis invicem diligentes. S. Paul. ad Rom. 12.

SUb annum Chriſtianum 132. cum Brixienſis Pontifex Apollonius metu tyrannidis fugâ ſubduxiſſet ſeſe, ne barbaro furori lacerandus Chriſti grex pateret, meliores in locum Paſtores FAVSTINVS Sacerdos, & IOVITA Diaconus ſucceſſêre. Certè animas ſuas non multò poſt impendere gregi

ſuo

ſuo non dubitârunt, cùm memorabiles priùs pugnas edidiſſent, quibus non modò Italicum Comitem, ſed Adrianum ipſum Imp. quin imò ipſos Deos triumphârunt, Solis enim Coloſſum adorare juſſi, hunc primò in Carbones, deinde in favillas redegerunt, filio ſuo Phaëtonti poſthac ſimilem. jam Leones, Leopardi, Vrſíque virtutem in Paſtoribus noſtris horruerunt, & cùm priùs Carnifices, interque hos Sacrificulum Saturni, Comitemq; Italicum laceraſſent, imperio Martyrum in ſylvas, & nemora ſua emigrarunt. Poſt tot Victorias etiam inter flammas cantare Pæana placuit. Denique ubi per omnem Italiam circumducti omnia theatra ſanguine ſuo pinxerunt, Patria rurſus excepit, & gladio cæſos coronavit. Fama obtinuit, Angelos Cælo ad vinctos devolaſſe in carcerem, & ſacram Euchariſtiam præbentibus miniſtros adſtitiſſe. Videtis Mariani, in quorum officiũ involetis, cùm ad aram ſervitis? Profectò aut muneris hujus vos non pudebit, aut Angelis ſimiles eſſe pigebit.

Ex Surio.

MEDITATIO

De Charitate in proximum.

1. HAud aliter, quàm te ipsum, proximum tuum amare debes; ad imaginem quippe & similitudinem Dei creatus est, & JESUS illius causâ mortuus, ejusmodi requirit charitatem. Quantâ pietate proximum tuum, quantâ miseratione inopes & miseros prosequeris? Ah! tantùm abest, ut proximum tuum juves, ut potiùs adversus eum invidiâ, irâ, odio, vehementiùs exardescas. Quâ ratione exceperis alios, eâdem planè excipiet te Deus.

2 Omnes homines diligito, nam Christus pro omnibus sanguinem fudit, ac omnes sunt tui fratres in Christo. At sunt infideles, hæretici, peccatores? Sint. An tibi revelatum est, eos ex infidelitatis, & vitiorum cœno, aliquando non emersuros? Forsan in cælo altiorem obtinebunt locum, quàm tu: *Deum imitare, qui amavit nos fœdos, ut ex fœdis, faceret pulchros.* Aug.

3. Sciréne cupis, an puro, sincero, & secundùm Deum amore diligas proximum? Vide, utrùm: quod tibi factum velles, illi utique præstiteris. Si paupertate, aut morbo laborares, nunquid velles, ut quis tibi adesset? An velles, ut duriùs tecum ageretur, diriperentur bona, tibi obtrectaretur, & eâdem demum ratione, quâ alios habes, alii te haberent? Si ad hanc regulam actiones tuas exquiras, vitam tuam in multis non rectam deprehendes. *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

S. JULI-

S. JULIANA V. & M.

16. Februarii.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Luc 21.

Pulcherrimâ formâ IULIANA pulcherrimè est uta. In hac enim velut speculo opificem hujus DEVM cæpit intueri. Christo igitur addictam Parentes Eleusio desponderunt, Viro nobili & urbi Nicomediæ præfecto. Sed quia superstitioni hic deditus erat, negavit IULIANA sibi fœdera nuptialia cum illo fore, qui animum hostilem in thorum ferret. Et hoc proposito ut dimoveret Parens, arietes admovit, minas; repulit virtus: Egit cuniculos, blànditias; elusit: inclusit carceri; thoro illa hunc prætulit. Tandem Eleusius ille nuper Sponsus, fit Sponsæ judex, mox in carnificem abit. Cædit verberibus, quod nuper laudabat corpus; suspendit, quibus nuper captum se fatebatur capillis; urit ferro ardores suos, artus castissimos. Et has demum illa blanditias in Sponso laudavit. Interea boni Angeli vultum indutus malus, satis ait virtuti datum esse: Dissimularet post hac pietatem,

superis cordi cor fore, quod pervium utiq; illis esset. At IULIANA, fraude inter preces cognita, vincula sua exuit, & consiliario pessimo induit. Victo verbera etiam addit. Tunc sub Virginis manu gemuit orcus & malum Angelum bonus risit. Porrò Martyr flammas ad quas damnata erat, lachrimis extinxit, lebetem ab igne ferventem precibus rupit, deniq; priùs quàm manum judici proco daret, caput dedit. Mox tamen etiam pœnas hic: Vndis enim haustus & in littus ejectus in cibum canibus cessit, dignum nactus tyranno sepulchrum.

Ex Metaphr.

MEDITATIO

Mundus magnus est liber.

1. EX magno mundi libro S. Antonius amorem, & S. Juliana Dei cognitionem hauserunt. Sunt in hoc libro res creatæ, quæ bonitate suâ Creatoris adumbrant bonitatem. Sol & Luna lucem: fructus, & flores terra suppeditat, non ad necessitatem solùm, sed etiam ad delicias. Considera hæc omnia, & gratias age Creatori, qui talia amoris sui pignora tibi dedit. Ama Deum, qui tot bona tibi creavit. Ah! si tot ac tam pulchræ res creatæ sint in terrâ, quid erit in cælo? *Si hæc in exilio, quid erit in patriâ?* Aug.

2.

2. Sunt aliæ res creatæ in hoc mundo, nobis ut noceant, quodammodo factæ. Habe Deo gratias, si quando tentabunt patientiam tuam; earum siquidem beneficio recordaris in exilio, non in Patriâ, te versari. Patere æquo animo, & tacitus tecum reputa, si tam molesta in terris, quid in inferno?

3. Considera, mundana quæque fluxa esse, Cælestia verò æterna. Moriuntur homines: Tempus tempori, Rex Regi succedit, *præterit figura hujus mundi*, extinguitur vita, evanescunt deliciæ. Pulcherrimæ, & perfectissima hujus mundi imperfectam effingunt divinæ pulchritudinis imaginem. *Tanquam fluxa pulchritudo, de stabili, & æternâ Dei pulchritudine.* Tertull.

S. SABINUS.

17. Februarii.

Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat. Christus, Luc. 9.

QUis fidem habeat? plura Pont. SABINUS vidit, cùm oculos senex amisit, quàm priùs cùm utrumque circumtulit? certè, quæ nulli oculo pervia sunt, arcana animorum & longè absentia perspexisse memorant.

morant. Et ecce adest hoc ipsum felicitet experturus Totila. Invitatus ad cœnam frugalem assidet, principem tamen locũ Episcopo Rex cedit. Paulò post miscet puer vinum, & SABINO porrigit. Hic Totila prehensum clàm manu poculum regiâ manu ministrat, nec tamen fallit oculatissimum cœcum. Capit hic & totam fraudem beneficio ingenti pensaturus, inter risum, videat, ait, hæc manus. Præmium igitur nobilis pocillator tulit, sed malum alter maximum, qui auctor esse puero non dubitavit, ut merum veneno temperaret. Erat hic SABINO in Sacris Diaconus, & longævo seni insulam invidebat, suam (ut ipse quidem putabat) hæreditatem, sed contrà factum. Hoc enim etiam pervidens SABINUS, egregium Ganymedem prælibare jubet; deprehensus ille, & mortem longam, quam meruisse se viderat, altera morte, sed brevi præoccupaturus, impigrè ori poculum admovet; sed rapit è manu Episcopus, &, i potiùs inquit, & Diacono nuntia, venenũ me bibere, cæterùm Episcopum illum minimè futurum. Simul cruce ducta poculum siccat. Non SABINUM, sed Diaconum bibisse dixisses, valuit enim hic, ille occidit. Sanitatem

vulgò

vulgò alienam se bibere ajunt: id verũ an sit, nescio. Alienam certè SABINUS mortẽ bibit.

Ex Dial. S. Greg. l. 3. c. 5.

MEDITATIO

De salute animæ nostræ.

1. ADeo potens fuit hæc Christi JESU sententia, *quid enim proficit &c.* ut omnes [inquit S. Xaverius] ad meliorem frugem adduceret, si attentiori animo perpenderetur. Saluti consulendum; *en! unum necessarium*; huic creatus es, non dignitatibus, non scientiis, non voluptatibus. Id tamen non attendis, déque congregandis terrenis bonis diu noctuque cogitas?

2. Saluti incumbendum, nec levi nec sterili conatu. Quid agis miser? in comparandis divitiis, scientiis, honoribus, profundis sanitatem; sanctitatem parum attendis. Quid, amabo te, mortis articulo proderunt divitiæ? Quid honores? Quid scientiæ? planè nihil, si animæ detrimentũ feceris. *Vbi salutis damnum, illic utiq; jam lucrum nullum est.* Cyp.

3. Sine morâ saluti adlaborandum, quia nimiùm anceps & dubia est salus procrastinantis. Vide, quantum temporis tua requirant negotia, & cave, ne totum absumat mundus. Supremo judicio de divitiis, & honoribus mirum erit silentium. Nunc tandem definias tempus, quod daturus es Deo. In deliciis malè positum, lachrimis deleas, ut paratus sis ad reddendam rationem. *Demus Deo aliquod tempus vitæ nostræ, ne diem totũ ista vanitas, & sollicitudo miseranda consumat.* Chrysol.

S. SIMEON MART

18. Februarii.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. S. Paul. Gal. 5.

DIvo Iacobo Apostolo Hierosolymis in Episcopatu successit S. Simeon, Christi cognatus in carne. Et quia non minus propinquus in Spiritu, & virtute fuerat, omnium consensu Hierosolymitanæ Ecclesiæ præficitur. Tota vita & omnibus actionibus suis Christi imitator, ne vita & moribus degener, familiaritatem, quam caro dederat, violaret. Fidelis Pastor Ecclesiæ, non Mercenarius animam posuit pro ovibus, & ut verus Christi videretur consanguineus, amorem sanguine confirmavit. Christo in morte simillimus, testamentum crucis Sigillo Genuino (Christiani stemmatis insigni) voluit subsignare, in quo animam Salvatori suo legavit immaculatam, post annorum 120. laborem sub Trajano crucis affectus supplicio.

Anno 109.

MEDIT.

MEDITATIO

De triplici Crucis genere.

1. EX imprudentia, vel ex peccatis tuis plerǽq; nascuntur afflictiones & cruces tuæ. Quid ergò pateris eas animo parùm æquo, cùm earum sis causa? Descende in te ipsum, cùm affligeris: percontare ex anima tua causam afflictionis tuæ, & dubio procul respondebit tibi: superbiæ, avaritiæ, intemperantiæ, aliisque id genus vitiis afflictionem tuam adscribendam esse; quoniam ibi desinit malum, ubi desinit peccatum. Memineris, in omnibus afflictionibus tuis animam sic interrogare: *Numquid non ita tibi factum est, quia dereliquisti Dominum Deum tuum?* Hierem.

2. Immeritas interdum cruces & afflictiones pateris, atque Sanctum Job sanctitate & miseria omninò exprimis: Calumniæ inimicorum, amicorum perfidia, inopia, dedecus, morbi ex oculis tuis lachrimas eliciunt, efficiuntque, ut vitam miseram trahas. Ne cadas animo, imò gratias Deo age, quòd in partem venias fellis, spinarum, & Crucis JESU. Quid quereris, si tecum agat Jesus, ut cum amicissimis suis, & eâ te prorsus ratione excipiat, quâ suus eum Pater? Cum Jesu ut Jesus, pro Jesu patere, & Regnum Jesu consequêris.

3. Sancti non expectant, sed expetunt, & quærunt cruces, ad easq; eâdem prorsus aviditate feruntur, quâ avarus ad divitias; tu verò eas fugis. Falleris, si credas, posse te sine Cruce Paradisum ingredi: nam *Crux Christi clavis est Paradisi.* Chrysost.

S. AUXIBIUS EPISC.

19 Februarii.

Non enim erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti. S. Paul. ad Rom. c. 1.

AVxibio patria Roma fuit, natales, & census patricii; indoles à primis annis in Christianam religionem prona. Tam nobilem civem in exilium, qui minimè debebant, Parentes egerunt. Cùm enim nuptias, ad quas hi pro imperio cogere velle videbantur, non posset aliter quàm fugâ declinare, in Cyprum abiit feliciſſimus exul. Nam fausto pede cùm in Marcum, Barnabamq; offendisset, ab illo fonte sancto tinctus, & Christianis junctus est. Mox Doctor pietatis ex discipulo factus, cùm primitias Deo sacrificulum Jovis peperisset, à Paulo magno Episcopus Soluntis est creatus. Mira dictu res, unicus Christi miles Auxibius totam sub jugum Evangelii urbem misit, & ne Auxibio careret, alterum Auxibium accivit, & Successorem in munere legit, consilium Deo probante. Nam fuit, cùm sub arbore somnum cœpit hic Auxibius, & noster

ſter ſuperveniens ſpectavit ingens formicarum agmen à latebris ſuis ad dormientẽ iter inſtituere, vatesque futuræ dignitatis caput ejus in coronæ formam ambire. Itaq; Auxibio Infulam reliquit Auxibius moriens. Tumulum ejus Aſylon ajunt fuiſſe morbidorum. Quin cum ad hunc è Papho accurrerent XL. ab orco inſeſſi, obvius ipſe Auxibius his prodiit, & cedere ſibi, ut æquum erat, è viâ dæmones fecit.

Ex Surio

MEDITATIO
In Evangelium.

1. HOmo Chriſtianus ea debet credere omnia, quæ ſunt in Evangelio, debetque audire ſingula ejus verba, ut verba Jesu Chriſti. An verè, an firmiter credis omnes veritates Evangelii? An credis Jesum tuâ cauſâ mortuum eſſe, Infernum peccatores manere, & juſtos Paradiſum? Ah! ſi verè crederes, ſanè laborares diligentiùs, ut vitares infernum, & ad cælum pervenires.

2. Parum eſt, omnia credere, quæ docet Evangelium, bona opera accedant fidei tuæ neceſſe eſt; oportet, ut probes actionibus tuis, non habere te fidem mortuam, & vanam, ſed vivam ac veram. Credis tu quidem, beatos eſſe, qui lugent, qui pauperes ſunt, quia hoc legitur in Evangelio, ni-

hilo

hilo tamen minùs paupertatem, & luctum deteſtaris. Crux placet in aris, diſplicet in corde. Quouſque facta tua fidei repugnabunt tuæ? Habe præ manibus Evangelium, præcipua ejus placita perpende, in eoque Evangelio, ut in ſpeculo, miſerum ſtatum animæ tuæ perſpicies, atque dices cum S. Hieron. *eſſe Chriſtianum, grande eſt: non videri.*

3. Ne pudeat te Evangelii partes ſuſcipere adverſus infideles, Hæreticos, impios, & ſolutioris vitæ Chriſtianos. Evangelii causâ totum ſanguinem tuum, ſi expediret, profundere deberes: Attamen ſæpè verbulo parcis, loqui metuis, dicteria times, dum expedit, impium os debacchans in Evangelium, comprimere. *Non erubeſco Evangelium.* S. Paul.

S. EUCHERIUS EP:

20. Februarii.

Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. S. Paulus. ad Tim. cap, 3.

EUCHERIO naſcituro Inſulam Aureliaenſem Angelus promiſit; dedit deinde hæc Carolus Martellus; ſed idem, cùm aures calumniatoribus præberet, peſſimo conſilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantem, quâ in parte exilii potiſſimùm

tissimùm viveret, cùm exilium esse totum orbem non malè jam tunc credidisset, cùm Monachum priùs quàm Episcopum induit. At verò gravius jam erit Carolo, cælo exulare. Certè Eucherius dum inter preces Inferorum ergastula contemplatus est, vidit hunc ipsum Carolum non jam purpurâ sed ignibus ardere, didicitque ob manus sacris injectas, spoliisque pauperum ditatos milites (time Ætas nostra) corpore quoq; jam pœnas dare. Atque Eucherio si fidem non dedit Gallia, certè tumulo potuit dare, qui apertus præter ignium vestigia vacuæque tumbæ custodem draconem, nihil ostendit. Itaq;, qui exulare virtutem regno jusserat, tumulo etiam exul fuit, cùm interim Eucherius cælo receptus rideat illos, qui Patriam in terris quærunt: neque vacuum Gallis tumulum ostendat; in illo cæci oculos suos, claudi pedes, miseri passim omnes salutem reperiunt.

Ex Surio.

MEDITATIO
De persecutionibus.

1. VIrtuti infensus est mundus: Sancti quiescere, & gaudere in mundo nequaquam possunt.

possunt. Para te igitur ad ferendas ejus persecutiones, si velis piè vivere in Christo JESU, ipsiq; ex animo servire. *Non est discipulus supra Magistrum.* O te felicem! quod ut JESUS, & pro JESU nonnihil patiaris. Quàm suaves tibi esse debent mundi persecutiones, quibus fis amicus Dei! At quàm metuendæ! quàm crudeles ejusdem blanditiæ, quæ divinam solvunt amicitiam! *O sæculum nequam, qui tuos sic beare soles amicos, ut Dei facias inimicos!* Bern.

2. Flocci facias judicia & sermones mundi, cæcus quippe, temerarius, & iniquus est rerum æstimator. Cura duntaxat, ut Deo, & conscientiæ tuæ facias satis; quod ubi feceris, garriant, obloquantur, quantùm voluerint afflictæ mundi; sibi, non tibi nocebunt. Verborum, & factorum tuorum sanctitate, palàm proba, repudiare te tum placita, tum exempla mundi. Esto paratus ad injurias, dicteria, calumnias, & dic fidenter cum sancto Paulo: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.*

3. Persevera in usu bonorum operum, & à cœpti virtutis viâ nullo modo discede. Sperne mundi conatus; hac ratione virtuti tuæ factam injuriam, & prolata in te verba, glorioſiùs ulciscêris. Mundus arma ponet, ubi invictum te deprehendet. Ora Deum pro iis, qui ansam tibi præbent exercendæ patientiæ. Benefac iis, qui oderunt te; hæc oratio, & hoc exemplum charitatis efficiunt, ut omnes mirentur tuam virtutem, eamque non pauci imitentur.

S. Mauritius

S. MAURITIVS.

21. Februarii.

Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam hominibus.
S. Paul. ad Cor. cap. 8.

NVnquam tam fortiter pro ſua Vrbe Romanus miles, quàm pro fide Romana MAURITIUS cum ſociis ſuis depugnavit, Thebeæ Legionis Anteſignano ut nomine, ita Virtute par, & cum eodem Religionis hoſte Maximiano Apameæ compoſitus, quem prior ille Agauni in Gallia ſuperavit. Pugnabat Tyrannus in piũ agmen vinculis, flagris, uncis, equuleo, ferro ac flammis; ingerebat quidquid telorum carnificum turbæ ſuggerebant. Sed ſtabat immota ad hæc omnia fortiſſima Martyrum phalanx, gaudebat in vinculis, ridebat ad flagra, hebetabat uncos ac ferrum, ovabat in equuleo, in flammis triumphabat etiam. Quare ad dolos confugere coactus Imperator, cuniculis invictum MAURITII animum tentare aggreſſus eſt. Addicitur proinde morti filius Photinus, & per hujus jugulum parentis cor petitur: ſed repulit affectum

paternum facilè Christi amor, & vicit iterũ in filio parens. Locus erat medius paludem inter & flumen, muscis, vespis & id genus animalculorum examinibus infessus. Hîc ultimum committit Maximianus. Pendet in oculis paternis filii corpus, scopus omnium militum jaculis ac sagittis; & quot mortuum accipit vulnera, tot vivo parenti reddit. Stat interim nudus in acie cum suis Mauritius, palo alligatus, melle illitus, innumeris vesparum aculeis confossus, & tamen vel sic etiam Victor triumphat in parvis bestiolis maximum tyrannum, mortemq; demum obit melle, quo manabat, dulciorem. *Ex Menæis.*

MEDITATIO

De morum honestate cum virtute Christianâ conjungendâ.

1. SI amari à Deo non possimus, quin odio simus hominibus, sanè id genus odium pro nihilo habendum. Quovis temporali damno æternæ saluti consulendum est. Unde duo inferamus oportet, alterum, nihil unquam faciendum esse contra Deum, ut acquiramus, & retineamus hominum amicitiam; alterum, nihil unquam omittendũ esse eorum, quibus possimus Dei gloriam procurare, quantumlibet

libet retardet humani vituperii & odii metus. Levior est hominum benevolentia, quàm quæ saluti animæ nostræ, & divinæ gloriæ anteponatur. Soli Deo laborare, & à solo Deo mercedem, aut pœnam expectare debemus, non ab hominibus, quorum remunerandi aut puniendi potestas cum vita perit.

2. Honesta vivendi ratio â Christianis moribus aliena non est; Evangelium quippe apprimè convenit rationi: omnibus itaque, etiam inimicis tuis, benignum te & humanum præbeas, honoratiores partes cuiquè concedas, comiter agas cum omnibus, neminem verbis aut factis lædas; hæc si feceris, Christianum te & honestũ hominem probâveris.

3. Cave nihilominus ne charitate, humanitate, & ipsâmet humilitate tuâ vanam gloriam aucuperis. Uni Deo placere studeas, cujus exequeris mandata, & cujus imaginem cernis in fratre. Hoc erit tibi facillimum, si Dominum in proximo semper intueaaris. *Vidisti fratrem tuum; vidisti Deum tuum.* Clemens Alexandr.

CATHEDRA PETRI ANTIOCHIAE.

22. Februarii.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs

sûs eam: & tibi dabo claves Regni Cœlorum. Christus. S. Matth. c. 16.

TEr felices estis, & ter sapientes Antiocheni cives, qui novam sacræ fidei auspicaturi fabricam, supra Petram prima collocatis fundamenta, Apostolico vertici Pontificiam Mitram imponentes. Bene tibi sit Syria, hodie tuæ Metropoli salus facta est per Petrum: pari beatitate imposterum tota felicitanda. Non visum est quidem in his terris humanitate vestitum Numen, non transiit hâc benefaciendo & sanando omnes; delegavit tamen vicarium suum, eadem præstiturum, quæ incarnatus ipse DEVS. Statuerunt proinde ut Petrus posthac à Fidelium universitate Dei Prorex Chtistiq; Vicarius adoraretur. Porrò crescente discipulorum cœtu, novo principi auctorati, novum nomen promerebantur: Compellati sunt igitur primùm Christiani, quod in reliquos deinde Orthodoxæ fidei Candidatos diffusum, hodiedum retinetur. Cùm septennarium annorum in urbe Antiochena explevisset, statuit impellente Numine, Romam & urbium & errorum caput, seligere erudiendam, ac beatificandam. Abiit ergo illuc Romani Pontificatûs positurus initia.

MEDITATIO
De Ecclesiâ.

1. UNa est Ecclesia, Sponsa JESU Christi, quia unus est Deus. In eam Ecclesiam singulari Dei beneficio cooptatus es: An tantæ gratiæ memorem te præstitisti Deo? una cùm sit Ecclesia, par est, filios illius, primigeniæ charitatis æmulos, cor unum, & animam unam habere. Qua ratione pacem, & charitatem foves cum proximo tuo? Amore proximi agnoscitur discipulus Christi: *In hoc enim* (ait Christus) *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis.*

2. Ecclesia sancta est, quia Christus caput ejus, sanctus est, sancti sunt ejus fundatores, in filiis ejus tot fuerunt, & sunt sancti, doctrina demum illius, cæremoniæ, Sacramenta sancta sunt. Quàm multa ad sanctitatem, tum exempla, tum incitamenta! An hujus matris dignus es filius? Compara vitam tuam cum vitâ primorum Christianorum, qui diu noctuque perseverabant in oratione, qui bona sua Apostolis dabant, ut ea pauperibus dispertirent.

3. Ecclesia dicitur Catholica, hoc est, universalis, quia per omnem terram longè lateque diffusa neminem prorsus excludit: Dicitur Apostolica ab Apostolis, qui sanctitate, doctrinâ, & sanguinis profusione eam fundârunt ac stabiliêrunt. Ut germanus sis filius Ecclesiæ, pateat cor tuum, omni-

bus opitulare. Nihil unquam facias, quod indignũ sit capite & corpore, cujus es membrum. *Memento, cujus capitis & cujus corporis sis membrum.* S. Leo.

S. LAZARUS MON.

23. Februarii.

Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.

S. Paul. 1. ad Cor. cap. 15.

IMaginem pictoris pinximus, utinam suis coloribus & tam bonis, quàm bonis ille alios Divos depinxit! LAZARVS est Monachus idem & Apelles, sed sanctior illo altero, ut qui non jam Veneres Cupidinesq; (oculorum laqueos) sed Virginem & in Virginis sinu Virginem Amorem, aliosque Cæli indigetes animare penicillo solitus est, eoque studiosiùs, quòd sub eadem tempora Theophilus Imper. sublata è medio omnia Divorum monumenta vellet, omnibusque pœnis in eos sæviret, qui non conspuerent hæc, pedibusque calcarent. Pugnabat ergò contra barbarum furorem docta manu LAZARVS, & peniculo reparabat, quidquid ferro ille in templis vel deleverat vel deformaverat. Captus igitur & ultimis tormentis

tis

tis excarnificatus, in ipso tamen carcere tot trophæa de Theophilo posuit, quot Icones Divorum (plurimæ erant) pinxit. Tunc enim verò excanduit irâ Tyrannus, ferroq;, & ipso candenti patronas Divorum manus eò usque fœdum in modum adussit, dum exanime corpus dolori succumberet. Neq; sic tamen afflictus manus victas dedit LAZARVS, sed precibus Imperatricis vitâ donatus, continuò in fano D. Baptistæ ejusdē imaginem exornare aggressus est. Idem in aliis templis, sublato è vivis Theophilo, factitavit, felici semper manu, etsi non haberet jam manum. *Ex Curopal. & Zona.*

MEDITATIO
De imagine Dei.

1. AD imaginem Dei creatus est homo; ejus memoria, intellectus, & voluntas augustissimæ Triadis referunt similitudinem. allaborandum itaque, ut exemplari quàm simillimæ sint tres illæ facultates. Quapropter memoria infinitæ Dei potentiæ continuò recordetur, consideret intellectus sapientiam filii Dei, qui factus est homo, ut homines salvaret; voluntas demum solo divini Spiritûs igne ardeat. *Diligam te vita animæ meæ.* August.

2. Impressam animæ nostræ Dei imaginem peccatum omninò deturpavit, & fœdam dæmonis speciem

eiem superinduxit ; Siquidem peccator cum Deo nullam, cum diabolo magnam habet similitudinem. Cujus es imago ? Cui similis ? An Deo ? An dæmoni ? Vide actiones tuas. Nunquid ex illis tuis actionibus non temerè argui posset, hominem esse te multis vitiis obnoxium, atque adeò te dæmoni potiùs, quàm Deo similem esse ?

3. Redde animæ tuæ priorem ejus imaginem. Christus exemplar est, quod semper habere debes præ oculis. Accipe igitur imaginem Christi de cruce pendentis, in hac imagine, sicut in speculo minimè fallaci, vitia tua deprehendes. Ut sis similis Jesu, habeas oportet spineam coronam in capite, in ore fel & acetum, & in toto corpore dolores, & cruciatus : Oportet etiam, ut & omnia facias, & omnia patiaris ad procurandam Dei gloriam. *Suæ quisq; vitæ pictor est, artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus.* S. Greg. Nyss.

S. MATHIAS.

24. Februarii.

Cecidit sors super Mathiã, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

Act. Apost. cap. 2.

QUem locum scelere infandò & morte infami vacuum Iudas fecit, eum hodie MATHIÆ virtus occupavit, numerumque

numero

numero suo carentem felicissimè instauravit, cum nobilissimo Candidato cæli etiam vota suffragarentnr. Ergò postquam Orbi bellum movere placuit, MATHIÆ provincia decreta est Iudæa, ob infensissimá populi in Christum odia, longè id temporis difficillima. Sed magnis animis hanc aggressus MATHIAS facilè debellavit. In Æthiopiam quoque excurrit. Ibi pugnatum verbis ac prodigiis persæpè, & expugnati multorum animi Christo & Mathiæ deditionē fecerunt. Interea successu rerum felicissimarum rumpebantur Pontifices, uti populi ita odii in Christianos, principes. Neque tamen aliud, quàm triumphum parabat invidia. Hunc concessit Pseudo Pontifex, cùm mortem indixit. Magnum deinde fecit populi concurrentis furor. Ornârunt præ reliquis testes duo mendaces, ijdemque carnifices, ut qui primi MATHIAM lapidibus petierunt. Hos ille velut acclamantium symbola accepit, velutiq; Triumphi sui decora tumulo secum inferri præcepit. Denique ut integer suus pompæ honor constaret, secures, quæ præferri aliàs solebant, ipse triumphator tulit.

Ex Ioach. Perionio.

MEDITATIO
De Vocatione.

1. DEus vocat unumquemque ad illud vivendi genus, in quo salutem consequi possit. Deo quasi Regi potentissimo serviunt homines cujuslibet ordinis, dignitatis, artis. An vocavit te Deus ad vitæ rationem, quam tenes? An vanitas? An divitiarum, aut voluptatum cupido? si fortè hoc ita esse deprehendas, jam puriorem intentionem & rectiorem animum habe, Deoque promitte, te deinceps hoc in vitæ genere solam ejus voluntatem & gloriam quæsiturum. Si nullum adhuc fixum ac certum vivendi genus habeas, illud duntaxat memineris suscipere, quod suggeret Deus.

2. Pete à Deo, ut ejus voluntas penitùs tibi innotescat, ut possis eligere, quod gloriæ ejus, & tuæ saluti conducet magis: Ne audias carnẽ, mundum, voluptates, commoda: in negotio cælesti cæleste requiritur consilium. Frequens oratio, austeritatum usus, sacra Synaxis, aliquot dierum solitudo huic faciendo delectui maximè proderunt. In aliis itidem actionibus alicujus momenti eundem tene eligendi modum. Semper consilium pete á Domino, nunquam negabit.

3. Vocanti Deo pareas, cùm probè intellexeris ab eo te vocari. Si S. Mathias divinæ voluntati & Apostolorum electioni restitisset, non hodie in honorem ejus festus dies in Ecclesiâ ageretur. Si Dei vocem, & divinas ejus motiones neglexeris,

ridebit Deus animam agentem! ait enim: *Vocavi & renuistis &c. ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos.* Proverb.

S. TARASIVS.

25. Februarii.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22.

PEr gradus honorum, ex quibus alii præcipites ire solent, ad astra TARASIUS evasit. Consul principio, tum inter eos, qui ab arcanis literis Imperatoribus erant, Princeps: demum Archiepiscopus Constantinopolitanus Infulam, quam alii gemmis ornant, ipse virtutibus ornavit: has inter easq; multas & pulcherrimas potissimùm emicabat animi demissio, quâ TARASIUS pauperibus, quos multos & alebat & vestiebat, quotidie cibos ex mensa sua submittebat, ipse carptor & persæpè (sub festa paschalia præcipuè) ipse dapifer. Atque hac ille virtute tantùm abest, ut auctoritatem suam, quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam Imperatoribus fuerit formidandus. Supplicem

cem certè ad aram, quem regiæ cohort per vim abstraxerant, reddi sibi suus ipse P cialis fecit. Constantino Imperatori, auct re amore vago, repudium meditanti facien tique, unus ferè sese opposuit, purpuram purpuræ, coronam coronæ, sceptróq; augu stius pedum objicere non dubitavit. Quid quod vel mortuus vivo Leoni Imperato terrori fuit. Cùm enim hic nomine etiam suo crudelior, templa passim, & in his ima gines Dei Divorumque vastaret, somniavit Tarasii imperio, à nescio quo Michaële se confossum. Et risit fortè mortem, cùm vi gil vivere se vidit; sed die sexto à Michaële Balbo confossus potuit dehinc sine su perstitione somniis credere.

Ex Surio.

MEDITATIO
De S. Missæ Sacrificio.

1. CHristus augustissimum Missæ Sacrificium in stituit ad honorem & gloriam Patris æterni; in eoque Sacrificio, cujus Deus est victima, sic honoratur Pater æternus, ut magis non possit honorari. At si Sacrificium hoc Deo honorificentissimum est, hominibus etiam est utilissimum: nam homines sperare debent, se nihil non impetraturos meritis Jesu Christi, qui singulis diebus pro nobis immol-

immolatur. Quid enim Pater negare posset sanguini, & vulneribus Filii sui? *Cùm in altari Christus offertur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporaliter suas cicatrices ostendens.* Laur. Just.

2. Ut religiosiùs Sacro interfis, memento Jesum Sacerdotibus præcepisse, ut Sacrum facerent in memoriâ suæ passionis. Sacerdos Christi, ara crucis vicem gerunt: ille ipse Deus immolatur, qui in Calvario monte de Cruce pependit. Sed heu! fortè huic incruento sacrificio interes, ut Judæi carnifices cruento, impietate nimirum, & irreligioso corporis habitu iterum Christum crucifigens.

3. Quadrifariàm dividi potest Missæ Sacrificium. In primâ parte attende ad tua peccata, pro quibus expiandis mortuus est Christus, & supplex veniam pete. In secundâ, meditare dolores Christi. In tertiâ, sacro Eucharistiæ pabulo refici ardenter concupisce, & dum Sacerdos sacramentaliter Jesum recipit, eum tu spiritualiter recipe, repetitis actibus fidei, desiderii, charitatis. In quartâ demum, gratias age pro acceptis ab eo beneficiis, & te totum ipsi consecra.

S. PORPHYRIVS EP.

26. Februarii.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. S. Paul. 2. ad Cor. 12.

PORPH-

PORPHYRIUS Hierosolymæ æger, quotidie loca sacra cùm pedibus non posset, genibus obambulabat, expeditissimam viam ad cælum credens Christi vestigia. Et fuit cùm ad pedem Calvariæ montis triste oculis spectaculum, jucundum tamen animo, objectum est, Christus cruci affixus, & ponè felicior è geminis latro. Igitur cùm latronis verbis etiam PORPHYRIUS Servatorem compellâsset, jussit hic descendere latronem è cruce, & opem ægro ferre. Descendit, osculum tulit, manuque peramanter prehensum ad Christum secum itaret, invitavit. Interea properanti obvius ipse in amplexum Servator ruit, jussitq; dulce onus Crucem suam ferre. Tulit lubens, & verò laboris pretium sanitatem abstulit. Proinde sacris initiatus PORPHYRIUS & custodiæ Sanctissimæ Crucis præfectus est. Vltimò Pontifex Gazæ inauguratus signo Crucis pluviam è cælo supplex evocavit, infamem Veneris statuam dejecit, & Manichæam mulierem elinguem reddidit; probavitque hunc in crucem amorem ipsum Numen, quando lapsos in puteum tergeminos pueros salvos parentibus reddidit & miraculosâ cruce insignitos. Illud ad posteros memorabile,

cùm

cùm fana Gazæ nobilissimæ superstitioni paterent, neque demolitionem horum impetrare jam ab Arcadio posset, supplicâsse Porphyrium vix nato Theodosio, & cùm hic alieno nutu assensum præbuisset, votorum tandem potitum omnia Deorum templa destruxisse, Deo deinde aliud in Crucis formam ædificâsse, & cineri suo, & famæ monumentum.

Ex Metaphr.

MEDITATIO
De verâ gloriâ.

1. IN quo ponis veram Christi gloriam? Si mundo servias, & ejus agaris spiritu, haud dubiè respondebis mihi: vera gloria sita est in divitiis, fortitudine, liberalitate, scientiâ. Ut autem tam brevis, & tam vana gloria comparetur; sæpiùs corporis, animæ verò semper salus periclitatur. Quid tibi, quid post mortem hæc proderit gloria? quandoquidem laudaberis, ubi non eris, & cruciaberis, ubi eris. *Laudantur, ubi non sunt; cruciantur, ubi sunt.*

2. Vera gloria à Dei existimatione pendet, *Servire Deo, regnare est.* Quàm glorioſum mihi, si meæ facta Deo, ac cælitibus per totam æternitatem probentur! Quis honos Sanctorum honori componendus, quo in cælis juxta ac in terris afficiuntur? Ambitiosi jam despicite vanos, & perbreves honores mundi; Christus veros & æternos daturus est,

quibus

quibus sanè vestra gloriæ & honorum sitis omninò expleri potest: hos honores quærite. *Si honoribus opibusq; capimur: veris honoribus, opibusq; capiamur.* Eucher.

3. Ut veram Christi gloriam acquirere possis, oportet, ut contemnas gloriam mundi, atque pro Christo, & magna facias, & dura patiaris. Sperne, age, patere: his tribus tanquam gradibus ad veram Christiani gloriam pervenies. Quid adhuc feci sti, quid passus es Christi causâ? A minimis incipe; non deerunt tibi occasiones; iis tu ne desis.

S. LEANDER EPISCOPVS.

27. Februarii.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua.
Christus. Matth. cap. 22.

COr igneum quod manu gestat LEANDER, sui in DEVM amoris est argumentum. Quem luvenis concepit ignem, extinxit nunquam: arsit quamdiu vixit. Quæris ubi primùm has flammas hauserit? in communi illo igniario virtutum, divini amoris

amoris camino, religioſorum aſceterio; hoc eſt in monaſterio. Compulſus ad mitram Hiſpalenſem, totus ignis erat, luxit & arſit. Luxit animis jam longâ noxarum caligine lippientibus, quas ad meridianam virtutum lucem protraxit; arſit Arianis, accendit eos doctrinâ, docuitque Solem juſtitiæ intueri. Nunquam quievit hic ardor, crevit ignis eundo. Non tantùm commiſſum ſibi gregē; ſed univerſum Hiſpaniæ imperium inflammare aggreſſus eſt. Vt ageret opportuniùs, cœpit à Rege Recaredo, quem ſubitò diſcuſſâ errorum nube ita irradiavit, ut diem nocti, lucem tenebris, veritatem mendacio præhaberet, fueritque Regum Hiſpanorum primus, qui Religioni Catholicæ dixerit Sacramentum.

MEDITATIO
De Amore Dei.

1. AMa Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, hoc eſt, ad unum Deum refer cogitationes, verba, actiones, deſideria, omnem denique vitam tuam. O te felicem! ſi ames, & amando poſſideas Deum: nam habet omnia, qui Deum habet, & caret omnibus, qui Deo caret: Quid adhuc amâſti? pudet meminiſſe. Amantiſſime Jesu, cognoſcant te homines,

& amabunt te, *quia parum cognosco, parum amo* Aug.

2. Ama Deum ante omnia, cùm omnia bonitate vincat. Descende in animum tuum: vide utrùm magis diligas parentes, amicos, voluptates, divitias, famam, quàm Deum? An is es, qui bonis omnibus, & vitâ quidem ipsâ citiùs carere velis, quàm amore Dei? Si aliter affectum te sentis, frustra prædicas tuum in Deum amorem, ficta sunt verba tua, fictus tuus amor, & brevi facta tua pugnabunt cum dictis tuis. *Dilige illum, qui tibi est, quidquid amabile aut optabile esse potest* Bern.

3. Scirène cupis, utrùm syncero amore Dominum prosequaris? vide; an diligenter observes ejus mandata. *Qui habet* [inquit Christus] *mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Qui secus fecerit, Deum diligere se, falsò gloriatur. Amanti Deum, & ejus mandata observanti tanta promissa sunt, ea tamen omnia pro nihilo habemus!

S. LVPICINVS CONFESS.

28. Februarii.

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Matth. 3.

EAdem studia & vitæ rationem eandem audies in Lupicino & Romano, ut me-

ritò

ritò Fratres credamus Germanos fuisse. Ambo siquidem Virginitatem à teneris coluêre; ambo hostes, qui ad Nuptias impellebant, heu! nimiùm fortes, parentes habuêre. Pugnavit tamen pro filiis fortior in hos Mors, & illi pudorem in eremum extulerunt. Aderat hostis Orcus & crebrâ lapidatione tyrones animos terrebat, jamque in eam desperationem adduxerat timidos, ut in patriam repedarent, cùm ex itinere à matronâ pia de turpi fuga notati erubuerunt, viris animos à fœmina addi, &, ut admissum dedecus eluerent, sublata manibus Crucis signa in hostem iterum verterunt, totâque Victores Eremo fugerunt. Tum denique cùm ad signa mortalium plurimi, qui contra Mundum nomen darent, concurrerent, terna castra, terna Cœnobia sunt metati, more veteri omnem inde mulierem proscribentes. Stipendium insuper cœlum dedit, cùm Lupicino defossas opes ostendit. Luxum tamen hic & delicias ciborum severâ disciplinâ damnavit, eamque ob causam signa duodeni turpiter deseruerunt. Sed his quoque reditum ad stationem suam Romanus precibus suis impetravit. Idem cùm apud leprosos divertisset, sordes pedũ aquâ,

tactu verò ſuo omnem in corpore lepram abſtergens, divitem hoſpes ſymbolam, ſanitatem reliquit.

S. Greg. Turon.

MEDITATIO
De Pœnitentiâ.

1. AGe pœnitentiam, numquid peccator es? Aquid neceſſarium magis Peccatori pœnitentiâ? Ecquid procraſtinas? Regnum Cælorum prope eſt, forſan brevi morieris; Et mortis puncto, ſi Deo nondum feceris ſatis, quid de te fiet? Quid adhuc pœnitentiæ nomine paſſus es? An credis Religioſis, non mundanis hominibus pœnitentiam convenire? Quaſi verò iis, qui rariùs, & leviùs; non iis, qui ſæpiùs, & graviùs peccant, pœnitentia conveniat?

2. Sed quonam modo aggrediar ad hanc pœnitentiam? eodem planè, quo peccâſti. Peccando res creatas Deo antepoſuiſti, jam Deum antepone rebus creatis. Suſceptis ultrò laboribus macera corpus tuum, quod voluptatibus libidinibuſq; indulſit. Mollioris vitæ es amans? omninò neceſſaria tibi eſt pœnitentia, & illa quidem pœnitentia, ſi fieri poteſt, ex corde ſuſpiria, & ex oculis fletus, ne dicam ſanguinem è venis elicere debet.

3. Perſevera in duro pœnitentiæ exercitio ad extremum uſque ſpiritum. S. Romanus tantùm non fructum laborum ſuorum amiſit, quòd parùm conſtans pœnitentiæ laboribus frangeretur. Quàm ie-

ves! quàm jucundi erunt labores pœnitentiæ! si interdum consideraveris horrendas veterum monachorum austeritates, & tormenta, quæ Christus pro te passus est. Æquum est, ut per brevissimum vitæ nostræ spatium æternam quæramus felicitatem.

Quæramus usq; in finem, unde sine fine gaudere incipiamus. Euch.

MARTIUS.

S. SWIBERTUS. EPISCOPUS.

1. Martii.

Tu si vis esse cælum, purga de corde tuo terram: si vis esse stella cæli, purga sordes terræ. Aug. in ps. 96.

HVjus etiam splendorem multò ante, quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Proprium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonienses, aliiq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cùm

primùm anno quinto decimo inter viros Religiosos adlectus fuit, multò magis posteà, cùm facere hoc impositū munus Episcopi jussit. Sed & Numen calculo suo Apostoli officium confirmavit, quando vinctum à Germanis, misso Genio bono, è carcere eduxit. Testes porrò dicenti accesserunt præter alios cæci, surdi, muti, dæmones adeò ipsi, & tres demortui; illi sani omnes à Divi manu; hi vel pulsi, vel in vitam revocati. Atque hos inter adolescentem memorant, cui vocabulum Splinterus erat. Hic SWIBERTO templum amni superstructum sacrante, dum cymbâ ludit incautus, excidit, & aquis haustus mœrore festum diem contaminat. Parentes alieni à divino cultu, defunctum in fanum proximum inferunt, & frustra omnibus precibus armatas Martis aures pulsant. Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus? Quod tamen hujus non potuit, IESV nomen invocatum à SWIBERTO potuit, & puer in vitam revocatus, plures à superstitione revocavit. Denique Stella nobilis, SWIBERTVS cùm diu in terris egisset, locum suum, ex quo venerat, repetiit.

Ex Surio

MEDIT-

MEDITATIO

Estis hodie sicut stellæ cæli.

1. Quem Sol JESUS aspicit ut Swibertum, is quantumvis antea terræ umbris nigrior, in cæli stellam eluceſcit. Cur Maria resplendet pulchra ut luna? cur Apostoli fulgent ut Stellæ duodecim Zodiaci? quia Sol JESUS eos aspexit gratiæ radiis. O JESU qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, *respice me, & miserere mei.* ps 24.

2. Vix respexit JESUS Apostolos, nec mora suis virtutum radiis Ecclesiam ceu cælum suis bonorũ operum, virtutumque radiis exornârunt *Ornamenta cælorum, sunt virtutes prædicantium.* Greg. hom. 30. Tu si non voce in cathedrâ, saltem virtutibus prædica, & Eccleſiam splendore sanctioris vitæ exorna.

3. Stellæ dederunt lumen in custodiis, vocatæ sunt & dixerunt adsumus. Stella es in Ecclesia Dei? vocatus à Deo cum Abraha, dic adsum: & verbum Domini ad amussim imple. *In cælo nulla transgressio, non demutatio, non infirmitas, non otium, sed in indefessu obedientiæ ministerio perseverat, quo exemplo in sanctis quoq; qui cælestes sunt, Dei verbum manere credendum est.* Hilarius.

S. CEADDA EPISC

2. Martii.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. S. Petrus. Ep. 2. c. 1.

MOrtem ut ne timeas, time Lector; neque enim illi olim timent, qui nunc timent: id quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in Anglia Episcopus manifestum faciet. Obiit ille anno post Orbem restauratum Septuagesimo secundo supra Sexcentesimum. Gremium mortuo Mariæ templum præbuit, ipse ægris asylon tumulum suum, cujus pulvis haustus morbidis quàm plurimis saluti fuit. Cæterùm solitus est, dum vixit, quoties vehementior cælo ventus insurgeret, humi se abjicere magnisque vocibus MISERICORDIAM DEI implorare: jam cælo graviùs succensente, & fulgura tonitruaque miscente, ad templum fugere & aram; neque ibi priùs sibi à lachrimis temperare, quàm iterum Sol rideret. Causam interrogatus, respondit: ex his veluti præludiis æstimare se illum supremum ac decretorium

cretorium diem. Vtique minùs tunc hominem fulgurantes judicis oculos, & fatalem ab arcu sententiam detonantem laturũ. Sed talis CEADDA nunquam magis serenum Cælum, quàm moriens aspexit. Siquidem septem continuis diebus aspectabiles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitãrunt emeritum, utque aures faciles impetrarent, ah! quali musicâ has demulserunt. Vltimò, cum iisdem Frater CEADDÆ adfuit, qui cùm nuper adeò in cælum iviſſet, viam scilicet nunc Germano monstravit.

Ex Bedâ, Histor. Eccl. Gent. Angl.

MEDITATIO
De signis prædestinationis.

1. TAmetsi nullus, dum vivit, omninò sciat, an electus, an reprobus futurus sit; sunt tamen prædestinationis signa propè certissima. Si miseriis, si afflictionibus premaris, easque humili ac patienti animo feras, signum est, ut dolorum, sic gaudiorum Christi, socium te fore. Timete igitur hujus mundi felices, qui habetis bona in vitâ vestrâ, & quorum votis fortuna videtur famulari; non enim Christum, sed reprobum Evangelii divitem sequimini, nec eâ, quam teneris, viâ ad cælum pervenietis; quoniam *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Act. Apost. cap. 14.

2. Alterum prædestinationis signum est rectus Sacramenti pœnitentiæ usus. Peccare omnium est; at electorum duntaxat rectè pœnitere. Cave diligenter, ne propter pœnitentiæ procrastinationem in peccato moriaris. Noli peccata jam confessione expiata iterum committere.

3. Insitum virtutis, & bonorum operum studium, pietas in Jesum, vel in Cruce morientem, vel delitescentem in sacro Eucharistiæ Sacramento, cultus Mariæ singularis, signa sunt prædestinationis nostræ. Inquire in te ipsum, vide, utràm hæc omnia signa, aut horum aliqua habeas; ea enim si in te deprehendas, Deo confide, & habe magnam spem tuæ salutis *vocationis & justificationis vestræ aliqua signa mihi videor intueri.* S. Bernard.

S. CUNEGUNDIS.

3. Martii.

Charissimi, obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam. S. Pet. 1. Ep. c. 2.

NVlla tam in diademate CUNEGUNDIS gemma, quàm in ipsa CUNEGUNDE Virginitas splenduit; quæ ut cæli oculos

mirè

mirè recreavit, ita Cacodæmonis usq; adeò perstrinxit, ut quando extinguere non poterat, offuscare saltem siniſtris apud animũ HENRICI suspicionibus sit adnisus: Sed provocavit ad flammas judices innocentia, & innoxius à ferro candenti pes, egregium inculpato animo testimonium dixit. Porrò cum thori castissimi custodem mors abstulisset, verita CUNEGUNDIS tantum thesaurum mundo concedere, in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se abdidit; cujus disciplinam cùm Uta neptis ejus laxaret, verbis sæpiùs nequidquam increpitam, tandem etiam manu objurgavit, & digitorum luculentas notas in gena ictæ reliquit, nulla deinceps arte confusas vel deletas. Morituræ de cælo Henrico obviam ijt, ad sistendum judici orbis miraculum, Imperatores Conjuges, sed Virgines: ad tumulum ejus multis vita reddita, qui cùm CUNEGUNDEM matrem suã salutarent, probârunt immeritò Virginitati sterilitatem objici; quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ Virgo cubat, infœcunda fuit, sæpe in thus, & far conversa, persuasura mortalibus, nec fragrantiorem esse Castimoniâ virtutem, neque felicius ullum germen.

Ex vita apud Gretserum. MED.

MEDITATIO
De Castitate.

1. DIfficile est, in mediis mundi deliciis castè vivere; cave, putes, leviori negotio posse te servare thesaurum puritattis; in omni quippe loco, in omni ætate, diu noctuque præliandum: Ast virtus, quâ sumus Angelis similes, sanè digna est, quæ multis laboribus conservetur: pulcherrimum hoc lilium sudoribus, lachrymis, & etiam si expedit, sanguine, rigandum est, ne marcescat.

2. Quod hominum fragilitati difficillimum videtur, favente cælo, fit facillimum; verum quidem est, absque gratia continentem esse neminem; sed ejusmodi gratia petenti, & in ea acquirenda acriter laboranti non negatur. Noli tibi fidere, humilia te ipsum, Dei auxilium flagita; hæc si feceris, Deus dabit gratiam, cujus ope carnem spiritui subjicies. Fuge diligenter vel umbram impuritatis; omnia quippe peccata, quæ puritati contraria sunt, quantumlibet levia videantur, sunt omninò periculosa. Omni curâ serva thesaurum castitatis, hic etenim thesaurus continetur in vase fictili, quod facilè rumpitur.

3. Ociùs fuge occasiones, in quibus periclitatur castitas. Ubi primùm è vivis excessit S. Henricus, Cunegundis ad Monasterium fugit; in fugâ salus & victoria. Haud multùm credas partis pridem victoriis: vel unicus aspectus deprædabitur animam tuam.

am, Non es Salomone sapientior, nec sanctior Davide, qui victi sunt à stimulo carnis. Ubi primùm flammæ minùs pudicæ in corde tuo accendentur, eas protinùs cogitatione flammarum æternarum restingue. *Si flamma luxuriæ in ossibus æstuat; protinùs illam memoria æterni ignis extinguat.* Damian.

S. CASIMIRUS.

4 Martii.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Christus. Matth. 5.

CASIMIRUS Casimiri Regis Poloniæ filius necdum Ephebis egressus, in ipsa jam adyta Sanctitatis est ingressus. Coronam Ungariæ quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tantò ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hieme nudis pedibus noctu templa obibat, purpura non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat, gnarus, nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrymatur aula; adgemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turbæ, medicinam facilem Nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille vivere,

vivere, nobilissimâ animæ parte, Virginitate emortuâ. Itaq, ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cùm candidissimo equo invectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriã monstravit. Quin cùm anno obiisset à pariente VIRGINE M. CCCC. LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum Virgineum unà cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent mactare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre.

Ex vitâ,

MEDITATIO
De Peccato.

1. PEccatum est summum hominis malum, illudq; homo vitare debet, quovis labore, & quovis damno. Tibi itaq; certum fixumq; sit, dignitates, sanitatem, & quidem vitam ipsam potiùs amittere, quàm ut vel unum committas mortale peccatum! & voluptatum causâ Deum offendis? 1.

2. Non mortale modò, sed & veniale peccatum, quâlibet jacturâ, vitare debemus, quia veniale peccatum displicet Deo, ipsumq; offendit. Communis est Sanctorum sententia, interitum hujus mundi nihil esse ad veniale peccatum. An in eadem es sententia? Quot singulis diebus venialia committis peccata? Cave, leviores morbi ad graviores deducunt. Nullum unquam quantumlibet parvum peccatum consultò committas, monet enim S. Chrys: *Ne illud parvum negligamus, quod cirò neglectum fit magnum.*

3. Non sufficit peccato tùm veniali tùm mortali abstinere; quoad ejus fieri potest, resecare debes minima quæq; vitia, & ipsa Christi consilia sequi, exemplo sancti Casimiri, qui Evangelicum castitatis consilium vitæ suæ ante posuit. Quàm longè abes ab observatione consiliorum, tu, qui vix mandatis obtemperas? *Qui non facit, quod jussit Dominus, gratis sperat, quod promisit.* Chrysol.

S. PHOCAS M.

5. Martii.

Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.

S. Paul. 2. ad Cor. cap 9.

S. PHOCAS olitor erat, sed studiosiùs ac diligentiùs animam suam, quàm hor-

tum colebat: pro semine verbum Dei, pro floribus modestia & exterior comitas, pro fructibus ei erant omnia virtutum Christianarum areæ, quæ sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem suavitatis dederunt Deo; & fructus ejus dulces gutturi eorum, qui degustabant eos. Cùm Tyrannus ex odore virtutũ ejus cognovisset, eum esse Christianum; ad capiendum illum illicò milites misit, quos PHOCAS quàm potuit humanissimè ac lautissimè tum olerum ex horto, tum charitatis hospitalis dulci convivio excepit. Post prandium cùm ex eo milites scisscitarentur, num cognosceret olitorem PHOCAM? EGO SUM, ait: illis autem tantâ viri humanitate jam cicuratis, nec violentas ei manus injicere, nec ligare volentibus, *date* (inquit) *date vincula, nihil gratius mihi feceritis.* Scivit nimirum PHOCAS etiam ligatis pro Christo manibus, liberè ac fructuosè coli posse animi nostri hortum. Ductus ad Præsidem, abscissione capitis Martyrium complevit, novus cælestis horti inquilinus, quem suo Sanguine Mercatus est.

MEDIT.

MEDITATIO

Anima nostra est horto similis.

1. QUisquis bonas fruges cupit percipere, eas serat oportet; tum sæpiùs & ferro eradicet, & igne comburat lolia, quæ ipso invito, nascuntur. Cupisne animam tuam fructus habere dignos, qui mensæ Patris Cælestis apponantur? Primum bonum semen sere in anima tua, audi tum externum, tum internum Dei Verbum: deinde eradica pravas cupiditates, quæ in corde tuo præfocant cælestis gloriæ semen. Nullos dabit fructus anima tua sine mortificatione. Nunc quidem durum tibi est, assiduis laboribus sterilem terram colere, eamque rigare lachrimis, & sudoribus tuis, sed planè jucundum erit tempore messis, id est mortis, laborum tuorum fructus colligere.

2. Largâ manu semen sparge, si messem velis copiosam, in sanctis operibus multus esto, ut multam mercedem recipias: effuso prolixoque animo Deo largire, quidquid potes, plura semper merebitur; Labora, patere, dum vivis, nam *parere possunt æternitatem pauci dies.* Eucher.

3. Olitor frustra suum hortum coleret, si cælum imbres, & astra benignos influxus denegarent, frustrà pariter colis animam tuam, si careas humilitate, quâ nimirum obtinetur ros gratiæ cælestis, sine quo rore sterilis est anima, sicut terra sine aquâ *Neque qui plantat, est aliquid. neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* S. Paulus.

S. COLETA V.

6. Martii.

Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenũ.
Ioan. cap. 6.

COLETA in vivis jam ea spectacula meruit, quæ puris mentibus Christus olim promisit, ut quæ hunc & Cælites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à Ioanne Apostolo, annulo Christo desponsa, ab hoc ipso tandem in cœlos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoq; nacta, Christum è Christi manu accepit. Aspera quæque ferre ejus amore ita avebat, ut omnes Martyrum cruciatus lubens volens persenserit, toties propè Martyr dicenda, quot Martyres cælum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasset, quibusque membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod primo omnium loco erat ponendum: | precanti

canti in conspectum MAGNA MATER se & FILIOLVM suum dederat; sed non cum, qui è sinu vel MATRI vel COLETÆ arrideret, sed qui unam jam toto vulnus corpusculo, lachrimis tuis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ cumprimis, quæ vix natum Christum, vix ipsa nata, non jam uno concidit vulnere. quin quod placet prævenire Iudæorum manus: Puerum Christum in crucem pueri agunt, nec semel aguat; Superi! quid gigantes facient, quando bellum cæio pumiliones inferunt?

Ex Steph. Ini.

MEDITATIO
De cultu sanctissimi Sacramenti.

1. CUm à Sacerdote cælestis hostia attolleretur lachrimas tenere non poterat Coleta, quia fidem vivam habebat, & amore vehementissimo Jesum complectebatur. Ita planè Jesum amares, si haberes vel minimum fidei, fleres utique, quod Christus infinitis honoribus dignus sæpissim è suis in ædibus ludibrio habeatur; fleres etiam, quod criminibus ac peccatis tuis author fueris cruenti illius sacrificii, cujus memoria nostris in altaribus quotidie recolitur. L 2 2.

2. S. Coleta impetravit à Domino, quæcunque ab eo petiit; spera pariter accepturum te, quidquid petieris à Patre æterno, meritis Jesu Christi in Eucharistiâ absconditi. Pete, imbecillior est fiducia tua. An nescis, Jesum ideò duntaxat in terris remansisse, ut tibi præsto esset? Audi vocem illius, audiet tuam; præbe ipsi, quod petit à tanto tempore, dabit vicissim, quod tu petis. *Non audivimus, non audimur: non respeximus, non respicimur.* Salvian.

3. Si vel parùm Jesum amares, exemplo S. Coletæ, ardentiùs coleres augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; si cuperes ex animo amari à Jesu, illum domi suæ sæpiùs convenires, illum frequentiùs, & religiosiùs comitareris, sive cùm solenni pompâ in publicis supplicationibus circumfertur, sive cùm ægrotos adit. Quid multa? ut amicus cum amico, sic ageres cum amantissimo Jesu. Volo Domine, volo amare, quandoquidem immeritum me & indignum amâsti. *Diligam te Domine toto corde meo, quia prior dilexisti me.* Aug.

S. THOMAS AQVIN.

7. Martii,

Vos estis Lumen mundi. Matth. cap. 5.

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, infans oblata fortè in scheda verba,

ba, quibus MARIAM salutamus, illicò devoravit bellaria omni Infantiæ danda. Puer in bulla sua Mundum agnovit, coque ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosa fuga egregiam pugnam edidit, Veneremq; ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatū est, victoriam gratulati Angeli, Baltheo Virginitatis victorem exornarunt. Ille posteà doctrinam virtuti socians, ita de Republ. Christiana meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram Christus è cruce tulit illis verbis; *Benè de me scripsisti Thoma, merces tua qua erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud BENE emendicarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cùm feciſſet, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministro assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Deniq; in unam DEI gloriam conjecit oculos, atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ

animi intentione se meruisse. Itaque astra, in quæ collimavit, facilè obtinuit: nos quia oculo non cælum amplissimum, sed Scopũ terrã pusillam statuimus, toto cælo erramus.

Ex Surio.

MEDITATIO
De S. Thoma.

1. DUm vixit Angelicus Doctor, sol fuit Ecclesiæ, & post mortem reliquit opera, quorum luminibus errorum tenebræ dispelluntur. Portentum fuit scientiæ: studuit, & scripsit solius divinæ gloriæ causâ, ideoque Christum audivit, ita sibi gratulantem: *Benè scripsisti de me Thoma, quam mercedem accipies?* Quid respondisses tu? qui legis, & scribis, ut servias tuæ vanitati, curiositati, cupidini. Perperam studet, quisquis suis in studiis aliud quidpiam quærit, quàm voluntatem, & gloriam Dei, quàm propriam, & alienam salutem.

2. Hic sol non solùm lucens, sed etiam ardens sacris ignibus, multorum animos accendit. Curramus ad fontes Salvatoris, unde S Thomas tantum hausit amoris divini; ex iis pariter hauriemus scientiam Sanctorum, sine quâ futilis, & periculosa est alia quælibet scientia. *Nihil prodest eruditio, nisi scientia Dei coronaverit.* Hieron.

3. Sol perpetuò movetur: S. Thomas perpetuò agit. Et sanè frustra tot luminibus perfusisset, nisi allaborâsset divinæ gloriæ, nisi, quæ sciebat, ad

usum

usum reduxisset, & exemplo confirmasset, quod docebat verbo. Viri docti! ex vobis multum requiret Deus, nec leves vos manent pœnæ, si quos scientiâ, eosdem virtute non superaveritis. Cavete, ne scientia, quam â Deo accepistis, inflet animos vestros. *In nullo gloriandum est, quando nihil est nostrum.* Cyprian.

S. PHILEMON M.

8. Martii.

Non tardes converti ad Dominũ, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccl. 5.

DEdit hodie Cælo risum PHILEMON, cùm terris tantùm pararet nimis doctus minus, Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus, cùm & scelus facere, &, ni faceret, pœnas dare metueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetq; ut APOLLONIUM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIUM, veste, vultu, gestuque mentitus omnium oculos, &, quod mirêre, suos adeò fallit, repentè advertit non vestẽ modò, sed animum etiam Christianum se induisse.

induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat Negat dæmonibus litaturum. Denique jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere APOLLONIUM exclamat Præses Arianus, jubet Tibicinem PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientem. Mox re omni intellectâ cachinnũ tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisq; benè simulasse PHILEMONEM Christianam Religionem ait. At PHILEMON seriùs, jam soccos exuerat, & cothurnos induerat. Quare ad preces ejus tibiæ igne cælesti exustæ, ipse, cùm manus admovere & aquam nemo auderet, à cælesti manu è nube aquâ primùm mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est. Inde unà cum vero APOLLONIO trajectus ferro pedibus per urbem raptatus. Vltimò ad arboris truncum religatus & sagittis imperitus est. Sed hæ omnes vel in aëre steterunt, vel in arborem exerrârunt. Vna etiam viam relegit, oculoque judicis Ariani hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam ante non viderat, fidei lucem, injecto (contrà quàm fieri amat) in oculum è PHILEMONIS tumulo pulvere.

Ex Metaphr.

MED-

MEDITATIO
De conversione acceleranda.

1. VOx electorum est: *Dixi nunc cœpi.* Ps. 76. non differam in crastinum emendationem meam, ne fortè, antequam dies crastinus illucescat, mihi ferale illud carmen occinatur: *Stulte hac nocte morieris.* Nunc igitur dum tempus est acceptabile, & dies salutis, dum ætas floret, occasio adest, Deus fores cordis pulsat, cæli janua patet, nunc hac horâ, hoc momento cum Philemone Vocem Domini audiam, & non obdurabo cor meum.

2. Vox reproborum Corvorum est: cras, cras, quæ te fortè cras occidet. Audi Aug. Serm. 16. de verbis Domini: *hæc res est, quæ multos occidit, cùm dicunt cras cras, & subitò ostium clauditur.* Neque enim Chrysaorius crastinum diem, quem pro pœnitentiâ desiderabat, obtinuit. Qui pœnitenti veniam promisit, diem crastinum non promisit.

3 Quò diutiùs differs, eò difficiliùs emendaris. Si enim hodie tenellam plantam eradicare negligis, in quernum robur excrescet, quomodo tunc extirpabis? stultè agit, qui tunc vitam vult vivere meliorem, cum desinendum est vivere: & verò pœnitentia sera rarò est seria. igitur *esse bonus propera, nunquam nimiùm properabis, qui non est hodie, cras minùs aptus erit.*

S. FRANCISCA ROM.

9. Martii.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. S. Paul. ad Philip. c. 20.

COelum non terram habitâsse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cælum cum Franciscâ, aut Franciscа in cælo fuit. Ægræ Medicus D. Alexius astitit; Assisium pergens itineris comitem ipsum Franciscum habuit. Gabriel modò Inferos ei, modò Cælos monstravit. Tutelaris quoque cum Filio Evangelista nuper mortuo supervenicns, Archangelum se esse prodidit: Nempè semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad eius vultum recitare VIRGINIS officium (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solùm cæsarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat, idem, cùm perperam aliquid gestum erat, erubescere visus, imò quandoque subducere se. Semel etiam Franciscæ, quòd aurem profanis sermonibus, licet invita, præbuisset, pugnum impegit, quem

quidem

quidem (audaces nos!) etiam cùm accerſimus prætextata verba, non metuimus. jam ſub ultimos vitæ dies hic Nobiliori Angelo locum ceſſit. Ipſa Cæli REGINA ſæpè ſæpiùs aſpectu ſuo Franciſcam recreavit. Filiumque ad complexus & oſcula propinavit. Hic ipſe quoties decumbenti aſſedit, dictiſque animum demulſit, vel mutus ſolatio futurus? quoties ſe cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas ſe mutavit, & nunc naſci iterum, agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemque obire iterum, triumphare iterum viſus eſt? Sed & agnũ iterum induere, & lateris fonte illud Nectar fundere ſitienti voluit, quod omnes olim biberemus, niſi mundi lacunas ſitiremus.

Ex vita.

MEDITATIO
De Obedientia humili.

1. S Franciſca vixit 40. annos cum ſuo conjuge ſine ullo prorſus vel minimo diſſidio, quia hoc unum volebat, quod conjux. Si quietiorem vitam velis, te præpoſitis tuis quaſi Chriſto obedientem præſtes, & careas ultrò propriis commodis ac licitis voluptatibus, ut in omnibus, in quibus nullum erit peccatum, totum te ad ſuperiorum nutum,

tum, arbitriumve fingas. Tua obedientia nunquam erit ſine præmio.

2. Plerumque anxio & inquieto es animo: unde hoc? Ex eo ſanè, quod vel nullo modo, vel certè coactâ & repugnante voluntate obtemperes iis, quorum DEUS te ſubjecit imperio. Si vis eſſe verus obediens, propriam exue voluntatem: Res planè difficilis! ſed difficultas hæc à ſanctis alacriter ſuperatur. Quàm felicem vitam duceres, ſi tua voluntas cum voluntate præpoſitorum omninò congrueret?

3. Alienum etiam à Mandatis judicium ne habeas. Non eſt inferiorum, ſuperiorum judicare mandata, niſi clarè divinis legibus repugnare videantur. Sic Jeſus ſubditus erat Mariæ & Joſepho, ut ad utriuſque arbitrium, ſuum ipſe judicium lubens componeret. Jeſum imitare: nam, quæ tibi præſcribuntur, ſi tui judicii lance examinare conſueſcas, nec hilaris, nec facilis, nec digna mercede erit obedientia tua. *Neſcit judicare, quiſquis perfectè didicit obedire.* Greg.

S. CODRATUS M.

10. Martii.

Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini. Chriſtus, Luc. c. 12.

Adeſte

ADeste & aures advertite, qui Matrem, qui ubera matris, & sinum clamatis molliculi: suum etiam superis lac est. Matrem CODRATUS in cunis amisit, neque tamen non molliter est educatus. Etenim nube miraculosâ implicitum Numen fovit, & Ambrosiâ scilicet enutrivit delicatũ. O pluribus cæli hanc instillate, plures ut CODRATOS habeamus! Nimirum à cælo lactatus cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, & cæli amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce enim verberant crudelem in morem CODRATUM tortores: Aërem, non CODRATUM verberant. Nunc minas Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit, & promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio imbuti; cum cantu ivêre, & illo, si judices vel Cælitum aures rogâsses, longè suavissimo. jam verò cùm capite sunt truncati, gaudio demum diceres exiliisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem sanguine pinxerunt, fontem reddidit, sed qui Christianorum pro Christo mori volentium non pelleret, sed accenderet sitim.

Ex Surio. MEDIT-

MEDITATIO
De compositione voluntatis nostræ cum Divinâ.

1. DEi providentiæ penitùs te committere; amens quippe est, quisquis resistit Omnipotenti. Itaque certus, nihil fieri contra divinam voluntatem, ut in secundis, sic in adversis rebus acquiesce: hac ratione & vives felix, & placebis Deo, imò verò id si velis unum, quod vult Deus, tuam semper facies voluntatem.

2. Deus melius novit, quæ tibi prosint, quàm tu ipse: noxia sæpiùs expetis; similis es pueris, stultis, & phreneticis, quibus nec venenum, nec gladii permittuntur, ne sibi mortem conscisçant. Erit aliquando tempus, cùm divinæ providentiæ grates referas, quod ratione nunc tibi ignotâ tecum agat, & quod tibi ea deneget, quæ vehementiùs concupiscis. Excipe grato, & lubenti animo, quidquid boni, aut mali tibi acciderit, dumque res tuæ prosperè cadent, hujus prosperitatis indignum te fatere. *Gratias Deo non minùs in prosperis agas, quàm in adversis, & cùm prospera sunt, te non meruisse fatearis.* Euch.

3. Deus tibi daturus est, quod tuæ saluti conducet magis. Pater tuus est, an in dubium revocare potes ejus amorem? Magis te amat, quàm tu te ipsum, utpote qui totum suum sanguinem fuderit pro salute tua, pro quâ vel minimum laborem refugis. Quotiescumq; afflgeris, memento, afflictionẽ tuam à Deo Patre tuo permitti: *Sicut enim semper Deus, ita semper pater.* Euf. Emiss.

S. MAR-

SS. MARTYRES ANTIOCHIAE.

11. Martii.

Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alterã.

Christus. Matth. cap. 3.

ANno partæ salutis CCCVI. eò furor Imp. Maximini barbarus Antiochiæ pervasit, ut neque famem crudelem extensi per craticulas Christiani, lentóque igne assati exsaturare, neque sitim cruentam flumina jam sanguinis possent sedare. Tantùm verò abfuit, ut ad hæc exhorresceret Christiana Philosophia, ut sponte sua (Numine utique invitante) ad mortem per præcipitia, & undas ruerent, promptiores ad excipiendam mortem, quàm ad inferendam tyrannus. Inter hos jure suo laudem hodie fert Matrona (Pelagiam Ambrosius dicit) cum filiabus geminis. Hæ Antiochiam ducendæ pulcherrmè se exornârant, iterq; fœminæ pede ac animo virili sunt ingressæ. Ex itinere Mater non quidem Vitæ, sed tamen pudori Virginum timere cœpit, non ignara, quoties hic ludibrio tyrannis fuisset. Et

jam

jam è geminis tyrannis plus puer Amor Maximino terrebat; cùm Numen animos addidit, ut è ripâ in subjectum flumen generoso saltu se abjicerent; Venerem in Regno suo expugnaturæ. Diu, veluti lusitabundæ choreas ducerent, secundo flumine descenderunt, tandem haustas inter preces vortex placidè recepit: imò ut favere Nymphis nostris scires, vestibus suis quàm decentissimè tectas ad litus exposuerunt, cùm litus æternũ meliusq; dudũ animæ tenerent.

Ex Ambros. & Euseb. Chron.

MEDITATIO

De triplici gradu patientiæ.

1. PRimum patientiæ gradum tenes, si congruò divinæ voluntati animo patiaris, quidquid tibi acciderit mali à Deo, ab hominibus, à te ipso. Itane pateris? S. Job acerbissimam rerum vicissitudinem tulit, hæc sola repetens verba: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini Benedictum.* Meditare auream hanc sententiam, & in afflictionibus tuis eam usurpa: ne te dedas lamentis, sollicitudinibus, murmurationibus: sed constanti patientiâ fatiga, & vince inimicorum tuorum malignitatem. *Fatigetur improbitas patientiâ tuâ.* Tertull.

2. Secundum gradum adeptus est, qui sitit labores, & nullam prætermittit patiendi occasionem.

Sic

Sic alteram alapam, & martyrium ipsum hi sancti Martyres, sic tolerantiam tot pœnitentes expetiverunt. Num verum est, hoc unum te laborare, ut nihil labores? Cælum tamen cogitas: cave, tibi ipsi blandiris. Viâ duntaxat S. Crucis itur ad patriam; si enim alia fuisset brevior, ac mitior, eam utique docuisset Christus.

3. Tertium deniq; attigit patientiæ gradum, qui lætus & alacer labores patitur. In afflictionibus, ac persecutionibus lætabantur Apostoli, & ibant gaudentes, cùm digni habiti fuerant pro Christo aliquam contumeliam pati. Gaudete (inquit ipse Christus) si vos oderit mundus, quia me priùs odio habuit. Acceptius & gratius Deo nihil est hilari Christianorum patientiâ. *Pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur.* Minut.

S. GREGORIUS MAGN:

12. Martii.

Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorũ.

Christus. Matth. cap. 5.

ULtrò mendicabulis jacuæ paterent, si latitantem in iis CHRISTVM vel Angelum cerneremus, Tales hospites Gregorius habuit, & ob eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad hunc evectus inter

primas curas habuit medicinam gregi suo quærere, quem pestilentia totâ passim Italiâ, sed Romæ potissimùm lacerabat. Placuit, morte tam atrociter grassante, ad MATREM VIVENTIUM confugere. Hujus proinde effigiem cùm tota urbe supplicabundus circũtulisset, Angelum vidit, qui iratum jam diu capitibus ensem vaginæ redderet; & aërem noxium purgari vel inde animadvertit, quòd in eo cælestes voces gratantes CÆLI REGINÆ de morte victoriam audiit. Ita servatis domi civibus, foris etiam Christianum Imperium amplificavit, adjecto Anglorum Regno. Libros deinde lucubrare est aggressus, qui etiam hodie Doctorem suum Spiritum S. probant, quem quidem specie columbæ obvolitantẽ capiti ejus non unus vidit. Sed & ad preces illius Angelorum panis in carnem abiit, & hæsitanti fœminæ fidem mysteriorum fecit. Tale columen Christiani orbis subruere tamen Mauritius Imp. cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium morte ipse non unâ luit, toties mortuus priusquã moreretur, quot sub securi filios vidit mori. Ipse idem fatum cum conjuge contra omnium parentum vota ultimus subiit. GREGORIUM verò mortuum ferunt Anno DC.

DC. IV. sed rectiùs vivere illum etiamnum, & immortalem vivere in suis libris dicemus.

Ex Surio

MEDITATIO
In vitam S. Gregorii Magni.

1. MAgna fecit Gregorius: abdicatis terræ bonis, Religiosum ordinem ingressus est; Romæ sævientem pestem precibus suis cohibuit; misit in Angliam præcones Evangelii. Multa præscripsit ad commune bonum Ecclesiæ. Tu abstinuisti aliquâ voluptate? An peccatorum quempiam ad meliorem vitam revocâsti? Utinam tu ipse ad frugem rediisses; inde tamen auspicari necesse est.

2. Magnus fuit scientiâ, ut patet ex ejus lucubrationibus, quæ redundant doctrinâ planè cælesti: nec mirum, siquidem sæpè columbæ specie visus est Spiritus sanctus ejus auribus insusurrans, quæ scibere debebat. Si minùs libros possis componere, ut S. Gregorius, potes eos legere, & ex iis haurire scientiam salutis; potes tuos docere fidei mysteria, ægris adesse, afflictos solari: idne præstas?

3. Summus ille Pontifex nusquam major visus est, quàm in doloribus & humiliationibus. Cum admirabili patientiâ acriorem articulorum morbum passus est, laudari nolebat, servus servorum Dei voluit appellari, pascebat pauperes. Pontificiam dignitatem diu recusavit. Num ille magnus, qui mundi sublimiora nihili facit? memineris, veram

Christiani magnitudinem esse, magna facere, & parvum se reputare. *Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem, magnum te nescias.* Bernard.

S. EUPHRASIA.

13. Martii.

Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Christus. Matth. 6.

NOn facilè ulla alia Virgo splendorem generis sui, ut EVPHRASIA, novit æstimare; quippe quæ alios, quantumvis nobiles thoros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expetiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat; cùm ut amor facilè omnia sibi fingit, quæ arridٍent, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata, illicò in crucem involavit, & Amatum complexa etiam ipsa, æternum illi suos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accep-

accepit. Interea litteræ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EVPHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re sua, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortali Sponso mortalem anteponere. Itaque jam liberè Amori suo vacans, sub dio cibi suique aliquando in trigesimum diem, sæpiùs in septimum oblita, ab Inferno rivali in puteũ præceps acta, ferventi perfusa oleo, aliaq; perpessa, cùm satis jam Sponso se probâsset, ad nuptias est evocata. illas splendidissimè adornari vidit in cælo, quæ ascetorio Magistra præerat, cóque abductam EVPHRASIAM à Sponsi MATRE corollâ nuptiali & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EVPHRASIAM fuisse, quam tanto studio Matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo Filio conciliabat. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De Jejunio.

1. S. EUPHRASIÆ vita perpetuum fuit, & quidem rigidissimum jejunium, Christus, & san-

cti omnes jejunârunt. Debes, quantũ tibi per vires licet, eos imitari, ut perceptam in cibo ac in potu immoderatam voluptatem luas. An delicatior es puellâ annorum 13. quæ hac ætate pœnitentiam exorsa est? Non te deficiunt vires, sed voluntas.

2. Jejunare debes, ne caro pugnet adversùs spiritum. Quò magis deficit corpus, hoc virtus crescit magis. Scito, tuam tibi carnem esse infensissimam. & duriùs, quàm par sit, vix haberi posse. Si Sancti, qui corpus suum castigârunt jejuniis, ciliciis, verberibus, hanc tamen carnis rebellionẽ experti sunt, quid tu? qui adeò illi indulges?

3. Si propter affectam valetudinem, inediam sustinere minimè possis, potes oculos ac linguam cohibere; hæc abstinentia non nocet sanitati, sanctitati verò plurimùm confert. Prô stupor! insontes ac Sancti atrociùs in sua sæviunt corpora; nos verò sontes atque peccatores pœnitentiæ nomine nihil pati volumus. *Medicinam, quam invadunt sani, discant quærere vulnerati, & bonis etiam parva lugentibus, ingentia ipsi mala lugere consuescant.* Eusеb. Emiss.

S. PETRUS ABBAS.

14 Martii.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est â me.

Christus. Matth. 51 Quàm

QVàm Alites beati familiares PETRO, & PETRVS viciſſim illis fuerit, ex iis, quæ narrabimus, perſpicies. Tyro in Religioſa Claræ Vallis diſciplina cùm eſſet, obdormiſcentis, inter preces Matutinas, latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratiſſimus PETRO monitor. Aliàs cùm avocante capitis dolore à ſociis abitum è templo pararet, illa repentè verba à Cœli choraulis cani audivit, LAUDANS INVOCABO DEVM, atque his voculis delinitus facilè dolorem oblitus eſt, perrexitq; etiam ipſe cœptas preces decantare, etſi inter Olores illos non malè Anſerem ſe putaret. Illud amœniſſimum ſpectaculum oculis PETRI accidit, videre, cùm meſſis tempore labori cum ſuis Intentus eſſet, Virginum Reginam MARIAM geminâ cum aliâ Mariâ (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per ſegetes ambulare, ſociisque & laborantibus ſolamen addere, & fatigatis ſudorem abſtergere illâ manu, quâ, cùm lubet, nubes abſtergit, & cœlum ſerenat. Certè tanti eſſe PETRVS credidit VIRGINEM vidiſſe, ut, cùm ex ægritudine alterũ deinde oculorum amiſiſſiet, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum

suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterum beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

MEDITATIO
De triplici bono Orationis.

1. QUàm glorioſum ſit in oratione cum DEO colloqui, nemo novit, niſi qui divinam noverit Majeſtatem. Si uni duntaxat homini orandi copiam feciſſet Deus, ipſiq; promiſiſſet, daturum ſe, quidquid ab ipſo rogaretur; omnes profectò ad eum hominem accurrerent, ut ejus precibus alii alia impetrarent. Jam autem orare, cuiq;, ubique, & ſemper licet: ad hæc Dominus pollicitus eſt, ſe facturum omnium poſtulata; & nolumus poſtulare! & hanc Deo loquendi gloriam negligimus! *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis.*

2. Oratio eſt veluti clavis Theſaurorum Dei: ejus operâ tum naturæ, tum gratiæ bonis cumulamur. Deus in gratiam orationis pleraque prodigia facit. Experire, quid poſſit: Ad Deum ſicut ad Patrem tuum confuge, ſed humiliter quidem ut pauper, qui probè ſentit ſuam paupertatem, & indignum ſe reputat, cui aliquid concedatur: ſi quid obtinueris, illud acceptum refer Bonitati & meritis Chriſti. *Aſcendit oratio, deſcendit miſeratio.* Aug.

3. Nihil dulcius, quàm orationis tempore Deo fami-

familiariter uti; tunc Deus cognoscitur perfectiùs, & ardentiùs amatur. Et hæc cognitio, & hic amor comprehensorum perfecta felicitas est; viatorum autem inchoata. Te ipsum testor, num lachrimæ, quas peccatorum dolor elicit in oratione, suaviores sint, quàm quæ tuis verbis possint explicari?

S. LONGINUS.

15 Martii.

Centurio autem, & qui cùm eo erant custodientes JESVM, viso terræ motu, & ijs quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè filius Dei erat iste. Matth. cap. 27.

LONGINUM ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori & è cruce pendenti & tumulo condito custodiæ causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, authori etiam suo salutares, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit, tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, &

cùm facinus jam ſuum ac judæorũ videret, pectus planxiſſe, & teſtimonium divinitatis Crucifixo dediſſe. Id cùm & tunc & in publico poſt concilio feciſſet, odiumq; ingens ſibi conflaſſet, Cappadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit judæorum, & miſſi à Pilato, qui caput Longini referrent. In hos dum fortè offendit, ipſe cognitos incognitus domo excipit, habetque perliberaliter. Poſtridie Longinus Longinum prodit, mirante, & teſſeram hoſpitii frangere ipſo hoſte renuente. Sed animos addit Longinus, jamq; Martyrum purpuram ambiens, veſtes candidas induit, animamq; cælo, caput Pilato dat ferendũ. Hic nobile ſpolium in fimetũ abjecit; Prodidit tamen iterum ſe Divus, &, ut ſepulchro caput cum filii cadavere conderet, matronam oculis deſtitutam monuit. Itaque tantum theſaurum reperit cæca. Sed & oculos unà reperit.

Ex Metaph. & vita Chriſti Germ.

MEDITATIO
De vulneribus Jeſu Chriſti.

1. UT JESUM redames, aſpice vulnera manuum, pedum, ac lateris ejus. An poſſem te non

non amare, suaviſſime Jesu, cùm tam acerba meâ causâ tuleris! Sanguinem fudiſti, ut ex faucibus tartari eriperes me, & omnia paſſionis tuæ merita mihi ultrò conceſſiſti. Per ſacrum lateris vulnus, ſive cor Jesu, anime mi, ipſi loquere, & tibi viciſſim loquenti aurem præbe. *Per foramina corporis patent mihi arcana cordis.* Aug.

2. An deſperationis ſpiritu tentaris propter ſcelera, gehennæ timorem, aut ſalutis difficultatem? An ſuperbiæ? an libidinis? quacumque demum vexeris tentatione, fuge in apertum Jesu latus, ipſumque Jesum audies dicentem tibi: Quî fieri poſſet, fili, ut mortem tuam vellem ego, qui pro te mortuus ſum? hoc unum volo, finem ponas peccatis tuis: nam ſi ex me tot cruciatus expetierit Pater meus ob peccatum Adæ, quid ex te?

3. An opprobriis, mœrore, doloribus afflictaris ſic, ut nec habeas quidem, qui te conſoletur? Advolâ in latus Salvatoris, en Aſylum! en! refugium tuum, ibi conſolatorem, amicum, protectorem invenies. Vide quid pro te paſſus ſit Chriſtus. Tuos illi dolores expone, illumque audi ſuos exponentem. Ejus extenduntur brachia ad amplexū, patet cor ad perfugium. *Opera manuum tuarum Domine ne deſpicias, vulnera manuum tuarum, precor, ut aſpicias.* Auguſt.

S. ABR.

S. ABRAMIUS EREMITA.

16 Martii.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorũ. Iacob. 5.

ABRAMIVS nobili loco natus, ipſo feſto nuptiarum ſuarum die, cùm domum ſponſa ducenda eſſet, damnato thalamo, & ſponſæ & mundo ſe ſubducens, in loca ſola aufùgit. Inde ſacris initiatus, efferam gentem longâ patientiâ & ſupra quàm credi poteſt, magno labore Chriſto ſubegit. Sub hæc Maria Neptis ex fratre, quam ille à teneris, moribus optimis ac ſummâ pietate imbuerat, cùm ſemel lapſa eſſet, per omnia denique vitia voluta; ex Eremo demum in mundum (hoc eſt ex cælo in orcum) præceps ivit. Iam publica infamia & ſcopulus audiebat Caſtitatis, cùm oſtento divinitùs objecto ABRAMIVS Draconem vidit immani rictu columbam incautam deglutire, qui tamen mox medius ruptus aëri

&

libertati pavidam redderet. Hoc viso animatus, cùm & fugam lapsæ & reditum respiscentis non malus vates ominatus esset; ingenium ecce exerit, & id ætatis senex mitem induit, atque urbem petit. Hîc, qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captatâ in tempore occasione; quis sit aperit, cur venerit, exponit. Tum verò verbis DEO plenis aggreditur, & primô mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit: quid multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi, ais, Columba capta? nempe gemuit.

Ex vita. PP.

MEDITATIO
De pretio animæ nostræ.

1. DEus creavit animam nostram ad imaginem & similitudinem suam, immortalem illam quidem, ac præstantiorem cæteris rebus creatis, quibus nempe eam voluit dominari, donec corpore exuta ad cælos volaret. Agnosce, ô homo, animæ tuæ dignitatem, ipsi labora, aspernare corpus, & omnia terræ bona; ea quippe prætereunt, & longè absunt à præstantiâ animæ tuæ. Quid agis, miser? ut servias corpori, perdis animam tuam.

Miserere animæ tuæ placens Deo, 2.

2. Pro omnibus mortuus est Christus; imò (quæ ejus bonitas est) pro solâ tui ipsius animâ totum suum sanguinem ultrò profudisset. Anima mea pretio suo adæquat sanguinem Christi, quandoquidem effusus est in ejus redemptionem. Quid ergò leviorem propter delectationem dæmoni trado animam, Dei sanguine redemptam? An dæmon dedit aliquid in ejus redemptionem? An vult? An potest eam verâ ac perpetuâ beatitudine donare? Demus animam nostram amantissimo Jesu, qui eam redemit, ut beatam efficiat.

3. Ex his duobus punctis hæc duo inferas oportet. 1. Citiùs rerum omnium jacturam faciendam esse, quàm animæ. Divitiæ, honores, voluptates, valetudo nihil sunt ad animam. 2. Nihil esse Deo glorioſius, nihil gratius Christo, quàm conversionem animarum, pro quibus sanguinem dedit, quem sanè in labentis orbis firmamentum denegâsset. *Sanguinem fudit unicus Dei filius, erige te ô anima, tanti vales.* Augustin.

S. GERTRUDIS Virgo.

17. Martii.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Christus. Matth. cap. 11.

GERTRUDEM quoque ob sanguinem, quem nobilissimum inter Gallos habebat,

bat, sanctè superbam vidisses. Quare, cùm eam Juvenis (è Principe & ipse familiâ) sponsam sibi à parente Pipino peteret, ipsumque adeò Regem Dagobertum, qui tum fortè epulo hospes aderat, oratorem haberet; contempsit tamen mortalē Sponsum GERTRUDIS, & jurejurando palàm firmavit, non nisi immortali nupturam se, nec aliam dotem præter cœlum admissuram. In has deinde leges à morte Pipini Virginem D. Amandus Christo despondit. Mox cœli prodigia castissimam sponsam honorârunt. Nam precantem ignes, & è cœlo delapsa sphæra visa est coronare; & ejus ope servati Nautæ à mortis periculo, quod immanis cetus jamjam minabatur. Sed vel nomen GERTRUDIS pro scuto fuit, mersitque subitò, quod navim jam mergere videbatur, monstrum, jam diem ultimum, quem quidem ut nuptialem GERTRUDIS amavit, Monachus illi prædixit Ultanus, comitatum è cœlo D. Patritium, & beatos Angelos spopondit. Virtutis odorem etiam à morte tumba, quam longè antè fieri ipsa mandaverat, suavissimum spiravit. Ipsa, ne vivere etiam mortuam dubitates, diversorum oculis se objecit cœlesti luce circumfusa. Visa

etiam

etiam ignes graſſantes à monaſterio, illo velo avertere, quo impuras olim flammas ſuffocaverat. Tam facilè etiam indomitum Vulcanũ eſt vincere illi, qui Venerem vincit.

Ex Surio,

MEDITATIO

De ſuavitate divini obſequij.

1. FAcilius eſt, quàm creditur, Deo ſervire; mandata ejus gravia non ſunt. Conſidera ſingula Dei mandata, & cognoſces quàm leve, quàm jucundum ſit onus, quod nobis impoſuit. Quæcumque præſcripſit, rationi omninò conſentanea ſunt, ac noſtræ conducunt utilitati. Morem gerimus principibus terræ, Mundo, cupiditatibus, aut impoſſibilia, aut iniqua, aut nocentia petentibus, & abjicimus ſuaviſſimum Chriſti jugum, ad quod ferendum nos etiam adjuvat ipſe Chriſtus. ***Non eſt durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat.*** Auguſt.

2. Ad ſerviendum Deo plura nobis ſuppetunt auxilia, gratiæ plures, plura incitamenta; & ſi qua ſit amaritudo in obſervatione mandatorum ejus; tot conſolationibus, tot deliciis cœleſtibus temperatur, ut plerumq; evaneſcat. Adhæc exempla Sanctorum, quorum vitam legimus, vel quorum etiamnum miramur ſanctitatem, faciliorem reddunt uſum virtutis.

3. Spe mercedis omnis minuitur labor; hac ſpe illectus opifex, lubenter & acriter laborat; adit miles

miles discrimen vitæ, & mercator naufragium non timet, Merces, quæ me manet certissima est, eam mihi Deus promsit; fidelis est, non me fallet; & hæc merces erit sempiterna. Quàm ergò, quàm leves sunt labores nostri ad tantam mercedem!

S. CYRILLUS EPIS.

18. Martii.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.
Christus. Matth. 5.

Quò Zelosius pro Ecclesia Hierosolymitana excubabat Cyrillus, eò dammosiùs eam subvertere moliebatur juratissimus religionis Christianæ osor Julianus, Apostasiæ notâ infamis. Hic ut Christi dogmata tolleret; subdolè statuit Iudæorum ritus unà cum templo resuscitare. Irritos licet conatus vaticinatus sit Cyrillus, nihil tamen his motus Apostata, vel reluctante Numine urgebat opus. Sed Prophetam fidelem invênit Cyrillum: nam repetitis terræ motibus concussa nova moles, in lapidum chaos corruit; ex cujus ruinis major surrexit Christianorum Ecclesia. Porrò sollicitus

erat pauperum æconomus, quidquid conquisivit, liberalissimè in egenos profudit Cyrillus; & sui & templi ornatum neglexit, quin & vendidit, ut viva Spititûs sancti templa, pauperes restauraret. Hoc unũ pænosum in eo criminati sunt Arriani, ei Pontificatum invidentes, quod dicerent: *Sacrã Ecclesia supellectilẽ vendidit, ut pauperes sustentaret.*

MEDITATIO
De commiseratione.

1. Commoveri debes miseriis proximi tui, sive morbo crucietur, sive laboret egestate, & ita debes commoveri, ut non sterilem quidèm, sed efficacem habeas eum juvandi voluntatem. Quot omittis occasiones miseris benignè faciendi? Nullâ re ad Deum magis accedimus, quàm misericordiâ in pauperes. Si nolis, aut nequeas opem iis ferre, ora Deum, ut ipse ferat, & ipsi gratias habe, quòd malis, quibus premuntur, te liberaverit. *Nihil tam divinum homo habet: quàm de aliis benè mereri: fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Greg. Naz.

2. Misereat te hominum peccatorum: Divites quamvis & felices videantur, profectò sunt digniores commiseratione, quàm invidiâ; & hoc magis miseriam eorum lugere debes, quòd se miseros minùs sciant, minùsq; remedium curent. Eos mone, si ex officio debeas, aut prudenter possis, in quo

periulo

periculo versetur eorum anima: pro illis Deum ora: Amove eos ab occasionibus peccandi, adhibitis amicis, authoritate, divitiis. *Noli vitæ hujus felicitatẽ pravis hominibus invidere, sed condole.* Dami.

3. Num tu ipse dignus es, cujus alios misereat, tùm propter afflictiones tuas, tum propter peccata tua? si propter afflictiones tuas, patiens esto; Christus, & sancti omnes vixerunt in laboribus, doloribus, lachrimis; si propter peccata, miserere tui ipsius, & sana quamprimùm vulnera animæ tuæ.

S. JOSEPH.

19. Martii.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, iis contenti sumus.

Paulus Ep. 1 ad Tim. cap. 6.

COmpendium laudum IOSEPHI dedero, si convixisse IESV & MARIÆ dixero: huic Sponsum integerrimum, illi Nutritorem sedulũ. Arcanorum ergò conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Vtraque VII. fuisse, binis è D. Francisci cœtu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum Nuntius, quo non nisi DEO plenam Mariam intellexerat: tum de-

inde aures recreârunt ad cunas Magni Infantis choraulæ nobiles ; Sed longè demulsit suaviùs Nomen quod ipse indidit, dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis, quæ Servatorem Puerum; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum, quæ DEVM loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atq; aliis gaudiis cumulârant. Illud demum delitiis inundavit, cùm, quod chariſſimum habuit pignus, amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa dolorum fuêre: tristis primò, quem à Virgine parabat, secessus; tum pauperes cunæ & prima, quæ imbribus præluſit, sanguinis pluvia; mox gladius Simeonis cor sponsæ, non nisi per præcordia Sponsi petiturus; post fuga præpropera & Archelai tyrannis; demum amissa in uno puero bona omnia; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quot ante lætitiæ dubiam utrinque victoriam fecerunt. Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium addidero, mortem inter IESV & MARIÆ amplexus. Quid enim acerbius, quàm hos ex oculis dimittere? quid dulcius, quàm ab his oculos claudi?

Ex lib. 3. Carthagenæ.

MEDIT

MEDITATIO
In vitam S. Josephi.

1. S. Josephus MARIÆ sponsus fuit, haud dubiè singularem propter puritatem. Quàm gloriosum tibi, Vir sanctissime Sponsam habere, in cœlis & in terris Omnipotentem, ac tuæ voluntati aprimè consentientem. Esto castus, humilis, & modestus, ut S. Josephus, & adamabit te MARIA. Ad sanctitatis apicem brevi perveniet, qui Sanctũ hunc imitatus, DEVM præsentem, ac singula videntem semper cogitaverit.

2. Josephus fuit JESU nutritius parens, & ipse JESUS erat subditus illi: Vide humilitatem Salvatoris, qui, cùm in Augusti, aut Herodis Regiâ nasci potuisset, pauperem & incognitum sibi voluit patrem, qui quotidiano sudore victum & vestitum ipsi procuraret. Exemplo sancti Josephi nunquam separeris à Christo, eum testem habeas omnium actionum tuarum, & cum eo sæpiùs colloquaris, fac (ut ait Aug) *locum* Christo *cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem creator tuus.* Hæc si feceris pauperi, Christo feceris.

3. S. Josephus inter beatos JESU & MARIÆ amplexus expiravit. Piam ac sanctam mortem cupis, huc cogitationes, huc actiones tuæ referantur: cole, invoca S. Josephum; affirmat quippe S. Theresia, se nihil non impetrâsse meritis S. Josephi. Semper in ore habeas, sed præsertim instante morte, pulcherrima & suavissima nomina JESU, MARIÆ, Josephi.

S. JOACHIM.

20 Martii.

Quicumq; enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Paulus. Rom. 8.

JOACHIMVS è Regia Davidis stirpe assem suum trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cùm in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab ara tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. En pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat; potuit ignoscí tempori tam magna parturienti, potuit IOACHIMVS hac una filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium Patris facturus, cælo Filiam, cui debebat, vix trimulam dicat, & templo jam tum Ancillam sacrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam

ab

ab ara extimescens. Ipse certus de Servatore sinum Abrahæ petit, inde paucis post annis triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex, omnium parentum gloriam nunc exæquat. Summa est ejus, genuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem peperit. *Ex S. Ioan. Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Maria.*

MEDITATIO
De filiis adoptivis Dei.

1. NAturâ unus Christus filius est Dei, Christiani verò omnes adoptione & gratiâ. Pater est Deus, Jesus frater, cælum hæreditas. Sursum anime mi! ad maxima & suprema natus, ab infimis & minimis abhorreas. Filius & Hæres Dei non inescari debet terrenis divitiis, nec doloso & vano dignitatum splendore decipi. *Ego verò terram calcare didici, non adorare.* Clem. Alex.

2. Ut verè nomineris, & sis filius Dei, necesse est, ut in actionibus tuis agaris Dei Spiritu. Deus gloriam suam semper quærit, tu quoque eandem Patris tui gloriam semper quærere debes: degeneras, si animum deprimas ad humiliora. Vide, cui labores; si hominibus, operam ludis, illi enim aut nolunt, aut nequeunt, dignam laboribus tuis dare mercedem. *Benè & laudabiliter factum compensare mundus nec ingratus solet, nec gratus potest.* Thom. Mor.

3. Quisquis agitur Dei Spiritu, fidenter procurandæ divinæ gloriæ allaborat; nec favens judicium hominum quærit, nec timet adversum: sufficit illi, si Deus remunerator eum videat. Nusquam & nunquam ab officio suo discedit, quia ubique & semper Deus eum videt. Si ejus suscepta coram hominibus malè cecíderint, non movetur, certus, Deum ejus voluntatem & intentionem cognoscere.

S. BENEDICTUS.

21. Martii.

Beati sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit, vigilantes.

Christus. Luc. cap. 12.

BENEDICTUS puer ludum cum eremo mutavit, satis jam magnus Philosophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multò post malus Orci pullus merulam mentitus, ingens sub animo libidinis incendium excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus sanguine id extinxit; ut, quando Poëtæ rosas olim omnes candidas volunt fuisse; ex his spinis primùm credam erubuisse. Secundum hæc cùm socios legeret, multa admiratione digna fecit, multa passus est: illud lepidum etiam memoratu: Discipulum, qui

à

à divinis ante finem subducere se amabat, attentioribus oculis arbitratus, vidit à Stygii coloris Nano vestis orâ prehensũ è templo trahi. Castigavit virgis vagum, & ecce parvulus etiam ille è Styge Maurus tergum, ne virgis daret, fugæ dedit. At BENEDICTVS castra sanctissima in monte Cassinate locavit: illic eversо Apollinis fano, postquam veriora cum aliis multis, tum Totilæ inprimis oracula dedisset, famâ, & discipulis orbem implevisset, sibi etiam denique vates sepulchrum parari jussit, & inter suorum manus, ut Ducem decebat, stans oppetiit. Mox duo Magistrum carpere viderunt in cælos viam, amplam illam & veste pulcherrima stratam, multisque luminibus coruscam. Eam tunc nescio quis Cœlitum viam BENEDICTI; D. Bernardus illius leges dixit: ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices, & Reges calcarunt. Nam viam ad cœlum expeditam & jucundam quærebant, vel Mundo Doctore.

Ex S. Greg. M.

MEDITATIO

De vitâ, & morte S. Benedicti.

1. UT primùm Benedictus mundi vanitatem intellexit, mundum despexit, & fugit in solitudi-

litudinem, ubi assiduis laboribus, & mortificationibus corpus suum maceravit: Tu verò à tanto tempore nôsti vanitatem mundi, & pericula, quæ in eo reperiuntur, mundum tamen amas; non te fugit, nullius esse fidei, ipsi tamen fidis! Alios mundus fictis fefellit bonis, nunc verò ab iis damnatur, à quibus olim colebatur. Quid ergò eum non deseris? *Vix hoc habet mundus ut fallat: solidis bonis carebat, ecce! deficit etiam caducis.* Eucher.

2. Benedictus mundum aspernatus est, & à mundo nunc honoratur. Reges, Principes, & homines innumeri cum conveniunt, ut precibus ejus commendent sese, ejusque Sanctam vivendi rationem imitentur. Si mundum dilexeris, te despiciet, si despexeris, te diliget. Tempus remunerandi videtur Deo longius & tardius, nam etiamnum certantes gestit coronare. *Quàm mihi tardum est, divina Benignitas, sanctos tuos imposterũ glorificari.* Eus. Emis.

3 Mundi victor Benedictus tandem è mundo discedit, moritur in templo, stans in mediis fratribus suis, quibus mortis suæ horam prædixerat. An tibi revelatum est, quomodo & quando morieris? Religiosi Ordinis sancti Benedicti sunt filii, & corona sancti hujus fundatoris; tua item opera sunt filii tui, qui te post mortem sequentur, teque vel accusabunt, vel defendent coram Domino.

S. CAT-

S. CATHARINA SVECA.

21. Martii.

Plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioan 16.

INfans CATHARINA respuit impurarum Nutricum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed, cùm pupas induti dæmones verberarent dormientem; etiam has sibi Venerem jussit habere. Viro Nupta dotem Virginitatem attulit, & Arrham Virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panniculis, licet è Principe familia esset, involvit. Quæ virtus ita cæli Reginam cepit, ut vultu blandissimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis oculis Socrum, quòd vestium luxum hæc amaret. Interim centonibus CATHARINÆ DEVS purpuræ splendorem non semel addidit. Romæ cùm ageret, pudicitiæ custo-

dem

dem B. Sebastianum sibi legit, opemq; sæpiùs ejus præsentem sensit. Gravius nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere, quàm Virginem Angeli verbis salutâsset. Castigavit tamen Mater Magnam clientem suam, cùm præter Brigittæ Matris & virorum Religiosorũ voluntatem patriam cogitaret. Visa est enim sibi CATHARINA inter Mundi laborantis incendia, frustra opem à Virgine rogare, ni Majorum voluntati parêret, & patriam cælo posthaberet. Mortua est pridie virginis Annunciatæ, cùm plures annos quotidie animum confessione expiâsset. Funus Ericus Rex suis humeris extulit. Cælum stellam legavit, quæ funus comitaretur. Miraris nobiles funeris curatores? Nobiliores anima habuit Angelos.

Ex Surio.

MEDITATIO
De Passione Jesu Christi.

1. COntemplare JESUM cruci affixum, vide, quid in singulis corporis sui partibus patiatur. Sacrum illius caput spineâ coronâ redimitum est; facies livore decolorata; manus ac pedes perforati; totum denique corpus plagis lacerum, acerbissimis doloribus cruciatur. En JESUM meum!

par

par est, me illi similem esse; in hac similitudine posita est felicitas & perfectio mea. Heu! deliciis affluo, dum JESUS satiatur opprobriis! *Non decet sub spinis coronato capite membra latere delicata.* Bern.

2. Quemadmodum corpus, sic animus Christi acerrimis doloribus cruciabatur; prævidebat enim, passionem suam multis hominibus inutilem fore; miserabatur Judæorum cæcitatem, & supra modum tangebatur tristitiâ, suspiriis, & lachrimis Matris suæ, quæ cum dilecto discipulo juxta crucem stabat. O Luctuosum spectaculum! An siccis oculis JESUM & MARIAM intueri possum?

3. JESUS tam ignominiosam, tam crudelem mortem oppetere voluit, ut ab Inferno me liberaret; funditus perieram, nisi mortuus fuisset; tanto favore indignus eram, ego tamen tot beneficiorum immemor, adeò non paratus sum ad fundendum sanguinem meum pro Christo, ut etiam suspirium & lachrimulam ipsi petenti denegem, & nova veteribus addens peccata, cum semper offendam. *Agnosce, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est, Christum vulnerari.* Bern.

S. OTTO CONF.

23. Martii.

Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum

ſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Paulus. ad Col. 1.

ROmæ natus OTTO Palladi primam ætatem devovit. A Pallade deinde ad Martem tranſiit, utroque propitio. Nam & litteris excultus & armis præſtans Lothario Imp. cùm hic Innocentio III. Pont. contra Pſeudo Pontificem auxilium ferret, ita volente, veteri Majorum gloriæ Equitis etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæquè calcaria Virtutem exſtimulant, uti aurea. Quod tamen DEVS ſub ſuis ſignis militare vellet OTTONEM, oſtendit, quæ Mundus ſuis ſtipendia numeraret. Proin dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid. Imp. arma gerit, ſperatq; palmas & triumphos, captivus carcerem ab hoc aufert, & vincula. Adeſt tamen D. Bernardus precibus vocatus, & dormientem ex hoſtiũ manibus non vano ſomno educit. Squallor carceris, & fames longa alium vultum OTTONI induerant, ut facilè omnes falleret. Liber ergò arma in ſe vertit, ſibi bellum indixit. Locus caſtris metandis placuit Beneventum inter & Aſculum. Sed & propu-

gnaculum

gnaculum ingens extruxit cellam humilem Tela preces erant. Vulnera ab hostili manu nulla, honestissima à sua manu tulit. Ita sese subjugato, Arinnensium quoque superstitionem aggressus expugnare, effecit, ut qui ad id tempus Iani bifrontis imaginem, quà publicis quà privatis ædificiis præfigebant, Christiani Christum potiùs præseferrent, quàm DEOS ridiculos. Iisdem imminentem ob scelera non modò ab Agarenis, sed Christianis etiam vastitatē, & ruinam prædixit; cui tamen ipse morte subduxit sese.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De voluntariis corporis afflictionibus.

1. JESUS pro te mortuus est; sed, ut tibi prosit mors ejus, oportet, ut voluntariâ corporis afflictione cum eo moriaris, & adimpleas in carne tuâ ea, quæ desunt passionum ejus. Ita passi sunt Sancti omnes, ut patet ex eorum vita, in qua laboris, crucis, doloris nomina tam sæpè repetuntur. Quid dicis ad hæc? Quid adhuc pertulisti pro eo, qui pro te tam dura pertulit? *Qui tantum sentulit, scit, quantum reposcat.* Eucher.

2. Pati debes, ut honores, & imiteris JESUM patientem. Ah! si ex animo JESUM amares, cu-

peres

peres vehementer, esse similis Jesu. Considera Dominum tuum de cruce pendentem, attende & vide, utrùm dolor tuus sit, sicut dolor ejus. En! *à plantâ pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas*; toto vitæ suæ tempore passus est; tu verò semper in deliciis, semper in voluptatibus. An existimas, viam esse aliam ad cælum præter eam, quam nobis indicavit?

3. Abstine primùm nonnullis licitis oblectationibus propter Jesum crucifixum; tum in honorem passionis ejus aliquid patere; aspectu Jesu in Cruce patientis dulcescet, quidquid tibi amarum videtur. Tantùm debes Christo, ut pro Christo mori deberes; attamen, quæ ejus bonitas est, non mortem, sed amorem quærit. *Si debitum non morte solvimus, amore solvamus.*

S. PIGMENIVS M.

24 Martii.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat, Christus. Ioan. 12.

INgratis servire nefas esse, didicit PIGMENIVS, Iuliani Cæsaris olim Magister: hoc unum

unum ab eo recepit Minerval, ut in exilium pelleretur: non alterius delicti reus, nisi quod SS Martyrum ossa colligeret, & sacrâ reverentiâ tumularet. Jussus igitur Principis Apostatæ declinare terras, secessit in Persidem, ubi soli Deo vacans aliquamdiu exul delituit; reliquam vitæ ibi clausurus periodum, nisi aliter jussisset cælum. Jam cæcus, imperante Numine, Romam repetiit, tunc tandem à discipulo suo coronandus lauro dudum promeritâ. In urbe Juliano obvius, visus est amicus esse Cæsaris: nam hic conversis in cælum oculis: *gratiæ inquit Dijs immortalibus, quòd iterum videam Pigmenium*: Sed nihil fucatis hisce blanditiis motus Pigmenius graviter reposuit: *Gratias Deo meo, quod non videam Imperatorem idolis servientem* Excanduit ad hanc libertatem Apostata, & absque morâ, Sanctum in Tyberim projici imperavit; in hac Naumachiâ Victor vel invito Cæsare, navalem lauream reportavit.

MEDITATIO
De triplice cæcitate.

1. EXpedit, ut in hoc mundo sis cæcus, captivans intellectum tuum in obsequium fidei, & ea credas, quæ nec videre, nec intelligere potes. Ita credere debes mysteria SS. Trinitatis, Eucharistiæ,

ſtiæ, & alia bene multa, quæ fides credenda proponit. Quid mirum, ſi capere non potes hæc altiſſima myſteria? quandoquidem, quod eſt præ oculis tuis, imò te ipſum, & quod in te fit, capere nequeas. Deus non eſſet Deus, ſi capi poſſet. Credo, quia Deus dixit, *& ſufficit mihi ad probationem, dicti cæleſtis oraculum.* Salvian.

3. Eſto cæcus in omnibus, quæ pelliciunt ad malum; cave, ne oculos in quamlibet partem temerè conjicias, alioquin & accendetur libido, & mentis tuæ tranquillitas perturbabitur. Nunquam aſpexeris, quæ nec deſiderare, nec habere potes ſine peccato. Omnia verè vitia per oculos cor ingrediuntur, egrediuntur verò per eoſdem oculos ex corde tuo pietas, humilitas, puritas. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* David.

3. Eſto cæcus in culpis alienis, niſi ex officio tuo aliorum vitia, & peccata tenearis obſervare. Intuere duntaxat egregias eorum tum naturæ, tum gratiæ dotes. Si ſequaris hoc conſilium, nec ſuperbies, te ipſum comparans cum aliis, nec alios propter eorum vitia contemnes. Attende tibi, in te unum inquire; non enim alienæ, ſed tuæ vitæ reddes rationem.

ANNUNCIATIO B. M. V.

25 Martii.

Ingreſſus Angelus ad eam dixit. A-

ve

ve gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.

HIc ille dies est, quo non tam VIRGINI, quàm mortalibus omnibus salutē Cælum nuntiavit. Nam, cum Homini consulere in humana imagine DEVS statuisset, eámq; in rem olim præ omnibus sibi in Matrem MARIAM legisset, ad illam Legatum Gabrielem misit, qui postulata exponeret, & VIRGINIS Cœlitum nomine assensum peteret. Fecit hic imperata, & lætissimum illud Ave, lætus MARIÆ tulit, aliaq; in laudem addidit, quæ Angelum imitantes homines meritò quotidie gaudemus iterare. Sed nunquam pulchriùs illa erubuit, quàm ad tot laudes suas, mirante nimirum honorem suum modestiâ, quâ nemo unquam minus agnoscit dotes suas, nemo minùs libenter extolli audit. Itaque aggressus timorem adimere beatus Nuntius, Matrem fore vaticinatur Dei; inde nomen adjicit Filii; Sceptra item & regna (omnia æternatura) promittit. MARIA, vel quod, quinam virgo parituta esset, nesciret; vel quod Mater sine Virgine esse nollet; longè magis hæsitare, & de pudore, quem DEO voverat,

anxia, quî id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit; ANCILLAM modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimum, FIAT, pronuntiavit. Tunc HOMO DEVS, & DEVS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO, quod DEVS fecit, refecit: & unico verbo, quo hic orbem ante creavit, illa recreavit.

Ex S. Luca & Ioan.

MEDITATIO
In Annunciationem B. V. M.

1. HOdie MARIA fit Mater Dei; humilitas, & puritas ejus, tantum honorem ipsi pepererunt. Prô! quanto mihi gaudio est, divina MARIA, excelsissima hæc dignitas tua! Verùm si es Mater Christi, Mater es utique Christianorum. O me felicem! ut Dei genitrix omnia potes, ut mater mea omnia cupis meâ causâ! possum etiam, si volo, per fidem, gratiam, charitatem, Christum in meo corde concipere; Nam *etsi secundùm carnẽ una Mater est Christi, secundùm fidem tamen omnium fructus est Christus.* Ambr.

2. Hodie JESUS fit frater noster, ejus in nos amor eum nobis similem facit, ut ipsi similes efficiamur. In terram descendit, ut ad cælum ascendamus. Adoro te, Verbum caro factum in castissimo Virginis utero! utinam dono aliquo pretiosissimum donum tuum rependere possem! Tuum

est. Frater amantissime, quidquid sum, & possum.

3. MARIA est Mater nostra, JESUS frater: An digni sumus filii MARIÆ, an digni fratres JESU? purissima, humillima, & obedientissima fuit MARIA. An iisdem virtutibus præditi sumus? JESUS studuit semper gloriæ sui Patris, & animarum saluti. An idem nobis est cum Fratre nostro studium? Num potiùs JESUS ingemiscens jure diceret MARIÆ: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*? Cant. 1.

S. LVDGERVS EP.

26. Martii.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione. Paul. ad Col. 4.

COelo, priusquam lucem aspiceret, charum esse LUDGERUM apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egressus, cùm mortem illaturus utrique crederetur, obstetricis instar fuit. Vix verba fingere blæsa, vix gressum firmare scivit, cùm magnam in parvulo indolem studia prodiderunt. Neque enim ille, ut amat ea ætas, ludicris delectari, sed jam tum seria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti similis, aut scriptitanti assidere. Quare compellatus à nutrice, quî diem transegisset;

vel libros, respondit, scribendo, vel legendo scriptos. Iterum quo Magistro usus esset rogatus: DEO, subjecit. Talem in familiaritatem suam Musæ, & in ipsa adyta sapientiæ admiserunt; quam ut in alios effunderet, ad Frisones Saxonesque contendit. Episcopus Monasterii primus Cænobium etiam Werdense extruxit, &, cùm nemora densa obsisterent, ad hæc exscindenda famulis ventis est usus, qui noctu, eversis latè arbustis, aream amplâ ædificio parârunt, unâ tantum arbore relictâ, quæ precantem Ludgerum texerat. Illud etiam memorabile: Carolum M. cui inprimis charus erat, tertio vocatus, dum preces, quas Canonicas dicimus, recitaret, neglexit adire, & appellatus ea de re, respondit, cum majore Principe sibi colloquium fuisse. Atque hæc, quæ offenderet, delicatiorem ætatem nostram, libertas, chariorem etiam Carolo fecit, meruitque hic, dum Astra Alcuino Doctore usus contemplatur, novam stellam in cælo videre, Ludgerum mortuum.

Ex Sur. & Lippeloo.

MED-

MEDITATIO

De Oratione.

1. ORationi semper vacandum est, ut semper nobis suppetat divinum auxilium, quod planè necessarium est, ut non deficiamus in tàm variis tum animi, tum corporis necessitatibus, & ut visibiles & invisibiles hostes vincamus. Non potes, inquis, perpetuò orare; ora certè, quàm poteris, sæpissimè, principio nimirum, & fine actionis alicujus momenti, & dum erit tentationi resistendum.

2. Ora cum singulari reverentiâ, & modestiâ, ut, qui te viderint orantem, ad pietatem excitentur. Deus in oratione & applicationem animi, & humilem requirit corporis compositionem. Et quidem religiosa ac humilis corporis compositio multùm confert ad interiorem pietatem. An loquereris cum Principe, ut quandoq; loqueris cum Deo? Quàm præcipiti voce vocalem recitas orationem! Initio tuæ precationis cogita, adesse te coram Deo, coram quo tremunt Cherubin, & Seraphin; & eâ, quâ par est, humilitate, & modestiâ, Deum affaberis: sed prô dolor! *Sæpiùs ipsa etiam oratio vertitur in peccatum.*

3. Attentio requiritur ad orationē; Deus quippe spiritus cùm sit, vult adorari spiritu. Sæpè contingit, ut os tuum Deo loquatur, cùm animus peregrè est, nempe in divitiis, voluptatibus & aliis rebus,

bus, quas amas. Cor ipsum, non labia petit Deus. *Quomodo te audiri á Deo postulas, cùm ipse te non audias.* Cyprianus.

S. RVPERTVS EPISC.

17 Martii.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei.
S. Petrus. Ep. 1, cap. 5.

SAnguinem suum, quem ad Franciæ Reges Ducesq; Hiberniæ referebat Rupertus, tum nobilem esse probavit, quando Vangionum Episcopus, Virgis servilem in modum per urbem cæsus, & in exilium est actus. Sed nobilissimo Exuli dignum domicilium patuit Bojaria. Huc evocatus in exilium inde superstitionem misit, & primus ferè Boijs patriam suam cælum ipse exul ostendit, regemq; primò Theodonem, tum proceres, mox populum magno numero sacro fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem Sacrorum Juvaviæ (quæ hodie Salisburgũ est) posuit, mox Cœnobiũ hîc templumq; D. Petro; alterum dein montibus, idq; D. Maximiliano sacrum, velut præsidium sanctæ Religionis imposuit, prodigiosis ignibus tunc nobile. Sub hæc in patriam magnis

gnis itineribus contendit, novasque auxilia-
res copias Viros XII. adduxit, sui planè, ut
aliud nihil dicam, similimos. His adju-
vantibus bellum sanctum; totam penè Bo-
jariam Christo subegit, templaq; veiut pro-
pugnacula pietatis plurima passim exstruxit.
Inter hæc utique & pulcherrimũ ornamen-
tum patriæ, & firmissimum munimentum,
Ædes veteris Oetingæ numeratur, DEIPA-
RÆ sacra, ut quando huic omnia se debere
Boij fatentur, multum profectò etiam Ru-
PERTO debeant, qui Religionis Tutelam e-
am, VIRGINEM inquam, princeps conci-
liavit. Obiit ANNO DC. XXVIII. fati sui
certus & diei. Parentare lachrimis omnes
Boij, sed Angeli cantu festivo visi: illi sor-
didati, hi candidati, ut nosses illos funeri,
hos animi triumpho adesse.

Ex Surio.

MEDITATIO
De Verbis.

1. HOmo Christianus nullum unquam Verbum
proferre debet, quod Christum offendat.
Abstine itaque diligenter à malevolis, obscœnis &
liberioribus dictis. Verbo peccare nihil faciliùs;
at admodùm difficile est, imò sæpenumerò propè
impossibile, inflicta verbis vulnera sanare. An vel-

les, ut de te alii loquerentur, ut tu de iis quandoque loqueris?

2. Abstine pariter à jocosis, & inutilibus verbis. Si dicendis jocis assuescas, brevi effuties verba ambigua, & Christianæ charitati contraria; imò malles sæpiùs charitatis leges violare, quàm reticere facetum, & ingeniosum verbum. Supremi judicii lance inutilia verba ponderabuntur. *Pone Domine custodiam ori meo.* David.

3. Ut Verbo non offendas, nec toties nec tamdiu cum aliis loquaris; *in multiloquio non deerit peccatum*, aut in Deum, aut in proximum. Si parum loquaris, sapiens & cordatus existimabere; stultus, & imprudens, si multum; & à multis contemnêris. Sæpissimè te pœnitebit, locutum fuisse; tacuisse nunquam. Deum *loquere, quære, si quid silentio melius, aut excellentius habes: at, ubi silere præstat, quàm loqui, silentio acquiesce.* Greg.

S. GUNTRAMUS CONFESS:

28 Martii.

Vnusquisq; vestrûm proximo placeat in bonum ad ædificationem.
Paul. ad Rom. cap. 12.

QVi Reges salvam majestatem & regna sua volunt, rectè arces ædificant & propu-

pugnacula; sed rectiùs ijdem aras struunt templaque, & ad stipendia optimos præsidiarios, egentes evocant. Inter hos meritò Regem GUNTRAMUM numeramus, pulcherrimum Galliæ lilium, & meritò in Marianum hortum transplantandum: Regias hic gazas omnes vel in sinum pauperũ vel templorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum GUNTRAMO DEVS, nunquam non victor, si de liberalitate cum homine certamen sit. Et fortè fortuna somno, ad quẽ à venatione fessum perstrepentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum indulgebat. Hîc, qui pro dormiente vigilabat, Armiger, vidit Dominum cum somno nescio quod animalculum profiare: ei cùm pontem ense regio struxisset, aquas superavit & proximo spelæo successit, paulò post viam eandem relegens ore denuò Regis se abdidit. Subinde hic evigilat & somnium de reperto thesauro narrat. Sed & Armiger subjicit, quæ vigilans somniaverat. Ergò in specum itur & ingens auri vis eruitur, sed omnis iterum cælo, hoc est templis & egenis transscribenda: quô factum, ut ficam eorum, qui parricidales manus afferre Regi vel epulo sacro accumbenti, vel ad matutinas preces eunti parabant

parabant, ſemper Numen excuſſerit prodiderit́que. Tam firma, ô Reges, munimenta templa ſunt, tam fidi, ſi admittitis, corporum veſtrorũ Cuſtodes pauperũ ſunt cohors!

Ex Greg. Turon.

MEDITATIO

De bonis operibus.

1. DUm vivis, quantum potes, bonis operibus incumbe; alia ſiquidem omnia poſt mortẽ nullius ſunt pretii. Memineris quamlibet diem piâ quadam actione ſignare. Hæc vita brevis; longa, futura. Commiſſa luere debes peccata: Ea redime eleemoſynis: Quid tam parcus & durus es in pauperes? Quid tantùm amas Principis imaginem in nummis, & horres imaginem Chriſti in pauperibus? *Quid imaginem Regis ſculptam ſervas in ſolidis? & imaginem Dei in hominibus deteſtaris?* Auguſt.

2. Coram Deo bona ſint opera tua; ideóq; ſpecta in iis potiſſimùm gloriam, & voluntatem Dei. Cave, ne vanitate, vel amore tui ipſius corrumpantur, alioqui *mercedem accepiſti*. Laudabit te mundus, & Chriſtus damnabit. Prô ſuperi! cor meum tam exiguum eſt, vita tam brevis, attamen cor & vitam, Deum inter & mundum partiri vellem?

3. Videant etiam homines opera tua bona, ut illa poſſint imitari. Ne te pudeat, Dei mandatis obtemperare, & ejuſdem conſilia ſequi. Statim profitere, Domino te ſervire, &, coram te peccare aude-

audebit nemo. Quidam forsitan secus interpretabuntur, & ridebunt virtutem ac pietatem tuam: sed sine dementes insanire; imò lætare, nam *Christianus, cùm maiè habetur à mundo, diligitur à Deo.* Ignat. Mart.

S. ARMOGASTVS, & SATYRVS.

29. Martii.

Si ergò non vigilaveris, veniã ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te. Apoc. cap. 3.

AMbos Geiserici Arriani Regis furor afflixit, etsi SATYRUS regiæ domûs Procurator, ARMOGASTUS Comes esset. Et SATYRO quidem, ni ad perfidiam regis mores suos etiam ipse componeret, ob oculos ponebantur officii, bonorum & liberorum spoliationes, magna semper apud aulicos momenta; Ipsà adeò Conjunx ultimæ sortis homini, & qui camelos agebat, ad ludibriũ jam fuerat destinata. Sed facilè despicere hæc omnia poterat SATYRUS, qui oculos cœlo defixerat. Illa expugnare ferreum poterant animum: supplex marito conjunx & juncta

matri

matri Liberorum cohors, firmissima acies: structæ deinde ante pedes insidiæ; infans, inquam, abjectus, minimus ille, sed maximus apud patrem orator: confusæ denique omnium in unum lachrimæ gemitusq;, potentissima apud domesticos tela. Perstitit tamen inconcussus SATYRUS, & objurgavit etiam intempestivam suorum pietatem, ut quæ impium in DEVM esse juberet. Ita ab officio dejectus omnibusque exutus, in exilium nihil præter innocentiam extulit, & fidem DEO servatam. Iam ARMOGASTUS cùm nervis tibiæ, & frons torquerentur; nervo altero hos & fortiori (Cruce) non semel rupit. E pedibus suspensus dormire poterat videri. Ad sabulum cruentum damnatus, virum in arenâ se præstitit; bobus pascendis præfectus, dignum hunc Martyre Magistratum censuit esse. Mortuus quoq; tumulari, tamen nonnisi sub arbore voluit. Sed egesta sub hac humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint.

Ex Vict. Vtic.

MEDIT

MEDITATIO
De præparatione ad mortem.

1. OMnis vita ad mortem debet esse præparatio, quoniam bona mors res est momenti omnium maximi; imò cætera nugæ sunt, si cum morte componantur. Quomodo te paras ad mortem? An vivis ut moriturus? Tibi fortè vitam pollliceris longiorem? Deinceps prima tuarum curarũ sit, parare necessaria ad magnam æternitatis viam, ne imparatus cogaris discedere. *Paratos nos inveniat extrema necessitas, quæ sapè prævenit imparatos.* Euch.

2. Morieris, non ignoras, sed semel duntaxat, & in hac unica morte tum felix, tum infelix tua vertitur æternitas. Non hîc agitur de levis cujusdam boni jacturâ, sed de jacturâ omnium gravissimâ, quodque considerandum magis, irreparabili. O mors metuenda! An est quisquam, qui te diligenter meditetur, quin mundi fugiat pericula, seq; arctiori vinculo DEO conjungat?

3. Ut piè ac sanctè moriaris, piè ac sanctè vive. Nunquam indormias Peccato mortali. Manè, dum surgis, subeat animum hæc cogitatio: *Fortè non victurus sum ad occasum solũ*: & dum lectulum petis: *Eodem forsan linteo mortuus involvar, in quo dormiturus sum.* Interdum sic te interroga: Essemnè nunc ad mortem paratus? *Nihil ita quotidie ut mortem hominei vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem.* Euh.

S. REGVLVS EPISCOPVS.

30 Martii.

Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui, cordi affixerit audientis.

Cassianus. Collat. 11. cap. 4.

Iter in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti, tertius comes REGVLVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim, cùm illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigâssent, inter divina REGVLVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus, bellum omni superstitioni indixit, Templa passim Deorum evertit, DEO posuit. Cùm ex humano hospitio Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVLI migrare. At, quò virtutem Crucis vel ab hoc Magistro docerentur nostri hæretici; mulus pede priore in pulvere Crucem scripsit, itaq; longè hostem proscripsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum

exitum è carceribus Christianis facilè indulsit. Nam cùm permulti inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vice usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unum pro omnibus vicariam victimã REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi judici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem gatrula animalia Ranæ, sæpè sæpiùs interpellabant. Imperavit REGVLVS silentium immorigeris, & ecce continuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines, hodie verò homines in ranas iterum abijsse.

Ex Petro de Natal.

MEDITATIO

Præstat verbum DEI facere, quàm audire tantùm.

1. RAnæ REGULUM audierunt, & audita fecerunt, ad confusionem nostram, qui vel non audimus Verbum Dei, vel auditum non facimus. Frustra autem audis si non facis. Soli enim beati illi, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud; Soli è contra infelices illi multis vapulabunt,

qui audiunt adeoq; sciunt voluntatem Dómini, nec tamen faciunt eam.

2. Dux quantumvis vocem extollat & ad bellum moveat, nil efficit, nisi miles pugnare velit. Solus auriga frustra torquet scuticam & clamorem effert, nisi equi trahere velint plaustrum, obediendo voci clamantis: Frustra dirigit Architectus, nisi operarii strenuè laborent. Sic frustra Verbum Dei audis monente concionatore, nisi monitis obedire velis.

3. *Israël si audieris me, non erit in te Deus recens. Audire* in Sacra Scriptura, idem est, ac *obaudire*. Ca-in audiit vocem Dei monentis: *cur concidit facies tua? si bene egeris recipies, si malè, in foribus adest peccatum. Audiit*, sed non *obaudiit*, ideóque periit.

S. BALBINA V.

31. Martii.

Crescite verò in gratiâ, & cognitione Domini nostri Salvatoris JESU CHRISTI. Petr. 2. Ep. cap. 3.

PVellis aliis Sponsum forma, Balbinæ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unicè chara. Sed quia hic Alexandrii Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare Impietatem

tatem patris in filia (oculo parentis) statuit, colloque Virginis ingens onus, & quod omnem pulchritudinem extingueret, strumam appendit. Cum hac dote cùm nulli jam placeret BALBINAM ducere, & parens desperandum sibi de nuptiis filiæ videret, Alexandrum in vinculis accessit, promisitq;, si strumam filiæ collo pelleret, superstitionẽ se cum hac, animo pulsurum. Facilè utrimque convênit. Vix admovit Alexander filiæ vincula sua, quæ Quirinus injecerat, cùm illa strumam, uterque superstitionem posuit. Itaque jam Nuptiæ splendidè parabantur. Sed puer elegantissimus adstitit Virgini, face armatus. Is sive amor, sive hymenæus sanctior, facilè melioris Sponsi amore accendit, Jesuque ut nuberet, induxit. Interea creberrima oscula salutis auctoribus vinculis Alexandri fixit. Idem præstitit monita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui dein pro Christo & Alexander & Pater. Virgo longiùs supervixit, utriusq; hæres virtutis.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De nostro in virtute progressu.

1. CHristianus nunquam debet in acquisito virtutis gradu quiescere, sed ad sublimiora

semper contendere. Grandis tibi restat via ad perfectionem. Considera S Franciscum, S. Theresiam, aliosque complures, à quibus adhuc distas longissimè. Quot enim malè domiti affectus tuum animum adhuc conturbant? An eodem amore contemptum, & labores prosequeris, quo mundus gloriam, & voluptatem?

3. Cave, ne erres in viâ perfectionis. Frustra giganteo passu currit, qui aberrat à viâ. Quantumcunque labores, nisi sequaris divinam voluntatem, labor iste tuus vanus est, ac nullo præmio dignus. Ex tuo Præposito, vel ex eo, qui tibi est à confessionibus, percontare, quid potissimum facere debeas, ut placeas Deo. Alioqui *magni passus, sed extra viam.* Tertull.

3. Nihil quidquam de fervore tuo remittas. Vide utrùm pia exercitia, atque mortificationes vel omiseris omninò, vel minueris. Si te premat facti conscientia, cave, summo versaris in periculo. Quid nunc frigidiùs Deo servis? An minùs dignus nunc est, qui à te diligatur, quàm erat, cùm ex toto corde tuo eum amabas? Agedùm pristinum fervorem excita: Dic cum Prophetâ: vix benè servire cœpi Domino meo, qui ab æterno me dilexit. *Dixi, nunc cœpi.*

APRIL-

APRILIS

S. VVALERICVS ABBAS.

1. Aprilis.

Ex abundantiâ cordis os loquitur: bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.

Matth, 12, v, 34, & 35,

IMaginem Davidis in WALERICO agnoſces: nam & hic puer paſtoritiam exercuit, & oris teſtudine totum Pſalterium canere nullo didicit magiſtro, dignus & ipſe, qui è caulâ in aulam, vel aulâ dignius Cœnobium aſſumeretur, ubi nullam Saulis lanceam timeret. Tantum apud Deum potuit, ut plantaria colenti nulla unquam eruca ſata & braſſicas læderet; neque vermiculos ſolùm, ſed aves etiam ita obſequentes habuit, ut ex manu ejus pranderent cœnarentq́;. Rigente brumâ ædes Sacerdotis foco fovendus ſubierat,

erat, quem aliis, quàm vellet, calere ignibus sensit. Sacerdos enim & loci Præfectus unà tum fortè prandentes, Venerem prætextatis verbis nominare ausi, cor WALERICO dolore exussêre. Abeunte Divo, mox Dei vindicta subiit; Sacerdos oculis captus est, Præfectus lentâ fœdaque morte contabuit, longas ambo linguæ lascivæ pœnas daturi. Eâ sub arbore tumulari deniq; WALERICVS voluit, sub quâ Deo supplicare vivus consuevisset, ratus bene ibi corpus quiescere, ubi bene vixisset. Et verò cubare se molliter manifestè ostendit; ne in aram quidem à S. Bernardo invitatus migrare sustinuit.

Ex Surio.

MEDITATIO
De vitando turpiloquio & scandalosâ Societate.

1. S. Walericus adhuc puer pastor, & hortulanus erucas ex hortis oratione fugavit. Cave sis tu ô bone Christiane, ne quas erucas germinibus hortensibus noxias ille oratione proscripsit, tu lascivo sermone suscites in corde audientium, quibus flos innocentiæ corrumpitur & proditur camerina, luxuriæ tuæ, & fructus bonorum operum deperditur: *Nam de fructu oris sui unusquisq; replebitur bonis,*

bonis Prov. 12. v. 14. Si tamen saniora loqui libeat: Sin aliter *propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Prov 12. v. 13.

2. Walerico intervenienti non illud christianorum duorum Sacerdotis & Præfecti simul epulantium & spurcè colloquentium Symposium, sed Pharaonis mensa, cœno ranarum horrida esse videbatur; ideoque aufugit. Si verbum lascivum sputum est diaboli in ore cujuscunque Laici, quid erit in ore Ecclesiastici, Religiosi & Sacerdotis? S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 26. *Faceſſat ab ore Militis Chriſtiani omnis vani rumoris ineptia, & lingua quæ immaculati agni, imò ſummi Verbi rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe fœcibus inquinari.* Ne Sacerdos linguã corporis Dominici velut patinam Diaboli sanie perfundat.

3. Walericus fugit citò, quod citò nocere potuit, servandum hîc Epicteti monitum Enchr. c. 55. *Periculoſum eſt ad orationis obſcœnitatem progredi; cùm igitur tale quippiam inciderit, aut ſi feret importunitas, objurgabis eum, qui ſermonem illum injecerit, aut taciturnitate ſaltem, rubore vultuq; oſtendes tibi diſplicuiſſe.*

S. FRANCISCUS DE PAVLA.

2 Aprilis.

Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minimus. Luc. 22.

Franciscus de Paula decimo tertio ætatis anno, àparentibus ex voto S. Francisco consecratus, monente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculam sacrā molientem S. Franciscus monuit, ut angustiis illis prolatis, ampliorem faceret: impensas causantem fidere Deo jussit; muris ergò dejectis, mox ab homine copioso magnā vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum cœlo defluxit globo igneo inscripta, ejus tessera futura & ordinis insigne; ea flamma cùm totum hominem corripuisset, nihil mirum est, ardentes deinde titiones impunè tractasse, subijsse caminos, cibos quin adeò absque foco solâ charitatis flammâ percoxisse: sed animos hominum eodem incendio ambussit, & extremis odiis dissidentes non alio ferrumine colligavit, artificiosus in miracula sancti Amoris. Vt cùm fratribus duobus Pomiferæ arboris causâ inimicitias inter se alentibus, arborem dissilire mediam jussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel cùm pauperum caussam apud Regem acturus, nummū aureum inter digitos diffregit, ex quo cùm san-

sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit, qui acerbis exactionibus exugerentur. Hac deniq; virtute ad cælum subvectus est Anno MDVII. eadem fiduciâ aërem transvolans, quâ olim mare pallio suo instratum enavigavit. *Ex vita.*

MEDITATIO
In tres virtutes S. Francisci de Paula.

1. TAnta fuit charitas hujus sancti, ut ordinem suum hac epigraphe (Charitas) insignire voluerit: spretis voluptatibus mundi, bona abdicavit omnia, ut unum amaret JESUM, solamq; ejus gloriam ubique, & semper procuraret. omnibus probavit amorem suum erga proximum, omnium saluti incumbendo. Quomodo imitatis charitatem hujus Sancti?

2. Tanto odio corpus suum habebat, ut durissimâ vivendi ratione excogitatâ, solis cibis tempore quadragesimali licitis, & oleo duntaxat conditis vesceretur, ad quam tamen victûs austeritatem peculiari voto Religiosos suos obstrictos teneri voluit: per totum annum cibis, tempore quadragesimæ prohibitis, abstinebat; tu verò vix, ac ne vix quidem quadragesimali tempore præcepto pares. Si mente gustares fel Christo propinatum, aut amaritudinem, quâ qui gulæ dediti fuerunt, in inferno satiantur, imposterum gulæ tuæ non ita servires.

3. Quamdiu vixit, Christianam coluit humilitatẽ; amabat nesciri, & pro nihilo reputari, nec priùs venit in aulam Ludovici XI, quàm jusserit summus Pontifex. Minimorum nomen, quo filios suos vocari voluit, satis indicat, quantùm amaret humilitatem. Hujus sancti exemplo *Vanitatem tantò magis fuge, quantò melior effectus es; cætera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus.* Eucher.

S. RICHARDVS EPICOPVS.

3. Aprilis.

Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matth. c. 5.

RICHARDUS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemq; paternâ hæreditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum sodalibus duobus pallio, vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatûs fastigium evectus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatem à se fugientem velut elapsam bonam fortunam in-

secutus: aureis quippe argenteisq; vasis in pauperum annonam expensis præstare dictitabat fictilibus, more parentis, cænare, quàm Christum egenorum turbâ repræsentatum esurire. Vno pane mille homines saturavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem suggerente. Aliquot domorum suarum incendium restrictæ ad largiendum manûs vindictam est interpretatus; & quos multi convicio à se manúq; rejiciunt inopes, tanquã accepturus, non daturus beneficium, ad petendum blando affatu excitabat: cujus factirationem postulatus, illud ex divinis litteris protulit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus, ad annum M. CC. XLV.

Ex Surio

MEDITATIO
De paupertate & divitiis.

1. SI es pauper, vel quia Deus negavit tibi divitias, vel quia eas sponte reliquisti, ut pauper-

rem Religiosorum vitam amplectereris, ama paupertatem tuam. Esto verus pauper spiritu, & refræna sollicitam habendi cupiditatem: expecta partem tuam hæreditatis, gloriam nimirum cælestem; nullum alium Thesaurum habere velis, præter Deum tuum, quem gratiâ possidere potes. Si Deum possederis, possidebis omnia, & vitam vives felicissimam. *Quis potest esse pauper? qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est.* Minutius.

2. Si divitiis satis instructus, copiam inter & inopiam modum tenes, hanc ne fugias, ut illam parùm æquis rationibus assequaris. Vide eos, qui sunt pauperiores te, & tuæ tibi fortunæ mediocritas placebit, gratiasque referes Deo, quod factus sis compos voti Salomonis, ajebat enim: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria.*

3 Divitiis si affluas, cave tibi, pauperibus enim, non divitibus promissum est Regnum Cælorum. Si bonis terrestribus irretiêre, vix vobis ad cælestia. O! quàm difficile est, ea non amare, quæ tanto labore quæsivisti. An hæc odio habiturus es, quibus amorem tibi concilias & famam? Heu divites! quanto in periculo versamini! Timendum vobis est, ne cælestibus bonis privemini, quia abundâstis terrenis.

SS. THEODULVS, & ACATHOPVS MM.

4. Aprilis.

Venientes autem primi & accipientes murmurabant: nos portavimus pondus diei, & æstus, & hi noviſſimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti. Matt. 20.

NEmo vel citò vel ſerò nimis cæli viam ingreditur, ſi quidem ingreditur. Iuvenis ætate THEODULUS, ſenex AGATHOPUS pari tamen curſu per Martyrum ſtadiũ cucurrerunt, anno à Chriſti ortu quarto ſupra trecenteſimum. Et THEODULUS quidem ante curſum, bravium (certè arrham bravij) ſcribitur è cælo annulum accepiſſe, qui artificis cæli manum crebris miraculis, quibus omnes paſſim morbos pellebat, laudavit. Porrò cùm intra carceres, ambo adhuc conſiſterent, in ſomnis ab ipſo Numine ſunt animati, ipſi verò ad fidem exemplo ſuo adductos alios animarunt. Poſtridie ad virtutis theatrum (tribunal tyranni) tracti, in rubo-

ruborem hunc in lassitudinem tortores dederunt. Ea, quæ secuta est, nocte, iterum carceribus clausi, idem uterque in somnis somnium viderant. Naufragium sibi facere videbantur, sed auspicatum illud & nimiũ fortunatum; quòd cæteris quidem, quorum longè plurimi erant, fluctu hauftis, ipsi nescio in quem montem cælo contiguum evassissent, candidis ibi vestibus ornati. Somnium hoc dies explicuit. In mare cum Saxis appendicibus abjecti ipsissimũ Olympum subiêrunt. THEODULUS deinde multâ luce candidus inde ad suos revisit, quòd testamentum facere esset oblitus. Dixit ergò hæredes omnium pauperes, & te quoque inter hujus testamenti executores hodie cupit habere. *Ex Metaphr. apud Surium.*

MEDITATIO

Conversio ad Deum nunquam aut nimis propera aut nimis sera, modò sit vera.

1. Nihil magis tuum est ô homo viator, quàm tempus: cujus usus à te solo pendet, ut possis uti omni momento vel in vitam vel in mortem. Sed & nihil minus est tuum quàm tempus, cujus æquè ac vitæ tuæ abusus est vetitus. Sceleſti-

us

us quidem nihil est avaro; temporis autem avaritia & juvenum & senum æquissima usura est. *Quocunq; tempore non cogitamus Deum* (sit juventutis, sit senectutis) *puta illud tempus amissum esse.* Cæsar. Monit. 2. c. 3.

2. *Alii consummati in brevi explent tempora multa.* Aliis cursus longior est & vita laboriosior. Deus tamen justissimus Paterfamilias fervorem & puritatem intentionis magis attendit, quàm tempus, quod homo impendit. Veneris manè aut serò ad Dominum, præmiũ recipies juxta mensuram fervoris. Annos non respicit Dominus, sed fructum computat annorum.

3. *Suavis est Dominus Universis.* mittit sagenam suam in mare, & trahit ad se in nexibus charitatis juvenes & senes: nec emittit foras nisi malos; nec eligit in vasa nisi bonos. Stude ut deprehendaris esse bonus. Dicat pœnitens Senex: *Ah serò te amavi* dicat juvenis: *bonum est homini si portaverit jugum ab Adolescentia sua.*

S. VINCENTIUS FERRERIUS.

5. Aprilis,

Castigo corpus meum, & in Servitutem redigo, ne, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.

Paul. ad Corinth. 9.

S. VIN-

S. Vincentius antiquâ Ferreriorum familiâ in Hiſpania natus, primis ſtatim annis documenta edidit Magiſterii Pietatis, quod vir exercuit, jam puer inter pueros Magnus Orator: Ea initia egregia indole ac litterarum eximio profectu fecit auctiora, omnem libertatem pertæſus, quæ levitatem oleret. Ingreſſus S. Dominici familiam, & Chriſti aſpectu, morbo levatus, ejus imperio populos ad pœnitentiam evocare inſtitit, tam ſtrenuè quidem, ut ſatis conſtet judæorum viginti quinq; millia, totidem ferè Saracenorum, Chriſto ejus operâ conciliata; Chriſtianorũ centum viginti millia eidem reconciliata: publicis flagitiis infamiũ quadraginta millia ad Innocentiam reducta ardorẽ dicentis inde intelligas, quòd capitalia auſos cùm ad furcã comitaretur, oratione primùm efferveſcere, mox colliqueſcere, denique in cinerem exareſcere coëgerit feliciſſimo ſupplicio amoris extinctos. Tot ſpoliis Orco abactis triumphantem mirum non eſt, ſi Styx odit & ſpoliare caſtitatis gemmâ contendit, quantumvis irrito conatu, quòd in Magnæ Matris tutela eſſet, quæ ſuo pugili adſtitit, & victorem rude donavit, in nos quoq; exemplum repetitura, ſi cum VINCENTIO vin-

vincere vellemus. Acta olim furiis mater, ac proli suæ iniqua, infantem in multas partes secuerat: has collectas vir sanctus integritati vitæque restituit, post dæmonem etiam de morte triumphans, quæ proinde obstruere viam huic sideri non potuit, quo minus ad cœlum Anno M. DC. XVIII. ferretur. *Ex Surio,*

MEDITATIO
De apparatu supremi iudicii

1. Terribilis erit ultimi judicii apparatus, horrenda videbuntur signa, Sol cruentus, aër igneus, vehementioribus procellis agitatum mare, terræ motus, fames, sterilitas, bella, morbi. Adhæc tam callidè fideles exagitabit Anti-Christus, vix ut ipsi possint resistere. Credo Domine, me auditurum esse terrificas tubas vocantes ad judicium. *Si quando senseris ad aliquod crimen te cieri, in mentem revoca, nulli tolerabile* Christi *judicium.* Basil.

2. Cerne animo vallem Josaphat, variis refertam populis. Jesus de cœlo descendet copiosâ Beatorum coronâ stipatus, ut omnes homines judicet: ad ejus dexteram boni Angeli, & Electi omnes, ad sinistram verò damnati, longâ dæmonum catervâ circumsepti. Heù! aliquando ero in hac valle lachrimarum. Quid de me tunc fiet? Nescio: Attamen hilarem vitam ago, quamvis ignorem, an ad dexteram, an ad sinistram sim collocandus.

3. Considera, quid tunc dicturi, quid cogitaturi sint electi. An eos pœnitebit, mundi vanitatem contempsisse? Attende etiam ad ea, quæ dicturi sunt damnati; En! inquient (Electos indicantes) en! quos aliquando habuimus in derisum: Quàm tamen prudentes fuerunt! ipsis verò damnatis *quàm lugubre erit, Deum videre & perdere! & ante pretii sui perire conspectum.* Eucher.

S. GVILIELMVS Abbas.

6 Aprilis.

Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Paul. Ep. 1. ad Thess.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorrebat à disciplina pius animus, qua comite feliciter in litteris progressus, facilè superabat æmulos, quibus ob morum integritatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perferens nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectore ipsius jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurreret, monente tandem severiùs Odone Abbate, & objecta Christi crucifixi

crucifixi in vitrea feneſtra depicti ſpecie, pectori ejus faces ſubdente, in religioſam ſe familiam recepit, in qua cæleſtibus promiſſis accenſus ita ſe probavit aliis, ut Roſchildenſibus præficeretur Abbas. Et quia pii omnes adverſis exercentur, nequaquam ab iis vir ſanctus eximius fuit, cæli nihilominus delicis ſuſtentus. Graviùs decumbenti S. Genovefa virgo ſolamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noſter Sanctis comitatus conſpicuũ ſe fecit, ſcilicet ne mortis larvâ terreretur. Cælum anno MCCII. ſubituro paratum ſolium ejus diſcipulus videt, coronamq;, rarum opus & Angelorum manibus elaboratum; ſed gemmas GVILIELMVS ſuppeditavit, virtutes ſuas, quarum nos nomina fortaſſe ſcimus & ſub inde de pretio diſputamus, ſed ſubterfugimus patientiæ ſcalpellum, ſine quo nulla gemma cælatur. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De rectâ eligendi ratione.

1. CVm aliquod vitæ genus eligendum tibi eſt, ut nunquam te pœniteat conſilij ac electionis tuæ, primùm omnium Deum etiam atque etiam obſecra, ut doceat te, facere voluntatem ſuam; & da operam, ut animus tuus paratus ac promp-

tus sit ad exequendum, quidquid Deo libuerit. Deinde aperi moderatori conscientiæ tuæ consilium tuum; is quippe Dei vicem gerit. Felix consiliorum eventus a Domino planè pendet: adjuvabit te, si ex ejus nutu ac voluntate omnia præstiteris.

2 Pondera rationes, quæ te impellunt ad hoc, vel illud eligendũ, & eas, quæ pariter ab eodem retrahunt. Hæ rationes peti debent ex fine, ad quem creatus es, ad hunc verò finem es creatus, ut salvus fias. Salus tua sit norma electionis tuæ. Considera diligenter, utrùm facilius hoc, quàm illo vivendi instituto æternam felicitatem consequi possis. Vtere consilio, quod tu ipse dares amico, si perinde, ac tu, indigeret. Vide quid factum à te velles ultimo vitæ puncto.

3 Vbi primùm Dei cognoveris voluntatem, eam fine morâ exequere. Deum ridet, quisquis ab eo petit consilium, quod non est secuturus. Ne te terreant difficultates, non deerit cœlestis gratia, quâ omnes superare poteris. Salus tua sit magnum ac ũnicum negotium tuum. Nam *quid prodest homini, si totum, quod extra se est, congregat, & hoc ipsum, quod ipse est, damnat?* Gregor.

S. HERMANNVS CONFESS:

7. Aprilis.

Ecce Mater tua. Joh. 19.

HERMAN-

HERMANNVS septem annorum puerulus cœpit inter ultimam rerum omnium inopiam Musas, sed præ Musis impensè MARIAM colere. Eam cùm in templi odeo ludentem cum FILIOLO & D. Ioanne vidisset, dextrâ VIRGINIS in societatem accitus, homo Superis colluſit; puto ut cælum ostenderet, quis maximè ludus studiosum adolescentem deceret. A ludo saxum monstravit PATRONA, unde, quoties egêret, nummos promeret. Ita Mecænate cælo usus. Simul ut annũ XII. fuit ingressus, mundo est egressus, ratus longum cæli iter adolescentiæ maturè iucundũ esse. Inter religiosæ vitæ studia tam amor in HERMANNO MARIÆ, quàm HERMANNI in MARIA crevit, ut eum primùm amantissimo JOSEPHI nomine donaret, tum deinde in sponsum eligeret, dotemque in manus, omnes cœli divitias, FILIVM daret. Ægritudines illius complures sua manu abstersit. Tristiorem, quòd muniis aliis distractus precibus vacare non posset, monuit, plus apud superos solicita in alios studia, quàm quieta inter preces, suspiria mereri. Quoties genu supplex MARIÆ nomen venerabatur, toties omnibus perfundi sibi odoribus visus est. Cœlo hiemante litantis manus, ne à frigore offende-

rentur; IESVS & MARIA fovebant, duo utiq; calidissima sidera. Corpusculum mortui ut supra terram semper, ita etiam sub terra diu integrum mansit; an quia odoribus, quos memoravimus, illud condivit?

Ex Surio.

MEDITATIO

De cultu Beatissimæ Virginis.

1. MAria est Mater tua; idcircò plurimùm ipsi confide: pete ab ea omnia cùm corporì, tùm animæ tuæ necessaria: eos amat, qui cum ipsâ familiariter de suis miseriis ac necessitatibus colloquuntur. Enim verò ut pia mater libenter & cum gaudio accipit filium, ad se confugientem, ita te accipiet Maria: nam in amandis filiis suis nulli cedit matri: ad hæc potentior est quàm quælibet alia mater; & sanè cognosceres, quantùm amat, & quantum potest, si quotidie diligentiùs expleres debita ipsi officia. Quænam sunt preces tuæ, quænam facta ex quibus argui potest tuus in Mariam amor?

2. In afflictionibus invoca Mariam; in dubiis consule Mariam; in mœrore aperi Mariæ causam tui mœroris, & citò citiùs evanescent afflictiones; dubia, &c. Nullos habes aut propinquos, aut amicos, qui te plùs ament, quàm Maria, quique consilium dare tibi velint, aut possint, rebus tuis magis salutare. O Amantissima omnium Christianorum parens! si tuâ in nos charitate uteremur, breviores essent afflictiones nostræ.

2.

3, Dum sic tentaris, ut adsit peccandi periculum; voca Mariam: cùm peccaveris, obsecra Mariam, ut ejus ope è peccato tuo emergere possis. Maria est refugium peccatorum; si eam invocaveris, nullam non vinces tentationem. *Per te, Maria Virgo, habeditamus misericordiam miseri, ingrati gratiam, veniam peccatores.* Aug.

S. VVICTERPVS EPISCOPVS.

8. Aprilis.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus.

Paul. ad Hebr. cap. 14.

DE WICTERPO Gallia contendit & Bojaria; sed cœlum pridem litem diremit, cùm sibi illum vindicavit verior patria. Pontifex Augustæ, fundum, quem ad Jutria. Pontifex Augustæ, fundum, quem ad Julias fauces habebat, Eptaticum, DD. VIRGILIAS fauces habebat, Eptaticum, DD. VIRGINI, & Laurentio donavit, locumq; eum velut ad sanctiores ferias Tusculum habuit, frustrà Henrico Antistite etiam mortuum inde auferre adnitente, cùm vel MARIA WICTERPVM suum nollet dimittere, vel WICTERPVS à MARIA nollet recedere.

templum

Templum quoque D. Afræ, quæ inter Hungarorum populationes alteras penè flammas passa est, è cineribus in pristinum splendorem erexit. Vos qui sacra manibus tractatis, unum audite, & exhorrescite: D. Herlucæ Virgini à morte tam fuit familiaris, ut, quoties ferè ad epulum sacrum iret, comes iret, aut dux WICTERPVS. Fortè solam Herluca se credidit inter preces, sed sola non fuit. Adfuit cum WICTERPO Christus, triste oculo amantis spectaculum, & verbo, ipsissima Pilati scena. Nihil hic, tantùm lacrymæ & gemitus loquebantur, & nimirum tot ora, quot vulnera clamabant: illud etiam WICTERPVS ad Herlucam addidit: *ad hanc formam sponsi expalleſcis, soror?* illa: *emorior*; ille iterum: *Cupis ab oculis theatrum crudelitatis hoc amotum?* Illa iterum: *Ah! percupio.* Ergo, subjicit WICTERPVS, oculos nega Richardo sacrificanti, cujus impuritas carnifex est sponsi tui. Audiit, abstinuit ab impuri sacris, idemq; ut vulgus faceret, auctor fuit. O ætas nostra! sacra! ô Sacerdotes! eja dicite: oculos hominum à vobis si abducunt Superi, quibus ipsi vos aspicient, nisi iratis?

Ex Bap. S.

MED.

MEDITATIO

Uti fides sine operibus mortua est, ita & dignitas Sacerdotalis in Sacerdote non Sancto statua exanimis est.

1. AD salutem fides integra, & quodammodo cæca requiritur, ut credamus omnia, quæ Ecclesia credenda proponit. Quid mirum, si minùs capias ea, quæ credere debes? nam quî fieret, ut tam angustum ingenium tuum, quod vix capit, quæ oculis omnium obversantur, capere posset incomprehensibilia fidei mysteria? Captivemus intellectum, & credamus omnia, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur.

2. Fides sine operibus mortua est; non ideò æternis gaudiis potieris, quòd Christiano nomine fueris insignitus; nec sanctus es ideo, quòd sancta; sed quia sanctè tractas, & quòd tanti nominis mensuram operibus imples. Falleris, si existimes, posse te ex nomine tuo, tanquam syngraphâ, cælestis Patris hæreditatem postulare; nisi enim Christum imitatus fueris, frustrà dices, te Christianum fuisse, imò te supremus judex propter tuum nomen & citiùs damnabit, & graviùs puniet. Peccata tua graviora sunt, quàm peccata Gentilium, quia: *Atrocius sub sancti nominis professione peccamus.* Salvianus.

3. An incumbis operibus, quæ decent Christianum

anum? Considera singulas actiones tuas, vide, num peinde terrena quæras oblectamenta, quasi non forent cœlestia. Numquid Gentiles & hæretici diligentiùs comprimunt suas cupiditates, & sæpius largiusque miseros sublevare consueverunt? *In nobis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex patitur detrimentum.* Salv.

S. MARIA ÆGYPTIACA

9. Aprilis.

Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

AVdite omnes apud Divinum tribunal rei: Patronam si MATREM Iudicis habetis, caussam peractam habetis: certè caussa laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim? nominis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, sed gratis omnium libidini exposuit: quin festo exaltatæ crucis die, cùm Hierosolymam orbis confluueret, ausa est velle ibi infanda Veneris sacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM abit; quid agis misera

sera? Veneri patrocinari vis virginem? O Quid apud Matrem non possunt lacrymæ? quid non lac Matris apud sanguinem potest Filii? Orat illa, exorat ista: absolvit judex admissam, quam absentem damnaverat. Sed audite pœnitentem, qui peccantem inspicitis. VI. annis supra XL delevit lacrymis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, semper oppugnata ab Orco, semper victrix VIRGINIS auxilio; nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divino ductu ad eam venit, & vitæ seriem, quam dedimus, audivit; cum sacro dein epulo revisit, quod ut caperet MARIA, per Iordanem sicco vestigio advolavit. ita puram cùm undæ jam probassent; secundò redux defunctam in arenâ offendit: anxio verò de sepultura Leo supervênit, & fossam unguibus dedit, æternum non tam pœnitentis; quàm miserantis MARIÆ monumentum. *Ex vit.* PP.

MEDITATIO

De pœnitentia agenda.

1. Sicut nullum est momentum, quo Deum non experiris beneficum, sic nec momento sustine illum offensum. Æterni interitûs discrimen est gravius aliquod vel momento fovisse crimen. Offensa omnis in semitâ Cœli error est, quò diutiùs procedis eò longiùs à Deo recedis. 2.

2. Peccati venenū ideò noli retinere, quia te nondum occidit, occidisset enim, nisi Deus pepercisset. Quò is parcet diutiùs, tantò puniet graviùs. Potestne tibi placere peccatū tuum? quod Deum hominem mori coëgit? & cujus sola cogitatio sanguinem expressit; tibi nondum suspirium, ne dicam lacrymam extorsit?

3. *Panitentia apellata est quasi puientia, eò quòd ipse homo in se panitendo punit, quod malè admisit.* Hugo. lib. 3. de Mini: Ecclesiæ. Et nondum pœnitendo punis? peccasti cum Ægyptiaca? cum Davide? cum Petro? puni peccatum in te, uti pœnitentes & illi punierunt in se, nec æternum punieris.

S. MACARIUS PATRIARCHA

10. Aprlis.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur Matt c. 5.

MACARIVS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes quos unos domi palatinos, foris anteambulones habuit. Ob id & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omniū oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Saracenorum

facinorum scelere ad ipsa ossa usque lacera virtus & tribus clavis pavimento affixa pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet, se ipsa prodidit. Prodiêre Angeli in auxilium missi, ipsique jam hostes Macarium, & quod caput est, in Macario Deum agnoverunt. Interea parentes suum esse dedecus arbitrati orbam filii insulam filiumq; exulẽ videre, mittunt, qui, aut verbis, aut vi adducant. Et jam parabant hanc illi, sed cœlò pugnante capti oculis manibusque, quas ad facinus extenderant, Macario se dediderunt. Hic Cruce, quæ illi scipionis loco serviebat, oculos & manus reddidit, itaque expeditus, exul orbem deinde peregravit. Bojariæ quoq; hospes, demùm Gandavum in Flandriam pervênit, relictis ubique symbolæ loco ingentibus miraculis, quæ unico suo scipione dedit cruce insignito. Flandriam cùm dirissima lues popularetur; sese cum gemino socio vicariam urbis victimam morti objecit. A morte geminum circulum cœli ostenderunt, & Crucem in altero, ut sciremus, quò Crux scipio illum abduxisset. Sed númne Mariam amavit? Non nisi in crypta eidem dicata sepeliri voluit. Et verò ubi molliùs ossa nostra jacerent, quàm in sinu Mariæ?

MEDITATIO
Quanam debeat esse causa lacrymarum nostrarum.

1. LUge miserias tuas, mundus, in quo versaris, est lachrimarum vallis, innumeris propemodum referta calamitatibus: imò ipsæmet mundi hujus voluptates sunt plerumque fontes multarum lacrimarum. Lacrymantes nascimur, vivimus in lacrymis, & morimur in mediis doloribus, suspiriis, singultibus. Et amamus vitam hanc! Et fugimus ac detestamur mortem, quæ finem ponere debet lacrymis ac laboribus nostris!

2. Luge peccata tua, exemplo Davidis, qui lacrymis stratum suum rigabat, & cum fletu miscebat panem suum: si mors parentis, aut amici, si rei familiaris jactura tot lacrymas ex oculis tuis eliciant, an non paradisi jacturam profuso lacrymarũ imbre deflere debes? Luge etiam peccata aliena, si amas Dominum Iesum, quoniam his peccatis iterum affigitur Cruci.

3. Te ipse consolare, tu, qui luges aut miserias, aut peccata tua: exilii tempus sensim labitur, sensimque accedis ad patriam. Ipsemet Deus lacrymas tuas in cœlis absterget, imò in hac etiam vita te consolabitur, si peccatorum tuorum dolor sit causa lacrymarum tuarum. Num aliquando expertus es, quàm suave sit, flere peccata tua? *at si tam iucundum sit, flere pro* Christo, *quàm iucundum erit, gaudere cum* Christo? Aug.

S LEO

S. LEO, Summus Pontifex

11. Aprilis.

Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras. Judith. 7. v. 20.

SI vis ex ungue Leonem, scripta magni LEONIS lege, à S. PETRO approbata. Hic natione Tuscus, omni literaturâ præstans, eloquentiâ Christianus Demosthenes, imò cœlestis Orator passim habitus, ex Archidiacono Romano, omnium suffragatione absens in Papam elect^s, primus LEONIS nomen assumit, & meruit; fortissimus enim Pontificum ad nullius pavebat occursum. Attilam, post vastatum propè orbem Romæ minantem, potente suâ eloquentiâ, & S. Petri minitantis aspectu, absterruit, atque ut retrocederet, persuasit. Genfericum Wandalum, urbe jam captâ, excidium parantem, animosè appellans, ut sacris & tectis parceret, exoravit: Bmæ. Virginis honorem contra Nestorii blasphemias acerrimè defendit: Manichæos & Pelagianos Romæ convicit, pestilentesque hæresum libros publico foro exussit, Latronum Ephesi Eutichianorum

tichianorum concilium, Romana in synodo, cum Dioscoro hæresiarcha condemnavit, invictus & Magnus semper. Ante mortem Apostolorum Principem pro erratis suis deprecatorem cùm invocasset; significavit sanctus omnia ei peccata remissa præter manuum impositionem, cujus scil: pæna ei subeunda, si indignos consecrâsset. Obiit senex, ingenti urbis luctu & orbis totius damno: quia in amissione tam Magni parva esse jactura non potuit. *Ex Lippeloo.*

MEDITATIO

De flagellis à Deo immissis.

1. AD corrigenda hominum scelera, & maximè Christianorum, si invaluerint, Deus lanionès immittit non medicos. Talis fuit Attila: Flagellum Dei dictus à se ipso, ferro & igne, ultor & emendator orbis Christiani, bonum scientis & non facientis, ideoq; magis digni verberibus. Præcipuè si domus Dei fit spelunca latronũ, iratus Dominus facto ejusmodi flagello ejicit vendentes & ementes, & malorũ morum subvertit abominationem. Pro ratione statûs tui stude cultui divino & promove, ut Deus avertat tam dura flagella.

2. Unus homo LEO Pontifex Maximus, portentum Sanctitatis, & unus homo Lupus Trecensis, miraculum mansuetudinis, eodem sæculo, continu-

ère

ere Attilam monstrum malitiæ, & cum eo septingenta hominum millia absterruerunt. Tanti refert virtutum aciem explicare contra Ecclesiæ inimicos & mundi ac tenebrarum potestates; disce, quomodo flagellis à Deo immissis occurrendum sit, primò excipe promptè. Psal. 31. *Ego in flagella paratus sum.* 2do. Humiliter & reverenter: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ.* [verberantis] *ita oculi nostri ad Dominum Deum donec misereatur* 122. psal. 3tio. Obedienter *Non mea sed tua voluntas fiat.*

3. Attila infestus Hunnus, flagellum Dei & lato mundi, nunc Titio infernalis est. Vereatur impius Dei, ad correctionem aut probationem, quos amat & punit, flagellantis injustum flagellum esse, cujus merces erit, quia voluntarium & impium instrumentum fuit, ignis æternus. Tu homo Dei, si videris flagellum ejusmodi elevatum supra dorsum tuum; dicito hic feri, dummodo parcas in æternum.

S. ALFERICVS Abbas.

12. Aprilis.

Qui se existimat stare, videat ne cadat: tentatio vos non apprehendat; fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.

1. Corinth. 10. v. 12.

PAtria ALFERO Salernum, ſchola Principis illic aula fuit. Ex hac ad regem Germanorum legatus feliciter è via aberravit & ad Regem Regum in cœnobium Cluniacenſe deflexit. Inde melior jam ad patriam legatus monachis illic præfuit, & Cavenſe Alceterium condidit. Ibi mali dæmonis invidiâ ex altiſſimo monte præceps dejectus riſit incolumis veteratorem, altiùs olim nec tam impunè cadentem. Incolam ſaxo obtritum à ſocijs in oratorio ſuo id noctis voluit deponi; manè deinde Veſpillonibus funus quærentibus hominem reſtituit. Quina ova cùm eſſent, ſed ſeptem hoſpites; ſine fraude, ſed non ſine miraculo & fortè cum riſu ſingula ſingulis attribuit. Vates plurimis alijs fuit, ipſe mortis ſuæ vatem longè nobiliſſimnm Chriſtum habuit, qui ſexto die priùs quàm obiret, ALFERVM ad cœnam invitavit: condixit lubens, & quo famem obſonaret, jejunus vênit. Miracula mortuus continuavit. ex multis unum illis narrabimus, qui ex Veneris hara ad Numinis aram accedunt, &, heu! imparati epulo divino inter Virgines mentes, Angelos accumbunt. Fuit qui quoties ſacram menſam frequentare parabat, ſomniorum intemperie

temperie absterreretur. Eam maculam etsi nulla sua culpa contractam, cùm precibus, jejunijs, confessione semper elueret, redibat tamen ad invitum illa, & etsi scelus non esset, videbatur tamen esse. Tandem dormienti adsistere ALFERVS visus est, & & fonti admotum sanctioribus undis lustrare, jamque contra Stygis ejuscemodi vulnera eximium facere. O similis, inquis, fons mihi curreret! At si oculos habes, binos domi habes.

MEDITATIO
De timore salutari & gratia Dei necessaria ad damonis superandas insidias.

1. ALfericus insidi dœmonis technâ ex altissimo monte in præceps dejectus risit incolumis veteratorem. Ridebis eundem, si gratia Iesu salvabit te â ruinâ Spirituali. Sed time, ne tu prior ad tentatorem accesseris, quàm ipse venerit ad te; peribis, si am aspericulum, quod â pereundo dictum est. Discrimen includit crimen. Occasio peccandi parũ differt ab occasu peccatoris.

2. Ne dicas, Tyro timet, asceta sum Veteranus, fortè enim quia Vetus fœnile es, citiùs corriperis ab igne, in potestate Tyronis, & Veterani militis est inire pugnam; in neutrius arbitrio sine

gratiâ Dei ſpeciali potiri victoriâ. Auſculta Senecæ lib. de ira, cap. 7. *in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium eſt*: audi & Tullium Tuſcul. 4. *Qui ſe præcipitavit, ſuſtinere ſe, cùm velit non poteſt.*

3. Igitur *time cùm arriſerit gratia: time cùm abierit gratia Salvatoris & time cùm denuò revertetur.* S. Bern. Serm. 54. in Cant. Time cùm adeſt gratia, ne non dignè opereris. Time cùm abeſt, quia deficiente gratia deficis tu, & dœmoni victus ſuccumbes. Time cùm redierit, ſi enim eſt gratia repropitiata, deterior fiet recidiva, quæ contingere tibi poteſt.

S. IVSTINVS Martyr.

13. Aprilis

Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.

Paul. ad Corinth. Epiſt. 2. cap. 2.

IVSTINVS Philoſophus Palæſtinâ oriundus, literarum amator, varias in Philoſophia ſectas amplexus, Platoni tandem auſcultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cùm neſcio quid ad mare ſecum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatẽ & ſupplicia animorum edoctus,

Chriſtianam

Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes acerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa judæi gentesque adversum Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarẽ subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps nisi maleficij convicti essent, innoxij viverent. Nobilis ingenij monimentum hodièq; legitur, gloriæq; est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior nunquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine stetit. Nam cùm crescentem vitâ & disciplinâ Cynicum, ignorantiâ hominis, multoque magis canina impudentia offensus, publicis congressibus vicisset; ea res scilicet Canem illum advindictam inflamavit: nulla ratio perdendi Justini aptior visa, quàm si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse cœperat & capitale. Ergo structæ D. Justino insidiæ haud sanè nolenti; captus rogatusq; Christianusne esset; affirmavit; desereretne sua sacra? renuit: mortem subiret? voluit; id Christo mortalium severo Judici gratum, sibi utilissimum fore affirmans: ac mox cervice securi subjecta vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset.

MEDITATIO
De scientia Sanctorum.

1. Licet humanis scientijs operam dare, ut olim operam ipsis dedit S. Justinus, & ut nunc complures, non minùs sanctitate. quàm rerum scientiâ conspicui, ad cognitionem duntaxat, & honorem Dei. In his studijs uni Deo placere studeas, alioqui jacturam facies temporis, humilitatis, & pietatis. Non ex te quæretur in alterâ vitâ, an huic vel alteri scientiæ studueris; nec, an claruerit multarum laude scientiarum, sed quis fuerit studiorum tuorum finis, & quâ ratione usus fueris tuâ scientiâ.

2. Quò quis doctior est, eò perfectior esse debet. Atrociùs quippe punietur homo doctus, quàm ignarus, si malè doctrinâ suâ usus fuerit, nec ea fecerit, quæ sciebat esse facienda. Tua tibi prosit scientia ad cognitionem & amorem Dei. Heu! tantùm ponis temporis in humanis scientijs; in divinis verò tam parùm! *Vacat tibi, ut philosophus sis, non vacat, ut sis Christianus.* Paulinus.

3. Fac, ut doctrina tua alijs utilis sit: eos imbue mysterijs nostræ fidei. Tot barbari, tot gentiles, tot homines cujusljbet conditionis neminem habent, qui doceat eos viam Paradisi. Appositis verbis doce fratres tuos, quid facere debeant, ut placeant Deo, æternamque consequantur felicitatem. At memineris, Christianum hominem virtutem piè factis, quàm disertis orationibus magis persuadere. *Non loquimur magna, sed vivimus.* Cypr. S. LVD-

S. LUDVVINA Virgo.

14. Aprilis.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis 2. Cor. 2. c.

LVDWINA formam obesse castitati videns, dignum Virgine rata est votum, deformitatem à cœlo petere. Audijt hoc, & omnia morborum examina misit: ijs ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere; sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. HIC ex amantibus solus iam ægræ cum Matre assidere; solius amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LVDWINA cruciatus suprà, quàm dici aut credi potest, graves, facilè tamen omnes redimebat. Genium Tutelarem ducem ad ea loca, quæ Christus olim præsentiâ suâ nobilitavit, ad purgantes item flammas & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primi parentis horto lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas, vel patientia sperare quid posse videatur; in subsidium pauperum, ipsa pauperrima, peculium tamen corrogabat,

& Jesu *crumenam* dictitabat, cui profectò omnes, cùm audient avari, invidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suasit, plumis in unum latus noctem incumberet. Risit ille, sed cùm hoc in plumis non posset, ne in flammis olim cogeretur, flevit deinceps. At Ludwina Anno Christi MCCCCXXX. ægritudinis assiduæ ac multiplicis XXXIIX. cùm id dolorum incrementum impetrasset, ut ignibus nihil superesset piandum, mortua tandem est, vel, ut rectiùs loquar, tandem desijt mori.

Ex Ioan. Bruggman.

MEDITATIO

Quo animo ferre debemus morbos.

1. MOrbus est donum Dei, quod sæpenumero nobis utilius est, ipsa sanitate; consulto siquidem hunc morbum immittit Deus, vel ut puniat peccata commissa, vel, ut deterreat à committendis, vel denique, ut patientiam nostram probet, & merendi præbeat occasionem. Si quæreres ex conscientiâ tuâ, cur hoc morbo cruciaris? haud dubiè intelligeres, hoc morbo te affligi, ut vitia tua relinquas, & imposterum sanctior fias: nam morbus parens est multarum virtutum. *Non ergo nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus, matrem esse virtutum*, Salv.

2 Fer patienter languores, dolores, quibus exerciaris, imò hilarem animum præ te feras, & cum divinâ voluntate omninò consentientem. Cùm autem velit Deus, ut humanis remediis utaris, præsta te facilem & obedientem medicis, aliisque, quia tui curam gerunt. Qui morbo laborat, multas habebet occasiones exercendæ virtutis. Utere diligenter tam pretiosis occasionibus.

3 Ne sis tu querulus in morbis tuis, impatiens, molestus. Existima, esse te in lecto, ut in cruce: considera patientiam Christi in cruce morientis, & eam imitare. Considera pariter animas, quæ levia propter peccata tam dura patiuntur in ignibus purgatoriis: Et memineris justum patientiâ ab injusto secerni. *In adversis per impatientiam queritur, & blasphemat injustus, patientiâ justus probatur.* Cypr.

S. EVTYCHIVS Martyr.

15. Aprilis.

Oportet enim contemptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc ad immortalitatem.

Epist. 1. ad Colossi. 15. c.

HOc die Ferentinates EUTYCHIUM Martyrem colunt, etsi ubi, aut quando animam posuerit, nesciant annales. Sed hæc Fasti olim cœlestes loquentur; nam

istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EUTYCHIUS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirent alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorũ Curatores, non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus. Ventum est Ferentinum. Hic festus lectulum sibi adornari propè tumulum Martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumq; censens à sepulchro lectum distare, quantum mors & mortis germanus frater somnus distant. Tunc quoq; inter curas insomnem ferè noctem agenti EUTYCHIUS visus adstare, & quærere, num vigilaret. Affirmanti deinde illa verba tertiùm inclamare: *Finis venit universæ carni*, simul vaticinium ipse quoque finire. Atque hæc noctis prodigia dici portenta exceperunt. Visa & audita cœlo arma quassari; & vento Aquilone duce castra ignea, & ignea acies imminere. Hæc verò omnia explicarunt non multò post Longobardi, cùm è septentrione Italiæ se infuderunt, sacra humanis, humana sacris miscuerunt, clademq; patriæ intulerunt. Inter hos ipsos tamen armorum strepitus suaviter Redemptus

tus obdormivit. Obdormivit, inquam, nam parùm differre mortem à somno ostendit vivus cum mortuis dormiens.

Ex Ferrar. & Greg. M. Dial.

MEDITATIO
De resurrectione mortuorum.

1. *Finis venit universa carnis*: ita Eutychius Martyr ad Pontificem è sepulchro suo vaticinatus est. Vaticinium hoc de nocte editum portenta dei confirmarunt. Meditare tu Christiane veritatẽ. O veritas! ita sanè est. *Veniat finis universa carnis*: tunc corpus, quod in præsentia opprobrijs, doloribus & paupertate premitur, glorioſum erit, immortale, impassibile, & puris spiritibus propemodùm simile. Quanto gaudio Beatorum animæ corpora subibunt, quæ laborum fuerunt consortia, & instrumenta victoriarum? Macte, labora, patere corpus meum, resurges, & mercedem accipies laborum, quos pro Christo toleraveris, *In carne meâ videbo Deum Salvatorem meum* Job.

2. Resurgent improbi: sed heu! quanto cum dolore miseræ eorum animæ deformia ac horrida repelent corpora, quæ causa fuerunt æternæ damnationis. Ecquid dicentẽ hos propter oculos, propter has manus, propter hanc linguam, denique propter tam vile corpus miserè periimus. Dum aspicis tuum corpus, subeat hæc cogitatio: meum hoc corpus aliquando erit in valle Josaphat; an ut ex hoc loco ad tartara præceps agatur, an ut ad cœlos transferatur? Nescio.

3. Post

3. Post resurrectionem non animæ tantùm, sed etiam beatorum corpora, ad cœlestem Hierusalem avolabunt; animæ verò & corpora damnatorum detrudentur ad inferos, ut igne devorante in æternum comburantur. Diligamus corporis oblectamenta: *Sed illa diligamus, quæ sine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur.*

S. PATERNUS Episcopus

16. Aprilis.

Liberati à peccato, servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Paul. ad Rom. cap. 4.

NObilis Aquitanus S. Paternvs fuit, à primis annis ascesin sectatus, unde & mater vestem ei paraverat eremicolis usitatam. Abstulit hanc in nidum suum rapax avis; at non abstulit tyroni religiosum animum, sicut & vestis in nido perennans illæsa demum reperta est. Vita Paterno cum Scubilione quodam in solitudine, rigida in paupertate agebatur; cilicio cinctus, sine lecto, cibi parcissimus, assiduus in precibus

gilabat

vigilabat, factus virgâ thaumaturgâ Moïses in deserto. Cùm enim rupem baculo percussisset, fons illicò salijt in rivum viventem. Quocunque venerat, ægri momento sanati sunt, & ex obsessis dæmones fugêre: umbræ scilicet ad solis ortum dissipantur. Crescentio cuidam subita cæcitate punito, ob neglectam pauperum curam, quam ei rex Childebertus demandârat, misertus PATERNVS visum restituit, monens ut diligentiùs deinceps pauperum subsidijs invigilaret. Tandè jam septuagenario, tres de cœlo visi Sancti Præsules, ei animarum custodiam commendantes, quam subijt à solitudine sua extractus ultimis annis & infulâ coronatus. Conjunxit tamen eum iterum cum Scubilione eremi socio unus, eâdem utrique horâ obitus, sed & unus, utriusque corpus tumulus texit. Quidni eadem in cœlis eorundem animas gloria exornat? *Ex Surio.*

MEDITATIO

Omnis vita rivo similis.

1. FOns, quem S. Paternus precibus suis impetravit, est vitæ symbolum & imago mortis. Ab eo defluens rivus ad mare centrum suum properat. Christiani à Deo existis, & ad Deum debetis redire, itaque in omnibus & singulis actionibus vestris unum

unum Deum ſpectate, ad unum Deum tendite. An eſt aliquid, ſi à Deo diſceſſeritis, quod dignum ſit amore veſtro? *Quid mihi eſt in cœlo? aut quid à te volui ſuper terram?* David.

2. Hic rivus nec ſaxis, nec ſpinis retardatur: non hæret, non quieſcit in canalibus ex metallo; aut marmore factis; non in ripis, herbis virentibus, & amœnis floribus conſitis: ad mare ſemper properat. Tu pariter à viâ, quæ ducit ad Deum, nec adverſis, nec ſecundis rebus declines: ne te retineant illecebræ vitæ jucundioris: ſperne mundi delicias: vince difficultates, quæ occurrunt in viâ virtutis.

3. Hic rivus ſemper inquietus eſt, & quæri dicetes, quòd à mari tantùm diſtet. I, quò volueris, fruere omnibus voluptatibus hujus mundi, nunquam omnino contentus eris; ſolus Deus poteſt animum tuum ſatiare: quietam ac felicem vitam vives, ſi ex toto corde Deum, nec aliud quidpiam, niſi propter ipſum quæſieris & dilexeris; ſi ſecùs feceris, ſemper inquietus erit animus tuus. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Aug.

S. HELENVS Confeſſ.

17. Aprilis.

Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Joan. 12.

FUgiendum eſt citò, quod nocet citò: Sapuit iſto maturè HELENUS conſilio, & è mundo

mundo priùs, quàm pueritiâ exiit, tutiùs inter feras quàm homines victurus. Jejunia producenti Cacodæmon escas obtrusit; sed Helenus & cocum & dapiferum aspernatus, cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox enim Angeli, ut Christo quondã dapes esurienti ministrârunt. Tntòa deinde promptiùs ipse quoq; per longa itinerũ spatia aliis prandia ferre, & si oneri succubuisset, Onagris eã imponere, nil repugnantibus, pigerrimis alioquin animantium. Neque jam solùm onera illius asini, sed ipsum etiam Helenum, cùm Mystam sacrificii caussá accerseret, per amnem Crocodilus transvexit: adeò sanctitati obtemperant omnia. Discipulo ejus cùm Orci minister libidinis faces admoveret, incendiariũ Helenus ad tantas redegit angustias, ut extra circulum, quem in arenâ scipione descripserat, ne latum quidem unguem aut ungulam ponere sit ausus, donec turpe incendium extingueret. Illud etiam memorabile, quod illæsus ignem calcârit, ut Zaraam hæreticum falsitatis argueret, qui perfidiam suam per flammas probare non ausus, Catholicæ Religionis, ut veri auri pretium auxit. His facinoribus Helenus Heliopolitanam primùm

primùm mitram, deinde æternitatis coronam meruit. *Ex vitis PP.*

MEDITATIO

De cultu Sanctorum.

1. QVantus honor est ministrare Christo: aqua, ignis, feræ, & ipse Minister Orci obtemperarunt imperijs Heleni *ita honorati sunt Amici Dei.* Quàm glorioſum illis! prodigijs ac miraculis naturæ quodammodo imperare; Ambitioſi ea honores! quos non poſſidetis modo, ſed quos quærere debetis.

2. Honora reliquias ac imagines Sanctorum. Da operam, ut templa & altaria Deo ſub eorum nomine conſecrata, ritè decenterque decorentur: hæc cura, Deo gratiſſima non modicæ tibi erit utilitati: Sanctorũ quippe plurimi gratiam habent curationum, & aderunt tibi, ſi quando aliquo morbo laboraveris. Eos etiam invoca in afflictionibus tuis; repulſam non patieris: ſunt fratres tui, paſſi ſunt eadem mala, quæ pateris: Non illis difficile eſt, homines adjuvare, quoniam maximè diliguntur à Deo, à quo nihil non obtinere poſſunt.

3. Sanctos imitare: illis placere, illos honorare magis non potes, quàm ſi eorum inſiſtas veſtigijs. Lege eorum vitas & in vitâ uniuscujusque ſelige aliquam virtutem, quam poſſis imitari. Quem ſanctorum imitaris? An fuit aliquis, qui perinde ac tu vixerit: Opes ac delicias terrenas affectu ſaltem relinque

linque, ut aliquando cœlestibus cum sanctis potiaris. *Libenter igitur terrena amittamus, ut cœlestia servemus.* Tertull.

S. URSMARVS CONFESS:

18 Aprilis.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut ego vos dilexi. Joan. cap. 13.

QVo tempore mater gravem VRSMARO ferebat uterum, venerandâ fortè canitie senex per vilum adstitit, puerulumque manu gestatum ejus curæ commendavit. Excusanti annonæ difficultatem, panem candidum porrexit, novo mox inter manus auctu grandescentem; prodigiiq; rationem ad nascituræ prolis doctrinam retulit, cùm annis ad multorum mortalium emolumentum amplificandam. Simul monstravit enitentem in sublime filiolum per scalam cœlo insertam. Præsagio fidem adstruxit vita cælestibus, quàm hominibus propior: nam Episcopus tempore succedente creatus, novem annis à pane humano temperavit, re-

liqui cibi tam modicus ut validæ membrorum vocisq; vires haud immeritò miraculi instar obtinerent. Dæmones frequenter injustâ corporum humanorum possessione dejecit: metu lemurum infestas ædes aquâ lustrali solvit, morbos curationum fines egressos divinâ sanatione depulit. Porrò charitas sevandorumq; mortalium studium in eminentissimũ virtutis fastigium assurrexit, cùm esset quotidie cujusvis hominis salutem sanguine vitaque recuperare paratus. Rerum adversarum patientia in Jobi comparationẽ evexit. Obiit anno Christi DCCVIII. de cœlo obtinendo solicitus imprimis, ut jam scalas admoveret, antequam nasceretur.

Rather, Veronense.

MEDITATIO

Diligere debemus proximum ut Christus dilexit nos.

1. CHaritas Ursmari erga proximum eo usque ad fastigium virtutis ascendit, ut esset paratus quotidie salutem viliſſimi cujuscunque hominis sanguine & vitâ suâ recuperare; & hæc est dilectio Christi. An tu proximum amas supra commoditates tuas & laboranti opitularis?

2. Christus nos amavit, cùm graviùs eum offenderemus: ejus exemplo diligamus etiam illos, qui

nos

nos odio habent. Facillimum est amare eos, qui bonis nos cumulant; hoc & impii, hoc Ethnici faciunt; amare inimicos Christianorum est. Examina Charitatem tuam juxta Christi dilectionem.

3. Christus nos amavit ut salvaret animā nostram: quantum potes, idem præsta proximo tuo. Nihil Deo gratius & proximo utilius, quàm ex amore tuum amovere fratrem ab occasionibus peccandi: Mone, argue, increpa, ora Deum pro eo: O felicem! Si vel unam Christo animam lucrifaceres; pro cujus Redemptione pretiosam vitam Christus dedit. *Tam pretioso munere ista Redemptio peragitur, ut homo Deum valere videatur.* Hilar. Arelat.

S. WERNERVS MARTYR

19. Aprilis.

Si Christi esse vis, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs. Gal. 5.

WERNERVS rustica ex Trevirensi agro progenies, egenis comparabat paratum diurno labore obsonium; vitrici asperitatē, ipse tam miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud paulò mansuetiores incidit: nam mapalibus fugientem, & esurientem cænulâ exceperunt, quibus ne oneri forte

hospes asymbolus, defixo humi baculo, novum è terra fontem salire jussit: à pastoribus digressus in feras incidit; annum enim agentem XIV. Judæi adhùc Christi in Christianis sanguinem sitientes capite prono columnæ alligárunt, S. Hostiam ab ore repetituri: loris deindeac ferro per omnia membra crudelissimè grassati satis docuerunt, quàm longè Apellæ omnem humanitatis sensum abjecerint; nam etsi triduo inter tormenta exacto omnium opem ac commiserationem exposceret, eam tamen neq; apud judicem argento corruptum reperit, inter acerbissimos cruciatus id unum habiturus solatii, quòd pendens demùm ad exemplum Christi animam efflavit. Cadaver ejus in speluncam abjectum est à judæis, ut à feris laniatum, credi posset, justà nihilominùs ei cœlum persolvit; multâ face circum cadaver accensâ, quæ WERNERI innocentiam & Judæorum crudelitatem detexit.

Ex Surio

MEDITATIO
De similitudine cum Christo habenda in tolerantia crucis.

1. WERNERUS inter Apellarum furias id unum solatii

solatij habuit, quod ad Christi exemplum pendens animam efflare posset pro Christo. Quis est in mundo, qui non pendeat in Cruce? sed quomodo? cum Latrone damnando pendent, qui blasphemant Deum, & aversantur, in quem respicere debent, Authorem salutis. O fatuitas! cruce scalâ cœli abuti, ut descendas in abyssum damnationis.

2. Pendent in Cruce cum Latrone liberando, quibus crux via est ad Dei agnoscendam justitiam, bonitatem, & sapientiam; justitiæ, se submittendo ut reos; bonitatem amplexando, ut filius castigatus à Patre; Sapientiam adorando, quæ adhibendo media ad salutem *attingit à fine ad finem & disponit omnia suaviter* in negotio prædestinationis.

3. Pendent in cruce ad exemplum Christi, qui innocens oblatus est pro nobis, quibus sine culpâ sua crux affectuosè concupita & amore Christi innocenter tolerata est gloriatio & exaltatio. *Tres cruces in uno loco erant, in una latro liberandus, in altera latro damnandus, in media Christus alterum liberaturus, & alterum damnaturus*. Aug. Epist 43.

S. AGNES POLITIANA VIRGO.

20. Aprilis.

Sic stulti estis, ut, cùm spiritu cœperitis, carne consummemini. Gal. cap. 3.

NAtale ſolum AGNETI mons Politianus eſt. Quo die in lucem prodiit, multis vicinus æther facibus ſtellatis illuſtris vitæ primordia celebravit. Nono ætatis anno, quo virgines aliæ totæ pendent à matribus, D. DOMINICI inſtitutum in ſacro parthenone complectitur, quindecim annis pane & aquâ victitavit, ſæpéque cæleſti pluviâ, qualis Hebræis per deſertos Arabiæ campos moventibus annona fuit, inter precandum eſt operta. Tres aliquando gemmulas ei Deipara dono dederat, vaticinata, ſuo honori aliquot ab AGNETE templa conſtituenda. Jeſulum aliàs in ejus ſinum infuderat; cujus è collo crucem eam abſtraxit, quæ in hæc uſq; tempora ad facti memoriam, piorumq; venerationem conſervatur. Sæpè ab Angelo divinam hoſtiam accepit. Balneum, quo valetudinis causâ utebatur, cœleſti Manna inſtratum, eoq; loco fons medicâ ſalubritate præditus erupit. Et quemadmodum ſæpè divinos Genios vivens habebat hoſpites, ita moriens coſdem adepta comites in cœlum evolavit, anno ſalutis M CCC VII. Mortem multi infantes è ſuis cunis quâ ſermone, quà cantu celebrarunt. Corpus putredine laboq; intactum, virtutum ac præcipuè caſtimo-

niæ

nix luculentam præbuit testificationem.

Ex Bulla Canonizat.

MEDITATIO

De causis teporis in studio virtutis.

1. AGNES quo fervore novennis Virguncula divino obsequio se consecravit, ab eo nunquam remisit. Nos quantum remittimus? Deus, cui obsequimur, constans est, non mutatur, nunquam defervescit ejus in nos amor: hanc imitemur constantiam; *Memor esto, unde excideris, & prima opera fac, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc.

2. Vulgò duplex est causa teporis ac remissionis nostræ in usu virtutis. Prima est, nimia fiducia in bonis operibus, quæ olim fecimus. Cùm semel ea deposuimus peccata, quæ nobis injiciebant inferni timorem: cùm aliquid, pœnitentiæ nomine, passi sumus, existimamus jam tutò ac sine metu nos vivere posse. At quàm vana est hæc fiducia! Cum timore ac tremore operare tuam salutem: Nam *sæpe immittit Diabolus securitatem, ut inferat perditionem.* Eucher.

3. Altera causa teporis ac remissionis in via virtutis est ingenitum cuique laboris ac mortificationis odium. Non placet corpori tam durum, ac tam diuturnum vivendi genus: horret planè animus, dum adhuc numerat 40. aut 50. annos vitæ durioris; verùm quis diem alterum nobis præstiterit, ne simus solliciti de crastino? agamus, quod agimus, quàm

poterimus, perfectissimè: cautè ac prudenter utamur tempore vitæ nostræ, cùm tam citò fluat. *Citò transeunt dies nostri, utinam bene transeant.* Cæsar.

S. ANSELMVS EPISCOPVS.

21. Aprilis.

Qui facit peccatũ, servus est peccati.
Joannis 8.

FAcilè mundum despicit, quisquis æquis oculis aspicit. Testis luculentus Anselmus est. Vidit hic (nebulam ab oculis Deo removente) quem nos mundum dicimus, immundum, quâ patet, paludem esse, cœni omnis ac sordium colluviem: In hac volutari miseros homunculos; hinc delicias suas haurire delicatulos; hîc gemmas quærere avaros; hîc triumphare ambitiosos. Miratus Anselmus posse tam sordidâ lacunâ pisces gaudere tàm nobiles, oculos ad religiosorum septa transtulit, & ædes sibi videre visus est regio opere structas & omnibus deliciis affluentes. Has itaque ingressus, ex Monachis Cœnobiarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Cantuariæ, mortuus memoratur

anno

anno MCIX. vir, qui è minimis quibusq; rebus maxima dare documenta scivit. Nam, ut alia silentio prætermittam, cùm lepusculum sub equum suum fugientem à canibus undiq; cingi conspexisset, eam morientis conditionem esse exclamavit ab atris geniis obsessi. Jam puerum conspicatus cum aviculâ lusitantem filo alligatâ, peccantis hominis typum esse dixit, qui libertate sua spoliatus ad arbitrium stygii aucupis viveret. Itaque, qui jam nos circumspicimus, si ANSELMO credimus, male dæmonis ludus, lepusculi, aviculæ captivi sumus. Nec tamen stulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus: quin quod omnem stultitiam exsuperat, cantitare etiam in tantis miseriis juvat. *Ex Edinero.*

MEDITATIO
De peccato Mortali & per illud servitute Dæmonis.

1. S. Anselmus in lepusculo fugiente, ac canibus, & aviculâ laqueo retentâ à puero, peccatoris, Dæmonis mancipij, miseriam contemplatus est. Qui peccato servit, quot immoderatos affectus, tot Tyrannos habet: *Venit libido, & dicit, meus es tu; veniunt omnia vitia, & dicunt, meus es tu; quam tanti competunt, quàm vile mancipium est!* Ambr. 2

2. Verè liber est, qui servit, & obedit Deo; etenimis unum duntaxat habet æquissimum, & facillimum Dominum, cujus mandata & rationi maximè consentanea sunt, & nobis utilissima. Voluntarium hoc, & rationabile obsequium, quod Deo præstamus, nos liberat à turpissimâ & sævissimâ Tyrannide Dæmonis, libidinis, peccati. Ah! si libertas maximum est bonorum omnium; cui, Domine, potiori jure meam ego devoverem, quàm tibi, qui mihi eam dedisti? *Deo parere, libertas est.*

3. Vt perfectâ & integrâ libertate in hoc mundo gaudeas, unum Deum & timere, & amare debes. Omnia supplicia, afflictiones omnes, omnes mundi deliciæ, opes, vanitates non poterunt vel ad minimum peccatum te impellere, si unum timueris, & amaveris Deum. Quot anxietatibus liberareris? si animo tuo altiùs inhæreret, nihil amandum esse, præter Deum, nihil timendum, præter Deum.

S. THEODORVS CONFESS:

22. Aprlis.

Cujus vestrùm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum. Luc. 14.

THEODORUM sexennem mater ad omnem licentiam informabat, cùm S. Georgius, ne

ne filium cæli Imperatori autoratum vitæ corruptelis effæminaret, præsens admonuit, pueri deinceps in sanctitate magister. Eunti ad ædem sacram dux adfuit, viam præstigiis orci præseptam & impeditam aperiens: Matri quoque, si à pietate filium avocaret, stricto mucrone exitium minatus. Propè interitum Theodorus erat, quando decantatus ille Proteus assumptâ contubernalis formâ, incautum in præcipitium impulit præsultor ipsius factus, eumq; exemplo tracturus, nisi custodis cura prævaluisset. In templo Christum cum Virgine matre præsentem aspexit, â quo ad sanctiorem militiam invitatus, illicò stipendia facere cœpit. Gigantem credidisses vim cœlo illaturum, si labores spectasses. Miraculis morborumq; medelâ clarus, quos aliis absterserit, sibi gratultus est dolores, eos divinæ in se voluntatis argumenta dictitans. Venenum impiorum invidiâ mistum, Reginæ cælorum benevolentiâ superavit, quæ piorum mensis securitatem affert, certiorem utique, quàm ii, qui periculosas Principum epulas gustu explorant. Hunc Reginæ Cœlitibusq; tam charum, quid mirum est, si Reges nostri orbis suspexerunt, neq; passi

sunt

sunt THEODORUM voto suo potiri, qui cùm probra sitiret, vel invitus honoribus mactatus est? *Ex Surio.*

MEDITATIO
De correctione eorum, qui curæ nostræ subsunt.

1. VEriùs illa pellex fuit, quàm Mater THEODORI, quæ ad omnem vitæ licentiam pellexit filium: Neq; illa Mater diligit, quæ filium peccantê negligit. S. Augustt. 1 de civit. c. 9. *Si neglexeris corripere, pejor factus es eo, qui peccavit.* Si autem monueris, resipiscet Frater tuus, atq; ita animam lucrifacies ejus Christo. Quomodo tu fungeris hoc officio charitatis? & quomodo amas corrigi?

2. At, inquies, molestus ero amico meo, illum si toties monuero. Esto; An ideò debes officio tuo deesse? Iniquiùs fortè est tuum de humilitate ejus judicium: Adde, quod æger est, cui vel invito adhiberi debet medicina. Quando valebit, gratias tibi referet. Officii tui, non personarum habe rationem. *Nulli parcas, ut soli animæ parcas.* Hieron.

2. Si tamen existimes correctionem non modò inutilem, sed gravioris peccati occasionem fore, cave, eam adhibeas; præpostera plerumq; monitio, aut correctio omnem spem auffert resipiscentiæ ac emendationis. Capta sedulò opportunæ monitionis tempus. Sæpiùs scalpellum in gossipio, odore moschi perfuso occultandum; sæpiùs catapotium

potium inaſtrandum, ut æger ea non refugiat. *Vis fratrem corrigere, illachrimare, ora Deum, apprehenſum admone, conſule, exhortare, monſtra charitatem erga proximum.* Chryſoſt.

S. GEORGIUS Martyr.

23. Aprilis.

Certa bonum certamen & apprehende vitam æternam. ad Timoth. c. 6.

ANno poſt natum Servatorem XC. ſupra CC. GEORGIUS fortiſſimus CHRISTI miles ob virtutem inter Tribunos adlectus, tum Comitis etiam titulo à Diocletiano ornatus, cùm hujus nihilominus efferam in Chriſtianos tyrannidem propalàm damnaſſet; in vincula & ipſe tractus, ſaxum primò ingens pectori injectum ſupinus fortiùs, quàm cœlum Hercules tulit; ad machinam deinde mucronibus omni ex parte armatam, ut antè ad gladios in acie, riſit. Hinc calce tres dies ſepultus, cùm illuſtrior ſurrexiſſet, ferreos & ab igne candentes calceos indutus, nempè ad Olympiam coronam cucurrit. Cæſus iterum immaniter, ac alapis contuſus, in ruborem languoremque ipſos

ipsos carnifices dedit, & testem fidei suæ mortuum è tumulo produxit. Tandem post tot egregiè pugnatas pugnas, coronatum pridie in carcere ab ipsomet Imperatore Christo caput, iterum coronandum secuti subdidit; cùm priùs ad ejus imperium corruissent omnia Numinum simulacra, & cacodæmones se esse, non Deos ultrò edixissent, verissimo omnium, quod unquam dederunt, oraculo. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO
De perfecto Christi Milite.

1. S. Georgius, ut perfectus miles, Christo primùm fidelis fuit, nec unquam defecit à Christo, tametsi Imperator, ut ejus fidem labefactaret, adhibuerit blanditias, minas, tormenta. Tu verò quâ fide & quâ constantiâ blanditiis, minis, deliciis, ac doloribus resistis? Heu! si tentaretur fides tua divitiarum ac honorum jactura, num citiùs fidem quàm hæc terrena bona relinqueres? Prosperitas unius diei efficit, ut Dei obliviscaris. Quomodo ferres Tyrannorum tormenta tu, qui amicorum jocos pati nequis? *Qui torvum vultum ferre non potes, quomodo sustineres tribunalia persecutorum?* Hieron.

2. Ut fidelis, sic etiam fortis ac generosus fuit S. Georgius, nam ut tueretur partes Jesu Christi, erecto & alacri animo atrocissima passus est supplicia.

Tua

Tua verò virtus leviſſimâ difficultate frangitur ac debilitatur. Tam acri ſtudio conſilia ac negotia tua ad exitum perducis: An tibi majus eſſe debet aut conſilium, aut negotium conſilio & negotio ſalutis?

3. Ad ultimum S. Georgius in fide ac conſtantia perſeveravit. Perſeverantia coronam capiti tuo impoſitura eſt: excidant è memoriâ tuâ bona opera, quæ olim feciſti, reſpice facienda, reſpice coronam, quæ tibi parata eſt, reſpice Deum certaminis tui ſpectatorem. Hæc ſi attenderis, facilius certè ad mortem uſque aliquid patieris. *Quis Sanctorum ſine tribulatione coronatus eſt? Quære, & invenies ſingulos adverſa perpeſſos.* Hieron.

S. BONA Virgo.

24. Aprilis.

Bonus es tu; & in bonitate tua doces me juſtitiam tuam.

118. Pſal. 68. v.

AGE Virgo animo. Hæ tibi leges ferun-tur: Lecto pudico cubato, Veſtis cilicium eſto, Ut latrones domeſticos effugias, pudorem peregrè ad Divûm templa circumferto. Nempè, duras, ais, & verè æreas leges fixiſti. Quid vis dicam? Tu non potes quod iſti & iſtæ? addo quod Virguncula Bona potuit, cui vix ſepte ni has leges ipſe ſum-

mus

mus Legislator Christus tulit, annuente & probante Virgine animo, quid? quòd ultro non lecto, sed stramine involvit pudorem, si non tam molliter, certè securiùs dormiturũ? quòd non semel sed decies ex Italia ad S. Jacobi sepulchrum in Galæciam abiit; quòd tres omnibus septimanis dies non nisi pane & aquâ traduxit, & reliquis, quibus opiparè vixit, leguminibus vixit, etiam tunc, cùm ab Hierosolymitano itinere & longâ Saracenorum captivitate redux, continuâ febri laboravit? Superi! quis nostrûm ægro corpusculo facit tam ægrè? Nimirùm Virgo facit, ut periclitanti pudicitiæ medicinam faciat. Et arrisit his studiis Christus ipse, qui Jerosolymæ ad sepulchum suum orantis Bonæ capiti ter manum suam imposuit, & post quadragintadiale jejunium traductum in eadem cremo à Virgine, in qua ipse traduxerat olim, annulo sibi visendus desponsavit, multisque aliis miraculis ornavit. Ultimò è vitâ Bona inter risum cantusque abiit. Quid miraris Lector? dum vixit, flevit.

Ex Exovio 13. tom. ann. Eccl.

MEDIT

MEDITATIO

Solus Deus summum & Verum bonum.

1. TOtus mundus in maligno positus est, & bono quid extra Deum quæres in mundo? O bona anima! finge in mundo omne delectabile bonum, & amisso Deo per peccatum, quid erit & unde erit vera delectatio! *pudeat igitur, cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, unde bona sunt.* S. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 3.

2. O bona anima finge totum mundi laboriosu interesse; *quid autem prodèrit homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et quale est animæ detrimentum? nempe primarium est Æterna Dei summi boni, ob malum summum admissum, quale peccatum est, inæstimabilis carentia? secundarium est æternum supplicium, & quæ insania hominis Cosmophili ob interesse momentaneum æternùm privari Deo? *Quo nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius bonum invenitur.* S. Aug. Serm. 1. de Trinit. c. 3. Ama bonum æternaliter utile.

3. Finge ô bona anima, quidquid boni est in vanâ gloriâ & erit tantùm punctum honoris; & minùs quid est puncto? quid verò non pro puncto gloriæ arduum æmularis? & quid pro immensitate æternæ gloriæ, quæ est infiniti boni summa parti-

cipatio, quid audes subire difficultatis? conclude de triplici bono mundi maligni cum Aug. in psal 16. *Quidquid mihi vult dare Deus, auferas totum, & se mihi det bonum super omne bonum.*

S. MARCUS Evang.

25, Aprilis

Tu verò vigila & in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. ad Tim. cap. 4.

MARCVS ut primùm res Christi literis gestas consignavit, à Petro Alexandriam legatus est: cum ipso, etiam Evangelium in urbem penetravit. Cùm enim sub porta Anianus cerdo detritas Apostoli soleas reficeret, subulaque in levam exertante, Deum, ut fit in adversis, inclamaret, Marcus, vulneri remedium fecit, & Anianũ magno operæ pretio ad Christi religionem traduxit; Sed cùm ob quotidiana Fidei incrementa Marcus insidijs appeteretur Anianũ pro se urbi Episcopum dedit, ipse Pentapolim abiit. Indidem biennio post Alexandriam rediit, ubi ad aram ipso Dominicæ Resurrectionis

ctionis festo die captus raptatúsq; per urbē, Paschalis pro Christo factus est victima: Ea nocte Angelus nomen suum Marco, Albo Cœli inscriptum monstravit, & Christus ipse magno præsens fuit solatio: posterâ luce cùm laqueo gula implicaretur, tam citò constringi non potuit, quin celerior anima ad superos evolaret: cadaver ne tortores exurerent, coörta repentè tempestas rogum omnem cum bustuarijs disjecit. Nunc de illius tumulo Italia Germaniaq; certant, ut de cunis Homeri Græciæ urbes, lite tanto sanctiore, quantò dignior est, qui Christi, quàm qui Achillis prælia scripsit. *Ex Euseb. Rom. & S. Hier.*

MEDITATIO

De Evangelii & mundi placitis.

1. EVangelium est Jesu Christi testamentū, quo nobis suam aperuit voluntatem, nósq; suos hæredes nuncupavit, eâ tamen conditione, ut, quæ mandavit, diligenter adimpleremus; quare sæpè meditare æternas veritates, quæ in eo continentur; unica quippe, si rectè intelligeretur, sufficeret ad sanctificationem nostram.

2. Suum mundus habet etiam Evangelium, Evangelio Christi omnino contrarium. Etenim præ-

cipit Christus, ut crucem tollas, & parcas inimicis; mundus autem, ut fugias crucem, & inimicos ulciscaris. Christus commendat humilitatem, abnegationem &c. mundus verò honores; voluptates &c. Jam videre potes, cujus spiritum habeas, an Christi, an mundi?

3, Ne credas, Religiosorum esse, non mundanorum, Evangelij præceptis obtemperare. Non est duplex Evangelium, nec Paradisus duplex; alter videlicet, quod à Religiosis ematur multo labore: alter verò, quod mundanis gratis concedatur. In Evangelio Christus omnibus præcipit, omnes debent ejus præceptis obedire; imò expediret, ut, quoad ejus fieri posset, ejus consilia sequereris. Parum amat Dominum, qui Domini consilia contemnit. Nunc Christiani *Semper in ore habens Evangelium, ejus tota eorum vita discrepet ab Evangelii præceptis.* Cyprianus:

S. MARCELLINUS PONTIFEX

26. Aprilis.

Pœnitemini igitur & convertimini ut deleantur peccata vestra.

Apoc. c. 3.

CEcidit semel Marcellinvs summus Pontifex, sed resurgendo casum glorio-

sum

sum fecit, quem panico mortis metu stravit humi fulminans Tyrannus, sensit ex lapsu fortiorem Antheum & triumphatorem. Thus quidem adolevit Idolis, & fumo sacrilego fœdavit animam, sed mox in Christianæ pœnitentiæ balneo lacrymis suis candidiorem reparavit, qui cum Petro peccavit negando Christum, eidem Petro, cui successit in cathedrâ, Successor in pœnitentiâ fuit. Convocavit 300. Episcoporum concilium, in quo adfuit non ut supremum caput Ecclesiæ, sed ut membrum abscindendum, cò quòd scandalizaverit fratres, fœditatem criminis non aliter obtexit, quàm cilicio & cinere aspersо, cæterùm confessione prorsus nudâ & simplici criminis veniam flagitans justissimus sui accusator. Respondente concilio *tu ipse Iudex es.* redijt ad Tyrannum, Immanitatem increpat, revocat ac damnat, quæ temerè dixerat ac fecerat, atq; ideo capitis amputatione Martyrij palmam recuperavit Anno 304.

MEDITATIO
De diffidentia sui.

1. HOmine nihil fragilius; graviora quæq; vitia patrare potest, si sibi ipse permittatur. S. Petrus

erus qui ad vocem unius ancillæ ter Dominum negat, S. Marcellinus Successor ejus, qui Thuris suffitu Idola veneratur, humanam liquidò fragilitatem demonstrant. Abjiciamus superbiam, & timeamus, si enim columnæ Ecclesiæ ceciderint, quid nobis quassatis arundinibus fiet? Domine, *Quod cecidi sum ex me, quod surrexi, ex te.* Augustinus.

2. Ne desperes, si in aliquod scelus ceciderís, quamvis scelus tuum omnium planè scelerum esset gravissimum, nunquam ejus malitia divinam vincet Bonitatem. Revertere ad patrem tuum; te vocat, te expectat, paratus est ad te recipiendum. Te citiùs pigebit peccare, quàm eum parcere.

3. Si verè, ac omninò velis ex peccatis tuis emergere, prævide, fuge occasiones, in quibus peccâsti; alioquin in eadem semper peccata prolabêris. Indaga causas peccatorum tuorum, & cognosces, ideo te peccâsse, quòd non vitaveris hos malos socios, quòd cupiditatibus, quòd sensibus tuis nimiùm indulseris. Tremens navarchus accedit ad scopulum, ad quem olim allisa est ejus navis: à morbo recens diligenter abstinet à cibo, qui morbum induxit. *Quid tibi necesse est, in ea domo versari, in qua necesse habes, quotidie aut perire, aut vincere?* Hier.

S. ANTHIMUS EPISCOPUS.

27. Aprilis.

Diabolus

Diabolus cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est. Joan. c. 8.

UT virtutis comes invidia plerumq; velut umbra adhæret bonis, sic virtutis fructus gloria, etiam fugientibus instans, ut sol à tergo illustrat. Ita ANTHIMVM, Nicomediensem nobilem, præclara à juventute virtus dignum ostendit, cui Nicomediæ vacante cathedrâ, quantumvis invito infula imponeretur. Bene factum, honorata virtus fortior, idolis adversari, & ad Christi cultum ex Imperatoris etiam aula ad verum Deum abstrahere ausa est, imò ANTHIMI doctrinâ viginti duo millia civium Nicomediæ ab idolis aversa, igne holocaustum DEO consecrata, in cineres abiêre. Hinc Maximinus Idolorum desolatione tristis auctorem ANTHIMUM inquiri per octoginta equites jussit. Et facilè se obtulit, qui latere noluit. Excepti ab eo ut hospites, inter liberalē cœnam intelligunt, ipsissimum esse ANTHIMVM, qui tam dapsiliter eos habuisset. Moti ergo viri benevolentiâ, ut illæsus esset, spondent se Maximiano fucum facturos: at noluit sce-

lere vindicari Sanctus, quin omnes hosce satellites, Christo ut crederent & sacro latice tingerentur, effecit. Subinde Tyrannum ultrò adit, objurgat sævientem, ridet tormentorum machinas, idola despuit, cruciatus ingentes è cœlo animatus generosè vincit, prostratis divina virtute tortoribus, confractisq; occultâ vi catenis, in ipso carcere maleficis fidem persuadet. At Maximianus, ne victus videretur, demum præmia, & summi Deorum Sacerdotij honorem ANTHIMO offert, si thura daret; at, rideus insana oblata Sanctus, sacrificiū veri Dei esse maluit: & factus est, capite abscisso, truncatus. *Ex Methaph.*

MEDITATIO

De veritate & mendacio.

1. NUnquam mentiri debemus, quocumq; velo mendacium nostrum possimus tegere: quoniam mendacium semper est peccatum, quod diabolo, mendacii parenti, similes nos efficit, deletq; in animâ nostrâ formam filii Dei, ac fratris JESU Christi, qui est ipsa veritas. Exemplo S. Anthimi debemus citiùs mori, quàm mentiri, aut pati, ut alii nostrâ causâ mentiantur. Mendacium non leve quidpiam est, cùm offendat infinitum ac omnipotentem Deum. *Nihil leve existimetur, quo Deus offenditur.* Salvian:

2

2. Qui mentitur, injuriam facit proximo, cum fallit, imò quantùm in se est, humanam dissolvit societatem, Si omnes homines mentirentur, quanta perturbatio? Injuriam etiam facit Christo: Nam Christiani non modò sunt membra Christi, sed organa vocis ejus. Quoties mentiris? in memoriam revoca mendacia tua.

3. Sunt quidam homines, quorum vita perpetuum est mendacium; simulatâ probitate omnibus imponunt. Quàm pauci volunt videri, quod revera sunt? Novit te Deus: frustra celas homines peccata tua; Deus tuus erit judex; aliquando omnia patebunt; larva detrahetur. *Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest; florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest.* Aug.

SS. THEODORA & DYDIMVS Martyres.

28. Aprilis.

Diligatis vos invicem sicut & ego dilexi vos. Joannis cap. 13.

FAbulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem; pulcherrimam Dydimus & Theodora dederunt. Hæc dum parvulum Tyrannum amorem fugit, in maiorem altetum Maximinum Imp. incidit.

jubetur aut fidem, aut Virginem ponere. Quid ageret? Martyr morereturne, non Virgo? Virgo viveret, non Martyr? Placuit Virgini martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus Dydimus irruit in militis persona vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes; sub milite evadit Virgo: sub Virgine miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa Virgo, quàm cùm sic fœmina fuit. Dum enim hìc ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse: hanc vel fugâ meruisse; esse certè in Virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit: sed nec animos deesse, quos cum armis sumpsisset; demùm si Theodora addicta sit morti, Theodoram se esse; si Dydimus, etiam hunc induisse. Contra querebatur ille, ingratam benefactori præmium invidere; arma se exuisse, non militem, stolam, induisse, non fœminam: turpe fore viro ærugum vertere, si sic mulier pugnaret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse, se denique (sive Dydimus jam esset, sive Theodora) se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, &

certa-

cernentibus causam lictoribᵘ, ambo vicerunt.

Ex D. Ambr. l. 2. de Virg.

MEDITATIO
De Sanctis amicitiis.

1. OMnes verâ charitate, paucos arctâ familiaritate complectere: Amici tui sint Dei amici, si enim tales habeas, eorum colloquiis virtutẽ docebere: fideles sunt amici, qui Deum timent; qui verò non timent, infideles. Enimverò quî præstarent tibi fidem, quàm Deo negant? An plura tibi debent, quàm Deo? An à te majora præmia sperant? An atrociora timent supplicia?

2. Finis amicitiæ tuæ esse debet suavis ac sancta vita, ideo debes cum alio jungere amicitiam, ut alter alterius consilijs, ac exemplis magis, magisque in virtute proficiat. Amicitiæ, quarum finis est lucrũ, compotatio, libido, brevi dissolvuntur. quãtùm laboras, ut amici tui sancti fiant? An tu ipse fis sanctior consuetudine amicorum tuorum? An contra eorum vitia, quàm virtutes magis imitaris?

3. Effectus amicitiæ tuæ sint, adesse amico sive corporis, sive animi miseriis prematur; abstinere oblectamentis, bonaque, & vitam ipsam profundere, tùm, ut amicũ è miseriis eripias, tùm maximè ut ex peccatis, ac peccandi occasionibus. In omnibus amicitijs tuis Jesus locum habeat, earúmq; sit & nodus & vinculum. *Elige illum amicum pro omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus fidem servabit in die sepultura tua*, Bern.

S. CATHA-

S. CATHARINA SENENSIS Virgo.

29. Aprilis.

Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit, Luc. 12.

CATHARINA ut primùm fari potuit, scalas perreptans ad singulos gradus Angeli verbis Mariam salutavit, Quid jam mirum, si his gradibus ipsum culmen sanctitatis conscendit? Anno ætatis septimo, Christo, quem supra D. Dominici conspicuum ædem habuit, se sponsam; ille, conciliante Matre aliisq; Cœlitibus, sponsum se obtulit Catharinæ. Itaq; sæpiusculè jam ad eam invisere, non rarò personatus mendic⁹ amorem probare, & stipem deinde datam è cœlo multis laudare. Addixerat se fœminæ fœdo carcinomate laboranti, nec jam stipendium aliud præter calumnias ferebat. Subtristi eam ob causam nonnihil, ecce Christus adest geminam manu coronam prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem, jubet optionem facere. Illa non nescia quâ corollâ sponsus ornatus esset, spinas invadit jamque

jamq; meliùs animata impensiùs pergit servitutem ingratæ servire; quin, ut sponsam se probaret, ex ipso fœdo ulcere pus exugit. Meruit hæc sitis alterum haustum, quem ex latere suo Dilectæ Christus propinavit. Illa ab hac ambrosiâ jam ebria; porrò ausâ est petere, cor amans sibi haberet. Superi, quis fidem daret! nisi amori hominum tam obnoxios vos sciretis? Auferit Catharinæ cor Christus & suum reponit. Tunc profectò expleto amantium voto. Christum Catharina cor suum: suum Christus Catharinam vocare potuit, Ex Iunio.

MEDITATIO

In vitam S. Catharinæ.

SCATHARINA cor suum cum corde JESU mutaverat. Et verò palàm ostendit, habere se cor amantissimi JESU, suo animarum studio, suâque misericordiâ in peccatores, pauperes, & ægrotos. Ubinam est cor tuum? An in divitiis? An in voluptatibus? Ut quid tam durum, ac tam frigidum est cor tuum? ut nequeat pauperum miseriis emolliri, nec divino amore accendi. Domine, amem te solum, aut si quid aliud, tui causâ. *Da cor, quod te diligat.* Aug.

2. Spineam coronam aureæ longè antepositit; hoc est, mundi delicias valere jussit, ut amplecteretur crucem

crucem Christi. Si in hac vita Rosas velis, cave, nam brevi marcessit earum decor, earum verò spinæ æternùm pungent. *Difficile, imò impossibile est, ut quis præsentibus & futuris fruatur bonis.* Hieron.

3. Assiduâ Dei præsentis cogitatione tentationes omnes vicit. Diligenter meditabatur passionem Christi, damnatorum cruciatus, & humanæ conditionis vilitatem, quibus munita cogitationibus, nec hominum persecutionibus, nec tentationibus Dæmonum movebatur. Cogita Deum præsentem, meditare æternas veritates, & nihil hoc in mundo aut timebis, aut desiderabis. Solùm de terrenis cogitas, quia ponis spem tuam in solis terrenis. *Esset in cœlo cor & animus, si in cœlo esset thesaurus.* Euch.

S. MAXIMUS Martyr.

30. Aprilis.

Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis 2. Corinth. c. 4.

OPtimus, falsissimâ nomenclaturâ, cùm pessimum mores demonstrarent, Asiæ Proconsul fuit, qui Ephesi sub Decio imperatore Christicolas vexare primò aggressus, ante

ente omnes manus in civem quendam de plebe injecit, irritatus, quòd palàm ille se Christianum jactaret. A capto quæsitum cùm esset, cujus nominis conditionisque esset? Maximus respondit, vocor quidem, sed conditione, quamvis ingenuus sim, minimum me Christi servum profiteor. Et Decii nosti decretum? instat judex. Novi, inquit, sacrifico tamen nisi Uni Deo; quod si piaculum, reum in potestate me habes. Aut sacrifica, ait judex, aut morieris. Ego verò id opto, infert Maximus; mortem non timeo, nec tormenta me terrent, idololatras autẽ æterni manent cruciatus. Hæc verborum libertas ita bilem Præsidi movit, ut fustibus primò, deinde equuleo in Martyrem sæviri jusserit, demúmque urbe ejectum, cùm constanti præconio Deum laudaret, lapidum procellâ obrui ac sepeliri mandavit, anno post Christum CCLIV. Tu, si placet, heteroclyto huic actui Epigramma adscribe:

Hîc occidit Maximus Martyr,
Quem occidit Optimus Tyrannus.

Ex Baronio.

MEDIT

MEDITATIO

De mercede laborum nostrorum.

1. LEve est, quod in præsentia patimur ad paratam nobis mercedem: aut faciles sunt, aut breves labores hujusmodi; si enim acres sunt, non sunt diuturni; si diuturni, non acres: interdum remittit quilibet dolor, & mitigatur. Ad summum labores, & dolores nostri, brevissimam vitam nostrâ æquare possunt. *Quidquid finem habet, breve est.* Aug.

2. Quæ nos manet in cœlo merces, æterna est durationè; infinita magnitudine; universalis amplitudine. Nullus dolor, fastidium nullum, nullus timor lætitiam; & gaudium nostrum temperabunt. Quid amamus terrenas delicias? Cùm is amor impedit, quò minùs cœlestibus fruamur. Quid timemus tolerantias ac labores; cùm his æternam nobis comparemus felicitatem? Unum Deum desideremus, nam *ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* Aug.

3. Solâ cogitatione æternitatis, solâ spe divinæ fruitionis, vel in hoc mundo læti vivere deberemus. Hæc cogitatio gloriosam Martyribus victoriam, hilarem verò patientiam, ac perseverantiam pœnitentibus dedit. Non semper flebimus, non semper patiemur. *Parentes nostri* (ait Euch.) *transiêrunt, nos abimus, posteri sequentur*: Sed æternitas semper manet.

MAJUS.

S. PHILIPPVS & JACOBVS Apost.

1. Maii.

Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis. Joann. c, 15.

GEmino dies hic sole nitet. PHILIPPVS alter, alter JACOBVS est. Ille vix inter hominum piscatores adlectus, captū illicò Nathanaelem ad Christum adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ij, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESVM aditum sibi per PHILIPPVM quærebant. illum in consilio Magister habuit, cùm ingenti multitudini commeatum pararet: illo rogante, Discipulis in Filio Patrē ostendit. Hinc cùm in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facilè Christo subegit, victorque

torq; sub annum IV. & Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit: cùm lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris, de Judæis IACOBI fuit. Hic & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut ingredi in sanctiora templi adyta uni liceret, & vel oram vestis ejus prehendere, partem felicitatis ducerent. Ita rem Hierosolymæ Christianam cùm XXX. annos administrasset, anno partæ salutis LXIII. vitæ XCVI. templi fastigio dejectus. & inter preces, quas pro hostibus suis faciebat, fuste fullonis est cæsus, ut jam me dubium uterq; hic Sol faciat, Orbine luxerit, an Cœlo occiderit pulchrior. *Ex Brev. Rom.*

MEDITATIO

In vitam SS. Philippi & Iacobi.

1. HI duo sancti ad Apostolicam dignitatē vocati sunt, prædicârunt Evangelium, & veritatem Christianæ fidei proprio sanguine confirmârunt: vocanti Deo uterq, paruit, in neutro vacua fuit gratia Dei: & uterq; imitatus est Christum patientem

patientem. A tanto tempore vocat te Deus, voce ejus audis, nec tamen pares: tot offert occasiones agendi ac patiendi, quomodo iis uteris? Si dolere possent Beati, dolerent profectò quòd dimiserint occasiones agendi & patiendi pro Christo.

2. Ubi primum S. PHILIPPUS Christianus factus est, ejusdem boni Nathanaëlem participem voluit, eum enim adduxerat ad Christum. Si Deus aliquam facultatem tibi dederit procurandæ alienæ salutis, ne frustrà eam acceperis. Suggere pia consilia amicis, domesticis. An id agis? An non contrà, multos offendis pravis verbis, & solutiore vivendi ratione?

3. S. JACOBUS justus credebatur, ac dicebatur ab ipsismet, qui necem illi intulerunt. Orationibus, modestiâ, duriori vitæ genere hoc justi nomen meruerat. An bene audis ab hominibus? scisciare ab amicis. Audi exprobrationes inimicorum, & detrahe materiam exprobrationi: sed in primis attende, quo in loco sis apud Deum: ausculta voceni conscientiæ tuæ. *Si publica fama te non damnat, propria te conscientia condemnat, quoniam nemo potest seipsum fugere.* Bern.

S. ATHANASIVS EPISCOPVS.

2. Maii.

Beati estis; cùm maledixerint vobis

homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, Matth. 5.

NOn rarò pueritia toti vitæ præludit. Ita ATHANASIUS Alexandriæ inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopũ lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cœlo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quam ne noverat quidem. Hic alius nonnemo & suppetias laturus innocentiæ, ideoque ATHANASIUM sese assimulans; heus, inquit, egóne vitium tibi feci? mox illa; tu verò ipsissimus. Ita cùm & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam ob rem illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaq; in templum progressus, vitaque suæ ipse testis ostendit, se quidem utramq;

utramque manum, cæterùm accusationem nec caput nec pedes habere. Exul nihilominùs sæpè ATHANASIUS totum penè orbē peterravit. Annos in cisterna quádam latitavit V. indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cùm hostis instaret, navim vertit, jamq; obvius quærenti, num ATHANASIUM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectà Alexandriam reversus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus Anno CCCLXXII. nunc inter mortuos iterum vivit. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De persecutionibus.

1. DEus permittit, ut servi sui vel fidelissimi persecutionibus probentur; tum ut expient levia quædam peccata, tum, ut majus præmium accipiant, tum denique, ut cautiores facti, rebus prosperis non insolescant. In omnibus persecutionibus Deus gloriam suam & animæ tuæ salutem quærit; eas itaq; non querulo, sed grato animo patiaris. Deus mala immittit, quòd bona neglexeris; æquum est, *ut, qui beneficiis non intelligitur, plagis intelligatur.* Cyprian.

2. In omnibus accusationibus, vide, utrum ob-

jecta tibi crimina commiseris. Si factorum premaris conscientiâ, veniam pete à Deo. Dole, non quòd acculeris, sed quòd aliquid commiseris accusatione dignum. Deo gratias age, quòd ope inimici tui vitium cognoveris, cujus ignorantia morte animæ illatura erat.

3. Si falsò accusaris, si propter bonam aliquam actionem vexeris; & lætari, & grates Deo referre debes, quòd patiaris propter justitiam: Ne sis admodùm sollicitus de objecto crimine: serius, ociùs illud diluet Deus. In persecutionibus tuis memento, quòd *sæpè filios paterfamilias per nequissimos servos emendari jubet, cùm illis hæreditatẽ, his compedes præparet.* Aug.

INVENTIO S. CRUCIS.

3. Maii.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.
Matth. 10.

GAudent alii crucem, quam cœlum mittit, missam amittere; at amissam olim Christi crucem inveniisse hodie se gaudet Helena & triumphat. Rei gestæ ordinem hîc habes. Latebat crux terrâ, plùs odiis

Judæorum

Judæorum sepulcra. At Helena, cùm primùm filius Constantinus Maxentium debellavit, Crucis sanctissimæ auspiciis; quò grata foret, omni ingenio viribusque eruere defossam, orbiq; adorandam proponere contendit, tunc demùm credens thesaurum se reperturam, si Crucem. Ita locus à superstitione primùm purgatur; & infame Veneris stabulum statuáque dejicitur: mox humus altè egeritur: tandem tergeminæ Cruces parent, & ponè titulus Crucis refixus. In ipsissimas auri venas offendisse Helenam credidisses. Minuebat tamen lætitiam publicam illud, quòd, quænam ex tribus Servatoris Crux foret, sic nondum constaret. Sed opportunum consilium Macarius urbis Episcopus suggessit, jussitq; ordine singulas morienti tunc fortè mulieri imponi. Pergebat illa ad primæ contractum mori, itemque ad secundæ, ad tertiæ deniq; incolumis revixit. Huic Helena templum struere dignum magnificentiâ suâ, Crucemque, hoc est aurum, argento includere, partem quoque unà cum auctario (clavis ejusdem) ad Filium Imp. transmittere, regium utiq; donum. Agnovit ille signa victoriarum suarum & summè venaratus toto imperio edixit, ne quæ tes-

fera salutis foret omnibus, posthac improborum foret supplicium. Clavorum altero diadematis frontem, altero frænos Imperatorios ornavit, certus majores nobilioresq; uniones neque Indiam posse submittere.

Ex Brev.

MEDITATIO

De triplici genere hominum, qui inveniunt Crucem.

1. PLures non quærunt, sed fugiunt crucem, quos tamen crux sequitur, & assequitur; in eo genere sunt peccatores voluptatibus dediti; illi enim delicias, & felicitatem semper quærunt, sed nunquam inveniunt: unde hoc? ex eo sanè, quod, qui Deum non quæsierint, nunquam felices, contenti erunt, sed cupiditatibus suis semper cruciabuntur; quin etiam Deus ipse afflictiones immittet; ut, cognitâ rerum creatarum miseriâ, redeant ad Creatorem. *Nemo probrosus potest esse felix, quia, ubi non est vera honestas, non est vera felicitas.* Salvianus.

2. Alii quærunt, & inveniunt crucem, illi nimirum, qui incipiunt Christo servire, quorum cùm animus adhuc imbecillior sit, quàm, qui omnes labores alacriter superet, affliguntur illi quidem, & gemunt sub pondere. O vos felices! si cœptum crucis iter constanter teneatis.

3. Viri sancti ardenter quærunt, nec inveniunt

crucem

crucem. AMPLIUS, ait S. XAVERIUS, AMPLIUS. Sancta verò Theresia: AUT PATI, AUT MORI, Ambo tamen, ut S. Paulus, superabundant gaudio in tribulatione, propter longũ patiendi usum, propter ardentiorem in Deum amorem, propter cœlestes consolationes, quibus afficiuntur. *Dum beatam quaerunt vitam, beatam agunt, & dum adhuc ambiunt, jam consequuntur.* Eucher.

S. MONICA Vidua.

4. Maii.

Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Luc. 23.

HÆc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde cœlo, secundo, quàm primo partu felicior, dum Filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæa mortalissima humani generis peste perierat Augustinus; Mater sic mortuo affundere lacrymas non ante destitit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis, *Fieri non posse, ut filius tantarum lacrymarum periret.* Vim nimirum faciebat

bat Deo (uti Auguſtinus poſtea jam renatus loquebatur) *cor contritum & humiliatum viduæ caſtæ ac ſobriæ petentuq; ab eo non aurum & argentum ſed ſalutem animæ filij ſui.* Cujus illud primum indicium fuit, quod Ambroſio acquieſceret, & deſtillante ab illius viri ore Ambroſiâ paſceretur, quem proinde non immeritò ut Angelum Dei MONICA diligebat: quando verò idem eſt boni Præceptoris, quod Angeli officium, etſi non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti ſui, & Auguſtino in tantas ſuccreſcente ſpes, negavit longiore ſibi vitâ opus eſſe, deſiderio cæli ad Oſtia Tiberina filio profeſſa, cùm diceret, *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hac vita, immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neq; multò poſt terris exceſſit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare ſui meminiſſent. Nos illam ſuſpiriis repetimus normam & exemplar Matrum omnium; nam hodie pleræq; non pereuntibus filiis, ſed ad Deum abeuntibus lacrymantur, coſque diligendo occidunt

Ex operibus S. Auguſtini.

MEDITATIO
De privatione ſpiritualium conſolationum.

Deus

1. DEus nonnunquam permittit, ut amici sui &c. exuantur ac nudentur omni prorsus solatio, ut nec ipsâ quidem oratione conquiescant. Cùm hanc privationem ac fastidium experieris, ne frangatur animus tuus, id quippe videt, id permittit, atq; immittit Deus. Tunc recordare, Christum in horto Getsemani ad mortem usq; tristem fuisse, & in Calvario monte à Patre derelictum. Dic Deo, ac Patri tuo: Pater mi, fiat voluntas tua: Patiar quantùm, & quamdiu volueris.

2. Ideo permittit Deus, te consolationibus privari, vel, ut puniat teporem tuum: vel, ut ostendat teneriorem pietatis sensum, quò prius afficiebare, merum Dei donum esse: vel, ut pluris facias has consolationes, quas aspernareris, si frequentiores essent: vel denique, ut tibi merendi præbeat occasionem. Quære ardenter sponsum tuum, qui abscondit sese, ut probet amorem tuum. *Abscondis se ergo sponsus, dum quæritur, ut non inventus, ardentiùs quæratur.* Gregor.

3. Ut reddatur tibi lætitia salutaris, observa, quid causæ sit, cur Deus eam abstulerit: veniam postula; abjice te coram Deo: profitere indignum esse te beneficiis ejus. Ardentiùs incumbe in solita pietatis officia; dolens ac gemens quære, quem diligit anima tua. Dic ipsi cum Augustino: *Quare faciem avertis gaudium meum per quod gaudeo? ubi & absconditus pulcher, quem desidero?*

S. HILARIUS

S. HILARIVS Epiſc: Conf:

5. Maii.

Vnuſquiſque prout deſtinaverit in corde ſuo, non ex triſtitia aut neceſsitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Corinth 9.

Licentiùs vivere hilaria viſus eſt HILARIUS ſenſuum inconceſsâ libertate juventam exigens; at velut vinitor ſerpentes humi vites palo alligans erigit, & luxuriantia ſarmenta crineſq; falce diſtringit, ſic HILARIUM Honoratus Abbas ad ſuum Lirinenſe Monaſterium adducens adeò reſecta omni libertate, virtute illuſtrem reddidit, ut, mores aliorum heroâ virtute excedens, omnibus præiret exemplo, ipſiq; Honorato magiſtro ſuo, ut ſuccederet Abbas, communibus ſuffragiis nominaretur, inde paulò poſt ad Arelatenſem Pontificatum, quantumvis diu reſtitans, columbæ indicio, velut cœleſti augurio eſt evectus. Quo in officio, non ceſſavit labore manuum juvare pauperes, nunquam ſine prævia pii libelli lectione cibum ſumere ſolitus eſt. Oratione ſuâ diſſoluto vitæ emendationem à DEO obti-

nuit.

nuit. Cum S. Augustino erat ei litterarum commercium, pro quo etiam contra Pelagianos generosè pugnabat: jura Ecclesiæ cùm acriùs defenderet, cessit deinde, &, ut bonæ mentes solent, se reum nimii fervoris apud Pontificem accusavit, quem zelum utinam ampliorem haberent, qui frigidi, metu potentiorum, neglectis sacrorum juribus prævaricatores fiunt.

Ex Martyrol. Gallico Suszati Suffrenus.

MEDITATIO

De gaudio spirituali.

1. Hilari animo Deo servias: nam solent homines Dei bonitatem laudare, cùm servos ejus lætos, ac hilares conspiciunt; imò ad piè vivendum ipsi excitantur, cùm intelligunt, facilius ac suavius esse, quàm putant, Deo servire: tibi utique hæc hilaritas admodùm utilis erit; non enim gravat onus, quod hilari animo gestatur. Lætare in Domino semper, ut omnes cognoscant, te non ex necessitate, sed ex animo ipsi servire.

2. *Vix nusquam esse tristè bene vivit.* Elue sordes conscientiæ: Tristitia cùm cæteris malis per peccatum in mundum intravit. Ubi nullum peccatum, ibi nulla, vel certè brevis tristitia, Bonæ conscientiæ merces juge gaudium; supplicium verò pravæ juge tædium, jugis mœror, jugis tristitia. Ne concupiscas

cupiscas peccatorum felicitatem: nam *nihil infelicius felicitate peccantium.* Aug.

3. Ut lætitiam Spiritûs foveas, augeasque, Deum attende & Paradisum. Memento, Deum spectare tuos labores, æternamq; coronam tibi præparare. Splendeat in vultu hæc lætitia, dum alios alloqueris. Scito, tristitiam virtuti admodùm contrariam esse; sanctam verò lætitiam valere plurimùm, tum ad vincendos, tum ad fugandos omnes inimicos animæ nostræ. *Nullum armaturæ genus est validius, quàm gaudere secundùm Deum.* Chrysost.

S. JOANNES DAMASCENVS.

6. Maii.

Tu scis, quia falsum testimonium tulerunt contra me. Dan. 3.

ETiam hic JOANNES, cui Patria Damasceno nomen fecit, inter Virginis cultores in paucis est numerandus. Cùm autem Sarracenorum Duci à consiliis esset, calamum interim in Leonem sacrarum imaginum hostem strinxit, pulchrum existimans pro Matris capite manum suam obicere. Nam cùm literas commentus impius esset Impe-

rator

ratos, velut ab ipso JOANNE scriptas, quibus Damascum prodere cogitaret, easq; Saraceno transmisisset, dexteram hic scilicet detruncavit innocenti. Sed precanti, & ante icona Deiparæ familiatius quærenti, quòd ad pugnandum pro ipsius, & Filii honore inermis jam esset, ecce tibi auxiliatricē manum Virgo porrigens, dextram integerrimam restituit, relictâ solùm in miraculi vestigium lineâ rubente, quam rectiùs armillam nos dicemus. Hinc JOANNES sapientiæ sanctioris rudimenta inter Anachoretas discere aggressus, magnos brevi progressus fecit. Fiscellas enim in patria jussus vendere, risui scilicet fuit, qui nuper omniū admirationi erat. Jam sordes omnes in cœnobio, illâ, illâ non tam suâ quàm Virginis manu jussus purgare, non dubitavit imperio obsequi. Quare manum tam nobili victoriâ splendidam, calamo denuò ipsa cœli Imperatrix MARIA armavit, scripsitq; illa, quæ hodieq; orbis universus mirarur. Sed nimirum quæ reddidit, etiam texit dexteram. *Ex Id. Patr. Hier.*

MEDITATIO

In vitam S. Damasceni.

Non

1. NON potuit Isauricus LEO, ferox bellua aliter discerpere justo stylo perstringentem sancti scriptoris impollutam manum, quàm cruentâ amputatione; postquam commento criminis fidissimi consiliarii omnis nævi expertem candorem apud Saracenum Ducem denigravit. Hoc carbone mundus fœdare solet eos, quos juste adversantes sibi experitur, & quorum calamo errata sua dedocetur. Sed tu ne metue mundi notam in candore tuo. Felix jactura manûs illa fuit, quæ ideo abscissa est, quia impium scandalizavit, non autem justum & rectum, S. Hieron. *Ab Ecclesiæ incunabilis non defuit iniquitas premens, & justitia patiens.*

2. Manus post amputationem S. Damasceno restituta, quoad vixit, in vestigium miraculi sanguineâ lineâ velut armillâ ornata fuit. Ita Deus in resurrectione corporum speciali honore & gaudio ea membra afficiet, quæ plus compassa sunt, cum Christo patiente. Quid adeo immemor hujus remunerationis blandiris delicatule membris lutei corporis tui; nec cogitas, quod incorruptibile hoc aliquando induat incorruptionem?

3. S. Damasceno Beatissima Deipara manum integram restituit: hanc cole; hæc tibi manum porriget auxiliarem in necessitatibus; ductricem in dubiis & perplexitatibus, pugnatricem & victricem in tentationibus, nunc, &, si devotè coleris, in horâ mortis:

S. STANIS

S. STANISLAVS Mart.

7. Maii.

Testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Act. 14.

JUstitia Præsides multos habet, patronos paucos. STANISLAUS adeò Cracoviensis Antistes mortuum citare testem coactus est, ne optimâ causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili emptum, fraude amicorum ejusdem propè perdiderat, nisi illum ipsum Petrum trienio ante defunctum ad judices redivivum adduxisset, quem nemo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare. Vitiorum severus vindex semper audiit; ignarus regulam flectere, seu pauperum tabernas, seu regum Palatia metiretur. In omnem peccandi licentiam Boleslaus Rex proruerat, quem nequicquam Stanislaus piorum tribu movit. Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vindictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victimam objicit, iisque tertium divinâ virtute vim afferre prohibitis, ipse carnificis mu-

nus occupat, & laniati à se Antistitis membra dispergit. Damnarunt crudelitatem quatuor aquilæ, perpetuis excubijs Reliquias tutatæ; donec miraculo cælestique luce exciti mortales, eas in urnam componendas legerunt. Juvit pietatem divina manus, lacerosq; inter se artus ita colligavit, ut nullum crudelitatis vestigium supereset. Non sustinuit impius Rex tam luculentam insaniæ suæ exprobrationem; sed regnum exilio mutavit, omnium hominum odium; cùm Stanislai triumphum etiam Aquilæ augerent. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De periculis mundi.

1. IS, quem suscitârat STANISLAUS, iterùm mori maluit, ac Purgatorios ignes repetere, quàm diutiùs versari in periculo salutis; nec injuriâ, siquidem salus periclitatur in omni arte, ætate, conditione. Cave tibi, semper advigila. Si tibi adhuc integrum sit, vivendi genus eligere, elige tutiùs, & remotiùs ab occasionibus peccandi.

2. Nullus est locus, in quo peccare non possis: In ipso terrestri Paradiso Adam peccavit, peccârunt Dæmones in cœlo: Admittuntur peccata in urbibus, in solitudine, in pastorum tuguriis, in palatiis Regum, in templis, ac ædibus Deo consecra-

tis.

tis. Ubiq; dæmonem, ubiq; te ipse invenies. Quid vitam hanc tam lubricam amas? Quid placent tibi maris hujus procellæ? Quid securus dormis, tametsi nescias, utrum naufragium facturus sis, an feliciter ad portum venturus?

3. Ut mundi periculis expediaris, recede ab hominum turbâ: Ama solitudinem: nam solitudo parens est, nutrix, ac conservatrix virtutum. Si ab hominum consuetudine semper abstinere non possis, abstine quàm poteris sæpissimè. Memento denique, Deum esse ubique, ac singulas actiones tuas videre. *Si peccare vis, quære, ubi te non videat Deus, & fac, quod vis.* August.

S. AMATUS Conf.

8. Maii.

Et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit. Jerem. 9.

AMATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenera ætate amissis, multa tulit fecitque Puer & Adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, fœminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri Amati

nupta, filiam quam priore conjugio tulerat, cùm Amato sponsam obtruderet, repulsam ultimis odijs ulta est, exiguo tamen Amati incommodo, deputantis in lucro, si virtutis causâ nomen suum amitteret, fieretque exosus: Numinis tamen benevolentiam omnibus officijs captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ famem sustentaret: in emaciato nihilominus corpore, flagro ferreo non modò memoriam, sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoq; illius assecutus, ut pro malesano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi, cœlum ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum, etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo Amati famam frater fœdo crimine sugillavit; stupri commercium ei cum Clara sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulantem in jus Sol absolvit, abollam ejus intercipiens, suisque radiis sustentans. Ijsdem illustrata Amati est sanctitas; sed ille proditorem suum fugiens inter sacras peregrinationes consenuit; in hospitali deniq; pauperum domo, quam suis impensis

impensis erexerat, mortuus. Corpus nondum extabuit, suaq; integritate fratris calumniam etiam in tumulo refutat. *Ex Phil. Ferrar.*

MEDITATIO
De fiducia Dei in mundi fallacijs.

Etiam Inimici hominis domestici eius. Hoc expertus in fratre suo S. Amatus, quid confidis hominibus? qui plerumque vel nequeunt vel nolunt opem ferre. Inconstantes sunt suis servientes bonis. Nullus eorum est, qui si à bonis terrenis discesseris, quicquam tibi dare possit: Attamen tam multum temporis absumis in comparandâ eorum benevolentiâ, & tam parum ponis in conciliandâ amicitiâ Dei, qui solus paradiso donare potest. Huic confide plus, quàm omnibus. *Cum mundus abest, Deus adest.* Chrisolog.

2. Deo confide in pugna carnis & cum S. Amato carnis triumphabis illecebras, nec credere potes, in quacunque tentatione ab amantissimo Domino tuo & te derelinqui posse, qui vult te salvum facere, quid ni saluti necessaria concedet? Examina quid speras, quid postulas à Domino? *Multi de Deo sperant pecuniam, & aliud quodlibet, praeter ipsum Deum: tu ipsum Deum tuum pete.* S. August.

3. Radij solis innocentiam S. Amati mundo conspicuam fecêre, tu confide Deo, si Joseph es,

si Susanna es, si Naboth es, inter criminationes Deus est, qui illuminabit abscondita. Nudabit detractâ larvâ mendacium & illustrabit veritatem.

S. GREGORIUS NAZIANZEN.

9. Maii.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.
Joann. 16.

GREGORIUS à patria NAZIANZENUS, ab eruditione postea Theologus dictus, cùm studiorum causâ Athenas peteret, gravi tempestate jactatus, proximè ultimum vitæ discrimen fuit. Quis credat, quò felicitatis venti secundi nunquam tulissent, adversi tulerunt. Cùm enim vovisset, si ex his undis emergeret, sanctioribus Baptismi aquis caput mersurum, & vitam inter Religiosos acturum, illicò cœlum arrisit, & damnatus voti Georgius navim non tam ad terram, quàm ad cælum appulit. Porrò Athenis commoranti, uno eodemque tempore & Castitas & Sapientia visendam se dederunt, & amanti

manti ambæ lubentes nupserunt puro, ut arguerent juventutem nostram, quæ sine animi puritate Sapientiam ducere nequicquam allaborat. Exinde ut in studijs & legibus monachorum condendis, ita etiam in bello contra Arianos Magno Basilio socius fuit; ausus in ipsum Julianum, in quo adolescente etiamnum Athenis tyrannum latere edixerat, palàm & scribere, & dicere, sævientis vulgi & saxa in se conjicientis clamores velut plausum accipiens. Sed & Pontifex jam Byzantinus sicario ab hæreticis in necem suam subornato, facilis veniam dedit: pòst tamen gravibus iterum seditionũ fluctibus agitatus, missâ urbe ac insulâ, in villulâ patriâ malaciam, in morte denique anno CCCLXXXIX. portum reperit.

Ex Greg Presb. apud Surium.

MEDITATIO
De bono exemplo.

1. ESto aliis bono exemplo: sit lucerna ardens in manibus tuis: rectè factis Dei amorem accende in aliorum animis; si secùs feceris, si malo exemplo offenderis proximum, gravis te manet pœna. Quid offendis fratrem tuum, cujus causâ mortuus est Christus? quid pravo exemplo viam ipsi

ipsi facis ad infernum? S. Franciscus suâ modestiâ, & Apostoli, plures adjunxerunt Christo patientiâ suâ, quàm verbis: quamvis eorum verba igne divini spiritûs accensa forent.

2. Cùm vides aliena peccata, vide, utrum iisdē peccatis obnoxius sis: Si nil tibi conscius es, habe Deo gratias, & perpende gravitatem horum peccatorum, ut illa detesteris: peccatorum gravitatem ac turpitudinem facilius in alio cognosces, quàm in te ipso. Fuge occasiones, in quibus peccavit: *Disce sapere periculo alieno, ac cautior esse.*

3. Inspice tot pios homines, unde potes virtutū exempla petere. Quot vides, qui pro amore Dei durum & abjectum vivendi modum tenent? quot, qui indefesso labore suæ ac aliorum saluti vacant; quot, qui neglectâ inutilium scientiarū vanitate soli student scientiæ salutis! Quot deniq; adolescentulas & adolescentulos, qui assiduis laboribus ad cœlos tendunt; Dic cum S. Aug. *Surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris in carne volutamur, & sanguine.*

S. JOB, Propheta.

10. Maii.

Thesaurizate thesauros in cœlo, ubi neq; arugo neque tinea demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur. Matt. 6. Thes.

THesaurum cruo, longissimo â tempore in terra Hus defossum. Virum non martyrem modò, sed, Chrysostomo judice, virtute & meritis Apostolis parem. JOB, inquam, patientiæ exemplar. Hic ex Rege Idumæorum, decem prolium patre, opum potente, palatiorum incolâ, famulitio crebro spectabili paucarum horarum methamorphosi, improlis, egens, desertus, in fimeto sub dio, bonis spoliatus omnibus, morbis obrutus & ulceribus, dæmone torquente, DEO permittente, speculum orbi propositus est, cujus intuitu erubescant delicati, solatia accipiant afflicti, & sperent spoliati, erigantur contempti. Sepultæ ruinâ proles ei omnes, ablata pecora, mactati servi, incensa tecta, sublata sanitas, supersit uxor, quæ exprobrat, pauci amici, qui damnant; sterquilinium, quo, lecto & ædibus ejectus, in sordibus computrescat. At, pericrint omnia, Perstat invicta patientia, laudatur à JOBO, in bonis & malis semper bonus, DEUS, qui abstulit, ait, ante dedit: suum repetiit Injuriam facio, si justitiam non laudo. Sic Job, qui credebatur desperatus, devicto dæmone, superior malis omnibus, ex cinere, ut phœnix, revixit. Redit sanitas,

duplicantur pecora, recrescunt opes, honor & potentia restituuntur & amplificantur, sed & posteritatem in quartam generationem vidit, & talis inter Ethnicos, tam bonus, simplex & rectus inter malos JOB fuit, & velut aurum in igne probatus est; tu in medio justorum malus, quid murmuras, si adversis te DEUS ad meliora excitat.

Baronius ex libro Iob.

MEDITATIO
De bonis hujus mundi.

1. DIvitiæ, voluptates, honores, & cætera hujus mundi bona expeti minimè debent, cùm nullum efficiant meliorem. imò sint criminum ferè omnium instrumenta. Modestior, frugalior, ac castior esses, si pauperior. Langueret plurimarum virtutum usus, nisi excitaretur afflictione, morbo, contemptu.

2. Non expletur animus his bonis levibus ac imperfectis: sed, qui plus habet, plus cruciatur, sive augendi curâ, sive amittendi metu. Age, an unquã vel in secundissimis tuis rebus omninò fueris contentus? An unquam perceperis voluptatem, quam fastidium & dolor statim non exceperint? Mundi suavitas semper amaritudine aspergitur, nec ulli licet ejus rosas impunè colligere. Salomon nullis non indulserat voluptatibus, & ait: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ergo

3. Ergo quære thesauros in cœlo; non vani sunt illi quidem, nec ærugo eos demolitur, cordis explent immensitatem, tuti sunt ab invidis, & furibus. Nos rident Angeli, cum observant, tantum sudare nos ædificandis luteis domibus, quas brevi sumus relicturi, dolent utique quòd voluptatibus nobis, animantibusque, communibus, delectemur. O Christiane! spera, pete sublimiora: *Cohæres* Christi. *quid gaudes, quia socius es pecori; erige spem tuam ad bonum omnium bonorum.* Aug.

S. GANGVLPHVS CONFESS:

11. Maii.

Conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt, vobis confundantur. 1. Pet. 3. 16.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo, corporis, animi, quæq; fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium malâ Uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatē, etiam fœdis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc, & alijs prodigijs illustris. Gangulpho in Campania

prandenti simpliciſſima ad ſpeciem quæſtio excidit, quanti fontanam, cui aſſidebat, hoſpes æſtimaret; ſibi enim oppidò allubeſcere: hoſpes delirium interpretatus, pretium tamen ſtatuit. Gangulphus aquam, quanti indicata erat, emit, & ſe dat in viam, fons, inaudito miraculo eum ſequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, ſeriò jam damnante mercimonium ſuum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare Gangulphus uxorem juſſit, abſoluturus eam, ſi id impunè feciſſet. Accipit conditionem cum riſu adultera: ſed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè uſtulatum retulit; nullo tamen præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium redijt, & deniq; adulterio parricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prô pudor! Clericus erat) perpetratum ad proſtibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. Gangulphum miracula Divis exæquârunt; quæ cùm adultera traduceret, infami per omnem vitam ſupplicio eſt exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, litteræ erubeſcunt.

Ex Surio.

MEDIT

MEDITATIO

De studio bonæ conscientiæ & Deo & hominibus satisfaciendi.

1 NIhil non metuendum est malæ conscientiæ, quando & Gangulphi pietatem & uxoris improbitatem fons prodidit. Conscientiæ tuæ primò satisfacias, huic tanquam moderatrici in omnibus actionibus tuis obtemperare debes, si votanti restiteris, cordis tranquillitate & interiore pace & securitate nunquam gaudebis. Si Deo & conscientiæ tuæ feceris satis, ne sis sollicitus de vanis hominum sermonibus. *Si tibi est testis in cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt.* Greg.

2. Deus salvum te vult facere. In hoc primùm, invigilent curæ & cogitationes tuæ, ut Deo placeas, itaq; nihil feceris contra Dei præcepta, hujus unius indignationē metue. Quid prosunt laudes? quid hominis honesti ac urbani nomen? quid benevolentia? Si contemnat & odio habeat Deus, cui animæ tuæ turpitudo cognita est, & qui coram mundo te confundere potest.

3 Dynasta Gangulphus erat, corporis valentis, animi, fortunæq; bonis abundans, & placuit Deo. Ad Deo placendū necesse non est vitam agrestem, austeram, & eremum redolentem ducere, potes esse bonus & dives, probus & Urbanus, honoratus & humilis: quinimò sæpe fit, ut quod sanctiorem præ se fert austeritatem, vanitas sit & duritiēs cordis, mansuetudini Christi repugnans.

S. EPI-

S: EPIPHANIUS EPISCOPUS.

12. Maii.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.
ad Galat. cap. 1.

JUvat suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phœnix gente, sectâ judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum à matre jussus vendere, vitium ejus clam non habuit; donatus ob candorē liberaliter etiam in Christianum incidit Cleobium nomine, cujus aspectu efferatus equus EPIPHANIUM excussit, felici casu; Cleobius enim invocato Christi nomine afflictum erexit, calcitronē occîdit: ea prima scintilla pectori incidit Jesu olim amore arsuro; Sed nimirūm eam facilè Tryphon suffocasset Hebræorū antesignanus, qui Epiphanio adoptato eundem sibi generum desponderat, ægrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filiæ mors incîdisset. Commodùm deinde equitanti

Luc-

Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces veste se expolians, extemplò togam puram è cœlo accepit. Ea causa Epiphanio fuit, ut se homini imbuendum permitteret. Numine tam propitio, ut Episcopus ad Lustricum fontem properantis vultum radiare, coronamque imminere capiti cerneret. Lætis initijs vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, Dæmones, mortem, cæteraq; orbis mala nemo eo potentiùs coërcuit. Hæreses, pestem his omnibus capitaliorem, stylo confixit. Miretur viventis miracula juventus, unum modò, quod jam examinis edidit, imitetur. Improbum hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calce à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur.

Ex Metaphr.

MEDITATIO

De perverso hominibus placendi studio.

1. NE credas, posse te omnibus placere ac satisfacere; Christus ipse unicuiq; non placuit. An non quotidiana est de Deo querela? Serenum cœlum

cœlum petit viator; hortulanus pluviosum: quantum in te est, fungere officio tuo, nec sis solicitus, quid dicturi sint alii, cùm eorũ dictis non futurus sis infelicior, ea si Christiano ac forti animo despexeris.

2 Homines sæpe vituperabunt sanctiores actiones tuas, laudabunt verò imperfectiores: Christianam si colas humilitatem, dicêris ignavus; si pietatem, hypocrita; contrà verò prodiga bonorum effusio, liberalitas; jam fucatum virtutis specimen, probitas nuncupabitur. Quis jam fidat judiciis hominum, qui vitium laudibus, virtutem conviciis prosequuntur? An sanus est, qui vult à stultis laudari, & ægrè patitur, ab iisdem contemni?

3 Nullum vel leviſſimum peccatum admittas, nullum omittas pium opus, ut placeas hominibus; tua hæc in virtute constantia probabitur sapientibus, tametsi displiceat improbis, ac insipientibus, quorũ judicium parvi fecere debes. Facilius (ajebat Arsenius) Deo fit satis, quàm hominibus, quia unus est, & constans, plures verò sunt homines, & inconstantes. *Beata esset nostra conditio, si tantùm præcepta* Christi, *quantùm populi sibila vereremur.* Paulinus.

S. JOANNES SILENTIARIVS.

13. Maii.

Omnis immunditia, aut avaritia,

hæc

nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. ad Ephes. 5.

Dlceres idem jam esse, IOANNEM & MARIÆ amatorem. Certè talis fuit ille IOANNES, quià taciturnitate nomen habet. Etenim magnarum opum hæres, earum hæredem esse MARIAM vivus voluit, nobilissimo in ejus honorem templo exstructo: ipse viram cum alijs Deo Deiq; Matri devotam egit, tanta animi integritate, vt nudum, quo ad vixit, nunquam se aspexerit, vel hac una sanè verecundiâ virgini charus. Ad insulam subinde omnium votis præterquam suis vocatus, Hierosolymam abijt, ibi cùm stellam cruce insignem vidisset, audissetque vocem, qua præcuntem sequi jubebatur, memor, quàm bona Dux stella jam olim fuisset, extemplò in viam se dedit, nec abertavit, nam rectà in cœnobium amplissimum venit, in eóque VII. annos; in spelæo deinde IX. alios silentio traduxit. Hinc egressus & viarum anfractibus implicitus à cœlitibus eò iterum

 repor-

reportatus & contra incursiones Saracenorum à leone est defensus. Tandem ad cœnobiũ reversus & post multos annos ab Angelo proditus, Caryotã in petram abjecit. Et ecce continuò hæc simul radices, simul germen agere, tum frondes totâ ædiculâ explicare & post tertium denique diem fructum ferre. Abiit deinde Joannes ex humanis Anno M LVIII. ætatis CIX vir, qui vel tacendo meruit, ut omnis de illo ætas loquatur.

Ex Metaphr.

MEDITATIO
De vocatione uniuscujusq.

1. CUm hic Sanctus Deum rogasset, ut viam salutis sibi indicaret, vidit stellam in modum Crucis radios effundentem, & audivit hæc verba (Hoc lumen sequere) Hinc tria docemur: Primùm in dubiis quibusque, maximè in iis, quæ pertinent ad vitæ generis electionem, à Deo consilium petendum esse. Hæc electio res est maximi momenti, & ab eâ cùm vitæ hujus tranquillitas, tùm futuræ felicitas pendet. Pete, sequere divinum lumen, ducet te ad locum, & vitæ institutum, quod saluti tuæ congruet magis. Si Deo inconsulto aliquam amplexus fueris vitæ conditionem, mercedem ne speres.

2. Hæc stella Crucis speciem habebat. Elige, quod volueris vitæ genus, invenies semper crucem

cem. Sic igitur habeto, vitæ statum, ad quem vocaris, Crucem tuam esse; quisq; suam habet; ne putes habere te graviorem, sua cuiq; videtur gravior. Domine cùm nolueris de tuâ Cruce descendere, an ego de mea descendam?

3. Stellâ duce, relictis omnibus Christum secutus est; audi JESUM vocantem, stella quidem est vocatio; si eam sequi nolueris, convertetur in cometem, qui tibi animam agenti terrorem incutiet. Erecto ac generoso animo mundum despice, qui tam vana largitur bona, ut neminem, nisi volentem decipiat. *Nisi nosmetipsos decipimus, penè mundus decipere non potest.* Eucher.

S. PACHOMIUS ABBAS.

14. Maii.

Contendite, intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt. Luc. 13.

DAbit Christianus Adolescens victas stygi manus? cùm PACHOMIUS nondũ Christianus Dœmonibus fuerit formidini, ut præsente eo vocem mittere non sint

ausi, obstupefacti indole ad nutum Numinis apertâ: cujus notitiam simul atq; hausit, continuò carni bellum indixit, quam ut generosiùs sperneret, cælesti ambrosiâ, qui Christo nomen dedit nocte, est pastus. Monastices tyrocinio posito, jussus est divinitûs cœtus cogere ex formula, quam exaratam ab Angelo accepit, erudiendos. Quos inter celeberrima Theodori est memoria, qui clarâ stirpe genitus, totâ in epulas effusâ domo, hac cogitatione ictus est; Mundi fabularum quàm tristis sit catastrophe, & cùm personatis gaudiis larva detrahitur, quàm non juverit ad tempus insaniisse. Secutæ sunt lacrymæ, quas mater conata abstergere, nec fugæ quidem consilium filio eripere potuit. Quin adeò cùm diu perquisitum delitescere apud Pachomii inaudisset, armata Episcoporum epistolis irrupit in dicata sancto illius otio nemora, & suas admitti delitias propè cum convitio postulavit. Pachomius Theodoro copiam facit salutandæ matris, quâ se ille usurum negavit, ni spopondisset Pachomius eum sibi congressum olim fraudi non fore; quam in rem cautus senex fidem dare non sustinuit. Priusquam quieti se daret, fessa diur-

no

no labore membra ſigillatim ſolabatur; quantillum enim ſupereſſe jam jam in beatitatis rosâ collocandis? Quid ad hæc ſuavi-ludii noſtri, qui nunquam in Dei cauſa ſe meminêre fatigatos?

Ex Metaph.

MEDITATIO
De arcta via eſt, quæ ducit ad Cœlum.

1. ARcta eſt via ſanctitatis, anguſta porta cœli, & pauci admodum per eam ingrediuntur; Vive, ut pauci, ſi vis cum paucis ſalvari. Sequere puſillum gregem; turbam ſi ſequaris, periiſti Cave, ne captus hujus mundi deliciis, ab arcta ad ſpatioſam viam deflectas: *Quia præſentia gaudia ſequuntur æterna lamenta, hîc vanam lætitiam fugite, ſi illic flere formidatis.* Greg.

2. Elige ſecurius, non commodius vivendi genus. Cum iter facturus es, foles viam tutiorem, & navem validiorem eligere: ut quid minùs prudens es in negotio ſalutis? ut quid ambulas per viam latam illam quidem, ſed admodùm periculoſam? tot homines æternùm periêre, quòd quæſierint divitias, honores, delicias; an ſors tua erit felicior?

3. Via Religioſorum & auguſtior, & tutior: illi quippe procul ſunt ab occaſionibus peccandi, cùm longè à ſe repulerint divitias paupertate, caſtitate voluptates, & obedientiâ ſuam omnino voluntatẽ

Deo consecrârint. Si ambulas in hac viâ, lætare, Deo gratias age, quod in arctâ viâ sis, quæ ducit ad vitam; sin autem aliam viam ingreris, compone mores tuos cum moribus Religiosorum: imitare, quantùm potes, eorum paupertatem, castitatem, obedientiam. Cùm idem credas, quod Religiosi, quid idem, quantùm tua in vocatione potes, non facis?

S. DYMPNA V. & Mart.

15 Maii

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis vestris. Ad Rom. cap. 6.

Nisi frontem unà cum oculis amisit improbus amor, erubescet ad infamiam ficinoris, quod ipso auctore sub annũ sexcentesimum, gestum est. Regebat eo tempore Hibernos rex barbarus, nulla re nisi amore odiòq; filiæ nobilis. Viduatus conjuge filiam in thorũ pellexit, eâ quidem formâ, cui comparari eo ævo nulla poterat; sed ijs moribus, ut non modò incestos amores abominaretur; sed præter Deum nubere omnino nemini in animum

animum induceret. Vim tamen verita ab insano amatore, cum Gereberno sacerdote Antverpiensi sanctioribus se curis addicit. Pater Fugam ultra mare capessit, & in agro eodem paulò post appulsus, cùm illâ ipsâ imagine lignatum argentum exponeret, quâ obsonator filiæ hospiti satisfecerat, ejusdem indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ deinde procus dixit, vel carnifex fecit; malumus tamen spectare sanguinem, quàm audire verba improba & lenonia, quibus cùm nihil moveretur, Gerebernus primùm Tutor pudicitiæ illius, ferro obtruncatus est: Virgo deinde Parentis ense cecidit, nobilissima castitatis victima. Funus cœlum curavit, neque puduit Angelos vespillonú officium occupare, allatis è candido marmore urnis. Virginis honori hoc amplius datum, ut nomen ejus gemmæ Angelus inscriberet: eo argumento agnovit posteritas Dympnam vocatam fuisse. Ite nunc Alexandri, & manus quibus pingi fingique velitis, quærite. Castitas celatores Angelos habet, & tamen, heu, quàm pauci cupiunt hoc calculo notari! Ex Surio.

MEDITATIO

De insano amore.

1. NEmo non debet timere tentationes Angeli carnis, quoniam præstantissimos cujuslibet ætatis, sexûs, conditionis aggreditur. Cave tibi: non superas sapientiâ Salomonem, non Davidem pietate, non Sanctitate Gentilium Apostolum; hunc quidem aggressus est, alios devicit. Adrigila: nunquam & nusquam securum te credas; semper esto paratus ad pugnam illam duram ac molestam: Nam *inter omnia Christianorum prælia, sola sunt dura prælia castitatis, ubi quotidiana pugna est, rara victoria.* Aug.

2. Ne pateat cordis tui aditus huic blando tyranno, qui auribus & oculis ingressum sibi molitur. Omnia si videas, & audias, si libros omnes legas, impuris cogitationibus brevi vexabere, & fortè vincêris. Exemplo S. Job percute fœdus cum oculis tuis, ut ea duntaxat aspiciant, quæ licet concupiscere.

3. Si vexeris impudicitiæ Dæmone; memento, Christum dixisse, hoc Dæmoniorum genus solis jejuniis & orationibus fugari posse. Castiga corpus tuũ cilicio, flagellis, jejuniis: Jesum invoca, & purissimam ejus matrem. Castitas est donum Dei, pete hoc donum à Domino, & agnosce, quem Deus non adjuverit, continentem esse neminem. Ubi primùm senties libidinem aggredientem, citò resiste: periculum in morâ. Exemplo S. Dympnæ fuge occasiones peccandi.

S. UBALDUS

S. UBALDUS Episc.

19. Maii.

Quòd si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projce abs te.
Matth. 5.

Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.
Matth. 18.

UBALDUS Insulam unam alteramve fugâ declinavit, tertiam eamque Eugubii in patria non potuit effugere, Summi Pontif. auctoritate captus. Geminis cœcis cùm oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excœcaturi essent. Hostes innumeros patriam obsidentes omnes egit in fugam, cùm unicum ipse signum crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautè inexpugnabilis fuit. Sed utriusq; documentum cape. Scissa in factiones geminas Urbs pugnabat in viscera sua. Adest UBALDUS medius inter saxorum & telorum ictus, cadit

deinde. Hîc verò omnes arma abjiecre, damnare discordiam, quæ parricidas Cives feciſſet. Tum demiq; à piè ſimulatâ morte ſurgere UBALDUS, & partam unius, eâque lucrâ morte, pacem civibus gratulari. Ultimæ ſortis homo & unico ſuo cæmento memorandus, Pontificem in calcis ſcrobem dejecerat, non tam cœno, quàm ignominiâ aſperſum. Ilicet amici civesq; ſcelus urbe exigere, & ipſas improbi domini ædes velle demoliri. At ajebat UBALDUS graviori ſupplicio vindictæ litandum. Seſe vindicem ſui, exemplum editurum, quod urbs miraretur. Interea pro tribunali ſedet, adeſt reus vel ſe judice nulla non morte dignus. Ergo ſententiam profert Ubaldus, & inaudito ſupplicio reum damnat ad oſculum. Non multo ſanguine, ais, ſe vindicavit, ſed certè ut non nemo inquit, rubore multo.

MEDITATIO

Quid aſpicere debeamus, ne oculus depradetur animam.

1. DUobus cæcis S. UBALDUS oculos reſtituit, tertio, ne morti feneſtram aperiret in animam, negavit idem præſtare. Ne tu geminas feneſtras aperias, diſce quæ aſpicienda ſint. Aſpice mundi

mundi calamitates, tot pauperes, afflictos, infirmos & morientes. Age gratias Deo, quod mala eadem promeritus non patiaris; condole patientibus, & erubesce quod ad minima mala tam sis impatiens.

2. Aspice & perpende, quod *ea, quæ in mundo sunt, foris nitent, introrsum misera sunt*, Seneca. Purpura & aurum quantas tegunt miserias? curas, turbationes, animi? &c. Et si modò ridere vides, & ducere in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendere, si à summo bono per transitoria ejusmodi aversi fuerint.

3. Si Spiritu superbiæ tentaris, Matrem terram aspice, & dic mater mea tu es, & operimentum meum ac convivæ vermes erunt; quique modò supereminere volo, brevi omnium pedibus in sepulchro calcabor: quod si verò afflixeris, aspice cœlum, ubi post lacrimas & miserias bona sempiterna. *Illa petenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt.* Gregor.

S. TORPES Mart.

17. Maii.

Quæ sursum sunt quærite: ubi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. ad Col cap. 3.

RAram avem vides & albo simillimam corvo, aulicum, inquam, pium ex aula Neronis

Neronis impii. TORPES est, D. Paulo familiaris, & in fide, quemadmodum fertur, Angeli discipulus. Hic Tyranni æmulam cœlo machinam, &, quâ ille mortalibus velut alter in terris Iupiter illudebat, solis precibus destruxit, flumineque cœlos vanissimos & orco mersit; ilicet Nero Iupiter hoc damno multatus graviter detonuit, omnibusq; pœnis in Torpetem fulminavit, sed ex pelvi: nam alapam primò Sabellici Iudicis generosè devoravit: columnæ deinde alligatus tortusq; crudeliter, Samson ipsissimus fuit. Quid? quod corruens columna exitium attulit Sabellico, salvo & incolumi nostro Samsone. Ergo Silvius Sabellici filius hæresq; idem crudelitatis, rotæ radijs lacerandum illigavit, bestiis objecit, semper illæsum, quæ res Evellio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi consuleret, fidemque Christi amplecteretur tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi securi sunt. Porrò TORPETIS corpus fatiscenti naviculæ impositum, additusq; gallus & canis, ut illud vel his, vel cum his piscibus foret esca. Sed Angelo remige in Hispaniam appulsum, excepit Cœlerina honestissima matrona non aliter, quàm opes ex divite India appulsas, tumuloq; augustissimo donavit

navit. Addidit deinde pietas Christiana templum. Nam cœlum nuper jam Superi dederant, ex quo ille hodie etiam ridet inimicũ Neronis cœlũ. Ex Bar. Pet. Nat. & Rom. Gant. lib. Can.

MEDITATIO
De studio cœli obtinendi.

1 TORPES ex Aula Neronis sanguine suo adscriptus est Aulæ Dei. Nullibi ferè mundus plures Martyres educat, quàm in Aulis, sibi, sed non Deo. Quantum fatigat gratiarum adulatorium aucupium? quantum torquet ambitio? quantùm urit æstus invidiæ? quantum lancinant aculei verborum pressо dolore dissimulandi? & in comparatione istorum quotus homo vel minima patitur, ut aggregetur aulæ cœlesti, & favore fruatur Regis Regum?

2. S. TORPES vitream Neroniani cœli machinam orando fregit. Favor, honor, voluptas, quibus te beatum fingis in hoc mundo, quid sunt nisi terrestre & vitreum cœlum? & vitro cur adeo inniteris? nec cogitas de cœlo perenni in altera vitâ? cujus incola esse non poteris, nisi amorem hujus deposueris. Hanc veritatem leges in octo beatitudinibus ceu scalâ cœli confirmatam. *Quicquid quæsiveris in terra, deterius te est, qui ad cœlum creatus es.* S. Aug. in psal 32.

3 S. TORPETIS Cadaver post tormenta plurima & mortem, habuit navicularium Angelum, qui illud in Hispaniam advexit. Felicissimè ad portum æternitatis

tis appelles, si beatam Virginem ac S. Custodem Angelum aliosque Patronos periculosæ navigationis tuæ duces habueris. Quo studio eos tibi concilias?

S. ERICUS
Rex Sueciæ
18. Maii

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Mat. c. 5.

SVeciæ Rex ERICUS, divorum Regum imagines ante oculos suos velut speculum posuit ipse Regum oculis hodie proponendus. Patriæ & pauperum præcipuè pater, libidinis æstus glaciali aquâ suffocavit. Mulctæ pecuniariæ tertiam partem, quàmvis ultrò oblatam, noluit tamen ærario inferri, ne, quod amat fieri, sibi potiùs consulere, quàm justitiæ videretur. Bella gerebat non tam ut suum, quàm ut Christi regnum amplificaret. Itaquè cùm Finlandiæ fidem victor intulisset, cæsis hostibus lacrymis fertur parentasse, quòd victis aliter via ad salutem non potuisset sterni, quàm per sociorum stragē. Sed vide obfirmatum ad divina animum.

Sacrificanti

sacrificanti aderat die Christo triumphanti sacro: Interea cum omnibus copiis imminet Henricus Suenonis Filius Daniæ Regis. Arma conclamant alii, & sive pugnæ ducem, sive fugæ regem exposcunt, At hic, *finite* inquit, *me litare, reliquum obsequii alibi DEO persolvemus, Psalmis in cœlis cantaturi.* Itaq; sacris ad finē pertinax immoratur. Tum demùm cruce frontē armatus, aciem subit & pugnam, Numineq; ita volente, cadit etiam. Cæterùm quo locò sanguinem fudit, fons continuò exortus aquas fudit passim ægris salutares. Illud penè excidit; cilicinum ejus thoracē asservari regii sanguinis purpurâ etiam hodie rubentem, loricam, qualem hodie in Principum armamentariis rarò videas.

Ex vita Aquilonia Ioannis Vastovij.

MEDITATIO.

De Iustitia.

1. DEò redde, quod Deo debes, honorem videlicet, ac obedientiam, ut Regi; ut Patri amorem, & gratiarum actionem, ut benefactori. Quis tibi plura dona dedit? & quis plura daturus est? Sanè æquum est, ut ipsum ames ante omnia, & priùs, opum, honorum, ac vitæ tuæ jacturam facias, quàm ejus benevolentiæ. Quo modo te geris erga Deum? cave tibi, nisi enim justitiæ ejus satisfeceri

fecerís, in furore suo arguet te, & in ira sua conturbabit te. Ah! Domine, *ne intres in judicium cum servo tuo.* David.

2. Debes obedire Præpositis, ac Superioribus tuis ut Christo; debes amare æquales, ut fratres; debes diligere inferiores, ut membra Jesu Christi. Bene sentias de omnibus; omnes verò de te sentiant ut voluerint, dummodò tua conscientia non te accuset coram Deo. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in conspectu Dei conscientia non accuset.* Aug.

3. Redde tibi, quod tibi debes: recumbe in novissimo loco: accusa, damna peccata tua: cùm quis te accusat, rarò admodum loquere, ut te ipsi excuses. Fac, ut corpus pareat animæ, anima rationi & ratio Deo: en! præscriptum à Deo justitiæ modum! Si de tuis factis, ut de alienis judicares, parum, aut nihil esset, quod in te alii reprehenderent.

S. PETRUS Cælestinus.

19 Maii.

Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Matt. 6.

UNicum modestiæ miraculum PETRUM CÆLESTINUM vides, qui exemplo antehac inviso, posteà nunquam repetito, summo se pontificatu sponte abdicavit, immortali memoriâ dignus, etsi eo facinore solò incla-

inclaruisset: sed idem tenor totius vitæ fuit, cujus, quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normã mores delicatæ juventutis, contenti, si se cum puero patiantur componi. Simul ac fari potuit, illud aureum matri promissum inculcabat: *volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cùm in recens nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo, quantumvis arctis domi rebus, in ludum tum litterarium misit, patre nuper mortuo consilium de cœlo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidêre tamen remoræ permultæ, quibus omnibus perruptis mater in filioli oraculo acquievit, tum quidẽ constantissimè, cùm pædagogũ discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere, ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos: & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquã impunè delinquere eum passi. Jam Virgo Deipara curam valetudinis ejus egit & altero oculo lippientem recreavit. In hoc contubernio educatus homines penitus deseruit, uno ejusdem propositi socio comitatus, cui tamen constantia defuit. Petri studijs Angeli applauserunt, quos hodie

rariùs audimus, quia aures noſtræ ſirenum ſibilis occupatæ Angelis non parent.

Ex Surio

MEDITATIO

De triplici gradu ad perfectionem.

1. SUz quiſque vocationis perfectioni ſtudere debet. Tu, qui in mundo verſaris, Deiſaltem & Eccleſiæ ſerva mandata: à peccato mortali diligenter abſtine, vaca bonis operibus; hæc ſi feceris, ſalvus eris. An eſt aliquod Dei mandatum, quod vires tuas excedat? Dæmon, libido, avaritia, longè difficiliora imperant, quibus tamen ſedulò morem geris, *Hæc Diabolus præcipit, & auditur.* Tertull.

2. Qui vult perfectus eſſe, non ſolùm mandatis Dei obtemperare, ſed & Chriſti conſilia ſequi debet. Paupertas, caſtitas, obedientia à rebus terrenis nos ſejungunt, & tribus quaſi vinculis nos conjungunt Deo. Tu, qui hæc vota emiſiſti; tu, quem Deus ſingulari gratiâ vocavit ad domum ſuam, ſervaſne omninò, quæ tam ſolemniter vovisti?

3. Qui ad apicem perfectionis contendunt, mandatis, & conſiliis non modò parere debent, ſed & ſacris quibuſdam motibus, quibus ſignificat Deus, quid potiſſimum velit. A Deo ad maxima deſtinaris. Audi, quid dicat, cùm interdum loquitur tibi ad cor: ne reſiſtas gratiis ejus ſingularibus. Non ſufficit, ut declines à malo, oportet etiam, ut facias bonum, & illud facias quàm poteris perfectiſſimè. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Jacob

S. BER

S. BERNARDINUS Senensis.

20. Maii.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. ad Tit. 2.

BERNARDINO Puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erat, qualem nunc serium putas fuisse? Verecundia tantâ fuit, ut, cùm inimicæ castis auribus voces baccharentur, ad quamcunq; coronam accederet, illud statim audiretur: *Missa isthac nunc facite: siquidem* BERNARDINUS *adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba prætextata in viro alapâ castigavit, docuitq; frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdē culpæ reum totum puerorū globum coëgit, qui lapidibus scelus urbe proscriberent. Fœminas verò ex animo omnes præter Mariam deleverat. Hanc unam illic unicè amare, ad

hujus effigiem pro porta urbis vigilantem quotidie in genua accedere; irridente nequicquam proteruiore pueritiâ, cùm virgo arrideret. Jam ubi inter discipulos Magni Franciſci annumeratus eſt, ea fuit dicentis pro virtutibus contra vitia libertas, is ardor, ut ad eum aleas flammis uſtulandas omnis urbs comportaret; adeo ut illi, qui his conficiendis vitam ſuſtentârat, ultima paupertas immineret, niſi eidem autor Bernardinus fuiſſet, nomen Jesu deinceps tabellis inſculpendi, quo factum brevi eſt, ut diteſceret etiam. Ipſe divus, cùm de nomine Jeſu ſæpe ſæpius diceret, ſupra caput ſuum id ipſum quandoque conſpicuum habuit Sole ſplendidius. Superi! quis unquam clarior extitit concionator! *Ex Surio*

MEDITATIO
In vitam S. Bernardini.

1. AB infantiâ tam verecundus fuit, ut ſi quando verbum minus caſtũ cuiquam ſuorum ſociorũ excidiſſet, ſtatim erubeſceret Solo ſuo conſpectu liberioris vitæ hominibus pudorẽ incutiebat, coſdemq; modeſtè monere ſolitus erat, ne talia dicerent. An idem facis? cùm quis in congreſſibus corã te obſcœna verba dicit, fidenter eum argue, ſi per autho-

authoritatem potes: sin minus, erubesce, tace, ex silentio tuo improbus cognoscet peccatum suum.

2. Ibat quotidie in ædiculam B. Virginis; tu, quo cultu Mariam veneraris? promisisti, te nihil factu rum esse contra ejus honorem, sta promissis tuis. Ad hæc quotidie solve Mariæ, quod ultro Mariæ debere voluisti, hoc est, nixus genibus ante ejus imaginem absolve diligenter & constanter certum precationum pensum, quod tibi ipse in honorem ejus imposuisti. Memento Jesum nihil Mariæ, & Mariam nihil servis suis denegare.

3. Tanta pietate Sacrum Jesu nomen colebat, ut illud sæpius inter concionandum laudaret, ostenderet populo, & ferè semper cordi suo admotum gestaret. In tentationibus invoca potentissimum Jesu Nomen. Utere hoc nomine tanquàm clypeo, & tanquam gladio ad resistendum. Quàm suave est nomen Jesu! Quàm potens ad pellendum dolorem ac mœrorem! *Tristatur aliquis? veniat in cor ejus* Jesus. Bern.

S. HOSPITIUS Conf.

21. Maii.

Nolite judicare ut non judicemini, in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Matt. 7.

HOSPITIUM qui vidisset, omnibus co-

pertum sceleribus crederet; qui nôsset, simulachrum esse virtutis pronùnciaret. Tanti est, Bonum virum ex cultu corporis, an animi æstimes. Apud Nicensem Gallorum urbem altâ abditus turri, onustus ferro, omnìque reorum squalore deformis, raro cum hominibus commercio, cum Superis æterno agebat; quibus monentibus, iratum Gallis Numen, & Longobardorũ irruptione scelera vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ factus, ipse ergastulo non excessit, & barbaris per urbem grassantibus in conspectum se dedit: ij pro malefico habitum ad cædem deposcunt: jamque ferrum supra caput erat, cùm repentè percussoris brachium obriguit, quod Hospitius signo crucis contra edito correxit. Secuta inde viri æstimatio, hausta ab eo præcepta salutis, quæ, qui in aures duntaxat admisêre, diro omnes lethi genere periêre. Ultimo ante mortem triduo demi sibi vincula passus est: quem cùm toto corpore à vermibus depastum non nemo miserarerur, negavit illos sibi convivas graves fuisse: eorum morsiunculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisse suis monitoribus cibum invidere. Simul tamen atq; beatum cœlo spiritum reddidit, totum exa-

men

men disparuit, mirâ erga mortuum reverentiâ, ut appareret, in vivum ex ejusdē imperio peccâsse. Sed condonemus hoc morti jus, & tantâ nutritum curâ corpus cadat in vermium potestatem. illum vermem time, qui in animo nidulatur, & inter æternas flammas, omni Salamandrâ vivacior nunquam moritur. *Ex Greg Turen.*

MEDITATIO
De temerariis judiciis.

1. NE judicaveris quemquam. Quis enim te judicem aliorum constituit? divinam tibi arrogas authoritatem, &, cùm ad externam rerum speciem judices, sæpe iniquum tuum erit judicium. Reus credebatur Hospitius, innocens tamen erat. Omnes tibi antepone. Æquius esse non potest tuum de alienis factis judicium. *Temerariis judiciis plena sunt omnia: de quo desperavimus, convertitur, & fit optimus.* Aug.

2. Ne damnaveris fratrem tuum, tametsi factum ejus extrinsecùs malum videatur; fortè culpâ vacat coram Deo; quod si ita pateat ejus crimen, ut de eo dubitare minimè possis, ne tum quidem fratrem tuum judicaveris; Dei quippe est judicare. Memineris sancti cujusdam Religiosi, qui ridebat imminente morte, cúmque ex eo quæreretur causa ejusmodi risûs: *Quoniam* (respondit) *neminem judicavi, spero non me judicatum iri, hoc enim Deus mihi promisit in Evangelio.*

3. Cùm quis peccat coram te, & loquitur de alienis peccatis, vide utrum eadem admiseris; dole, veniam pete, eorum considera fœditatem, ut ea nunquam committas; si verò nunquam lapsus fueris in hæc peccata, Deo gratias age. Miserere fratris tui: ora pro eo. *Tu quis es? qui tam improbè, tam procaciter, tam manifestè alienum servum judicas? redi ad te, discute te, judica te.* Laur. justin.

S. BASILISCUS MARTYR

22. Maii.

Omnia possum in eo, qui me confortat. ad Philip. c. 4.

LAtuit subinde etiam sub militari sago magna virtus & castra theatrũ præbuêre Christianæ sanctitati. Nunc BASILISCUM inde producimus plurium palmarum militem, quem afflictum mœrore ferunt, quòd accepis pro Maximiano impio Cæsare vulneribus, guttam sanguinis pro Christo nullam fudisset: cùm tamen Theodorum Martyrem proximâ necessitudine contingeret, cujus pro fide prælia convitium suæ ignaviæ facerent, utiq; , si virtuti suæ Christus confideret, ejus experimentũ pridem capturum fuisse. Ratò ita

naeum superis expostulatum est; neque frustinuit cœli imperator tam pia militis sui desideria perire; ultrò eum allocutione dignatus, memorem esse voti sui jussit, & dignos tanta sponsione animos afferre in imminentem pugnam; cujus ei copiam Agrippa impius Prætor fecit, qui ferro solcatum, clavis plantam penetrantibus, cursu nihilominus æquare citatam quadrigam coëgit. Subindeà Trajana hospitio acceptus aridæ arbori, sub quâ recubuerat, vitam reddidit frondesque, credo ne capiti coronæ deessent: fons etiam ad pedes Martyris scaturiit, hanc vicem reddente terrâ, cùm sanguinem ejus bibisset: eo prodigio non satis tantùm comitum ejus, sed perfidia etiam extincta est. Paulò post etiam alteri elemento imperavit, devocatoque de cœlo igne, Deorum delubrum exussit, ipse capite imminutus & in proximum flumen sparsus, maximo & ultimo miraculo nihilominus ad Beatitatis littus enatavit.

Ex Menæis

MEDITATIO

De magnanimitate ad salutem obtinendam Christiano necessaria.

1. QUid non potuit Basiliscus confortare à Deo? Miles erat & sanctus. Ne dicas in dominatu sum, non possum: in servitio sum, non possum: uxorem duxi, non possum: miles sum, non possum, sanctus esse &c. Nullus est status, in quo cum gratiâ sanctè vivere non possis, modò Deum in omnibus statui tuo familiaribus negotiis primæ curæ habeas. *primas apud nos curas* (in omni statu vitæ, ad quem vocati sumus) *quæ prima habentur obtineant* Eucherius.

2. S. Basiliscus Theodori martyris & Cognati sui animatus exemplo erubuit pro Cæsare, & nondum pro Christo vulnera tulisse: meritò aliena exempla accendere debent ad æqualia certamina. *Potuerunt isti & isti, & ego non possem.* S. Aug item: *ubi adest Christus aranea murus est; ubi abest Christus, murus aranea est.* S. Paulinus de S. Felic. Aude fis, cum gratia Dei superabis difficultates. Quod si verò gratiæ Dei vocanti ad minima pro Dei glorâ facienda aut toleranda non obedis, quid mirum si gratia tibi non detur ad ardua tentanda?

3. Plurimùm etiam ab arduis ausibus impedit, quod tametsi meliora bonorum exempla probamus (absit ea perversitas, ut vituperemus) plerumque tamen deteriora facta malorum sequimur. Nunquid te ipsum experiris in te? disce igitur perfectè Syntaxeos Christianæ regulam, *cole Deum, imitare divos, virtutē amplectere.*

S. FLO.

S. FLORENTIUS EREMITA

23. Maii.

Nescitis, cujus Spiritûs estis.

Luc. 19.

UT umbra corpus, aurum scoria, aërem nebula obfuscant, ita etiam in viris virtute provectis quod eorum splendorē inumbret, reperies. FLORENTIUS asceta famosus, in solitudine sua ursum sibi ad omnia obsequentem raro exemplo habuit; at verò feracle hoc famulitium invidêre illi aliqui è vicinia. Quatuor cœnobitæ erant, qui, ut homini malè facerent, bestiam occidêre. Sensit FLORENTIUS ursi sui nemini noxij, sibi autem perutilis necem, adeo ut etiã Eutichii Præsulis excusationē nihil placat⁹, percussoribus à DEO pœnam sit imprecatus, qui, quantumvis ad propriam offensam tardè irasci solitus, justi vota mox audivit, & quatuor illi fœdâ leprâ percussi sine remedio computruêre. Vidit tum demum FLORENTIUS, se doloris impetu abreptum, ipso urso suo inhumanum fuisse magis. Serò Pœnituit, non ignovisse divino more, sed malum minus majore cumulasse.

& IV.

& IV. hominum, qui feram unam stravérant, factum esse homicidam. Atque hæc sancto viro plangendi materies ad mortem usque fuit, timuit nempe, ne implacabilem illic experiretur judicem, qui in lædentes se tam immitis fuerat. *Ex Dial. S. Greg.*

MEDITATIO
De dominio affectuum amoris & iræ.

1. Duobus præcipuè affectibus inquietum est cor nostrum, amore & irâ; in utroque impegit Florentius. Ursum pro puppâ suâ amavit infantilis in amando Senex: qui cætera omnia reliquit propter Christum, tam tenaci affectu adhæsit deformi belluæ, ut separari non posset sine magnâ impatientiâ. Perpende sis amoris tui objecta & causas amandi, an elevent ad Deum, an in terram animam incurvent & cave scintillam amoris, quí sæpè totum animi thesaurum irrestinguibili consumit incendio.

2. Occiso Urso vir alioquin mitissimus irascitur. Florentii an putas quia justè irasceris tu? at ursum occidêre gaudium meum! Heu quantum damnum pretiosæ (scilicet) belluæ! quàm sæpe putamus zelum esse, & impatientiæ rationi rebellantis affectus est. Discute irarum tuarum causas & observa mansuetissimi Regis monitum Psal. 4. *Irascimini & nolite peccare.*

3. Quam

3. Quàm grata fuêre Florentio Ursi mansuetè famulantis officia! Sis à natura ferox (utcunque prætendis, & tuam excusas ingenitam austeritatem) non eris Urso ferocior: cur non assuetudine mansuescere posses? Sed & cogita S. FLORENTIUM, qui belluam famulantem habuit, sanctius dominium in affectus suos exercere debuisse. tam sancti errore disce etiam primis motibus resistere, ne efferentur animi passiones. *Principium quantitate est minimum, potestate maximum*: docet Aristoteles.

S. SIMEON STYLITES, JUNIOR

24. Maii.

Multi ambulant --- quorum finis interitus est, & quorum Deus venter est --- nostra autem conversatio in cœlis est; unde salvatorem exspectamus Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ. ad Philip. c. 3.

HOminem cœlestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectiùs noveris. Votis parentum concessus, futuræ sanctitatis

tis vatem Christi anteambulonem Joannem habuit, cui ne quid in victûs parsimoniâ concederet, jejunia in cunis inchoavit, lævo matris ubere, velut ominis causâ, semper abstinens. Sexto ætatis anno ab hominũ consortio in loca sola secessit, nunquam tamen solus, Cœlitibus easdem cum eo casas habitantibus. Ex quo tempore, incommoda naturæ vel non sensit, vel inusitatis fomentis sustentavit, nectare, vel quocunq; nomine appellare lubet, deliciis divinitatis pastus. Exacto in hunc modum sexennio, in cœnobium immigravit, magnâ Religiosæ vitæ commendatione, quam Angelorum contubernio, eo facto videbatur antetulisse. Sed nimirum illic quoque Angelos reperit, haustamque eorum usu innocentiam magnis prodigiis confirmavit; ut, cùm Leopardum pro fele domestico circumduxit, aut cùm ad ejus imperium leo puerum à comitibus desertum, tergo ad socios subvexit, quæ Magistro Simeonis ansam præbuêre, eum ad perpetuam in columnis stationem invitandi. Paruit Simeon, atq; corpore juxta animoq; supra terram eminens, ex communi illius ævi sensu columna fuit sustentans orbem terrarum. Nos, cùm hæreamus in luto,

digi-

digito tamen paramus cœlum contingere.

Ex Men. & Evagrio.

MEDITATIO
De animæ Immortalitate.

1 SIMEON stylites ut conversationem suam haberet & cœlis tantò propinquiùs, columnam ascendit, sic vidit infra se pessimorum hominum felicitatem, & bonorum econtra pressuras. Vidit etiam supra se & perpendit, quæ Deus præmia bonis præparet in alterâ vitâ. Anima mea sta fortiter ad cœlum erecta, & si pateris in terrâ, audies brevi christum loquentem. *Respicite & levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.*

2. Stetit stylita elevatus à terrâ, ne luto inficeretur terrestrium bonorum, quæ tametsi maculant, invitè tamen deseruntur, & quò plura adhærent, eò plura desiderantur. Unde apparet hominem ad ejusmodi bona creatum non esse, quæ sic inania sunt, ut cupiditatem explere non possint. Quàm cupidè â te quæritur Deus, qui solus est immortalis animæ tuæ plena satietas.

3 Sis ipsa felicitas in præsenti vitæ statu, semper futura bona anhelabis, nunquam satur præsentibus, nec dices *sum usquequaq; felix*. Eja anime mi! hæc rerum futurarum desideria, & tuæ in bonis præsentibus anxietates ostenduut, quàm contemptibilia sint hæc omnia præ Deo, quem *Beati vident semper, & videre sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur*: S. Aug.

S. MAR;

S. MARIA MAGDALENA DE PAZZIS.

25 Maii.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie & sequatur me. Luc. 9.

Hic è Florentina urbe flosculus etiamnum integro corpore, viret in ascaterio Carmelitarum. Cùm primùm vernare cœpit, decennis Virginitatis voto ita candorem suum firmavit, ut vel impuritatis umbram, dum viveret, ignoraret. Carmeli inserta viridario, non nisi divinis irrigata gratijs, V. annis extra Dominicas, aquæ solùm & panis modico pastu, &, ut lilium inter spinas sciremus, perpetuis innocentis corpusculi punctionibus se per omnia aspera divexabat; interim in cœlum crebrâ extasi rapta, vidit mundo oculo, quod homo potuit, nec nisi plena cœlesti rore revertit; non tamen inter ea solatia defuêre tempestates: longo ei tempore cœlum visum æneum, adeò ei arida & exsucca in oratione mens; sed & ad probandam ejus con-

constantiam divino eam permissu dæmones variis insultibus, velut, ventorum turbines, quatiebant; stetit tamen inter adversa ista omnia patientiâ & animi demissione radicatum lilium, & aperto cordis amantis calice, cœlestem respiciebat sponsum, nec, quantumvis tot malis pressa, unquam oppressa est ejus constantia, quin inter dolores morborum perfrequentes cum lecto corpusculum langueret, ardebat tamen animus, & cor divinis flammis accensum restingui aquâ debuit, identidem autem ei in ore erat. *Non mori sed pati.* Adeo ei crux præ corona, quam cùm nollet gratuitam, maluit longâ patientiâ mercari. Nunc habet gloriosa in cœlis, & miraculis illustris in terris, ubi XLI. ætatis anno vivere quidem desijt, sed corpore adhuc incorrupto, necdum desinit florere. *Vita virg. Ceparij & Menalog. Carmel.*

MEDITATIO

De vita S. Mariæ Mag. de Paz.

1. STatim, atque Deum novit, amavit. Oderat mundi tumultum utpote inimicum orationi. Frequens erat in templo coram Augustissimo Sacramento, ubi longiorem effundebat orationem. Nunquam cœlestis sponsus aberat ab ejus animo.

Dudum nôsti amantissimum Jesum, & necdum eum amas?

2. Statim atque mundum novit, fugit, contempsit, flocci fecit, mallem, inquiens in mediis suppliciis esse, quàm in mundo. Utinam Christianis oculis aspiceres dignitates, divitias & voluptates, hujus mundi. Ah! nihili penderes, quod tanti sit animalibus hominibus. Cœlum intuere, Cœlum spera, Cœlum ama, ibi sit cor tuum, ubi verus thesaurus. Memento, Deum tibi terrena bona dedisse, non ut ea adorares, sed, ut despiceres, ipsíque consecrares. *Terram calcare didici, non adorare, non enim mihi fas, unquam rebus inanimatis credere, spes anima mea!* Clem. Alex.

3. Ex assiduitate orationis manabant omnes ejus virtutes. Hinc purus in Deum amor, hinc odium in cætera quæquè. Præclarè de Deo sentire non potest, qui ferè nunquam cogitat de Deo, & rarò admodùm colloquitur. Ama orationem, quâ cœlestium amor accenditur, & extinguitur cupiditas terrenorum. Hæc familiaria tibi sint hujus Sanctæ verba: *Non mori, sed pati.*

S. PHILIPPUS NERIUS

26. Maii.

Exemplum esto fidelium in verbo in conversati-

conversatione, in charitate, in fide, in castitate. ad Tim. cap. 4.

Magnus esse debuit PHILIPPUS, magnæ Congregationis Patrum Oratorii Dux & Author futurus. Natus Florentiæ, amœna patriæ deseruit, ut Romæ pietatem coleret: assiduus in sacris, pernoctabat in cœlestium contemplatione, templa obibat pedes, sæpe triduo sine omni cibo jejunus, & tum ardens maximè, cùm ad aram faceret, ubi non rarò in aëra levabatur: cor ejus amplitudini cœlestium gaudiorum angustius, extensis ampliùs costis, divinitus dilatatum est. Oblatas insulas rejecit sæpius, ad omnia mundi illustria cœcus, sed eò in divinis oculatior, vidit arcana pectorum, odore distinguebat ab impuris castos, spectabiles habuit cum gloria ad cœlum tendentes animas, sed & in S. Ignatii Lojolæ radiante vultu Sanctum Sanctus agnovit. Beatiss: Virginem & Custodem genium aspectabiles habuit, futura prævidit, absentibus præsens succurrit, ægris medicum se præbuit, & vivus mortuum suscitavit. Donec & ipse non amplius moriturus, peracta LXXX. annorũ laborioſæ vitæ periodo, sacris eadem die operatus, sui fati diu ante

vates, mediâ nocte migravit ad Dominum, a Gregorio XV. Sanctis assertus Anno M. DC. XXII.

Nov. Brev.

MEDITATIO
In virtutes S. Philippi Nerii.

1. Mirum quantum S. Philippus Deum amavit. Annos natus 23. libris valedixit, ut orationi penitus traderet sese. Rem divinam faciens lacrymas tenere non poterat, erumpebantque continuò ex ejus corde incendia divini amoris. Ex quibus intelligere posses, te Deum amare? An ex frequenti cum eo colloquio? An ex attentione & fervore, quo vacas piis exercitiis? Amantissime Jesu? tantâ cum voluptate loquimur cum amicis; unde tam citò nos tædet alloquii tui? O Deus amabilissime (ajebat S. Philippus) qui amorem tui præcepisti, cur unum duntaxat, tam exiguum cor nobis dedisti?

2. Durissima erat ejus vivendi ratio: jejunabat singulis penè diebus. Integrum diem labori, noctem orationi tribuebat. Patienter feras tuæ vocationis labores & mala omnia, quæ vitare nequaquam potes. Adhæc macera corpus tuum, sed in abscondito, ne, si laudaris ab hominibus, aliam fortè non sis accepturus mercedem.

3. Fervorem actionis cum contemplationis tranquillitate sapienter sociârat. Erat conjunctissimus

Deo:

Deo: aderat proximo quoquo modo laboranti: familiaribus colloquiis, & appositis concionibus peccatores ad frugem revocabat Ut quid nihil agis: Dei causâ? quia profectò Deum non amas. *Nunquam est Dei amor otiosus; operatur enim magna si est: si verò operari renuit, amor non est.* Gregor.

S. RESTITUTA.

27. Maii.

Si fortis armatus custodit atrium suum & Luc. 11. cad.

ROmæ nata RESTITUTA, denata Soræ, nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen Clausa egit, & formam, quam passim Juventus nobilis deperibat, velut ignem custodijt, non jam Vestæ sed Christi Virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat & aliter etiam Nuptæ nomen refugiebat. Interea invidit DEO Sponsam suam, ut solet, Orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At Restituta nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata risit rivalem deformem & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc Christo authore ædibus paternis exces-

sit Virgo Soram abitura, nec tamen sine comite, nam ad latus Angelum habuit, qui toto itinere stipavit euntem. Neque poterat latere famula Dei, publico miraculorum comitatu manifesta. Vix enim ingressa est urbem, & jam morbos migrare fecit è corporibus, quo miraculo proditam nobilem hospitem, nobile hospitium, carcer martyrum excepit, ita Agathio proconsule jubente. Exin scorpionibus cæsa cecinit. VII. dies noctesque sine victu clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, Angelorum aspectu satiata. Deniq; capite unà cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata cœlum subiit, cùm carceris custodes & adeò carnifices miraculis captos eâdem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO
De Custodiâ Casti pudoris.

1. SResituta Castro virginitatis tuendo, primò custodem adhibuit verecundiam, quæ *custos virtutum omnium* ita Cicero. *Parens omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, Magistra Innocentiæ, chara proximis accepta alienis.* ita Valer. Max. lib. 4. c. 5. Quomodo te custode pudore servas à turpiloquiis de harâ Diaboli? à consortiis Veneris & Cupidinis? an excubat hic Custos pudor in portis

in portis sensuum tuorum?

2. Defendendo castro virginitatis suæ adhibuit S. RESTITUTA firmum præsidium S. Angeli Custodis. *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus?* si hoc cogitares tecum, erubesceres sæpe facere in occulto coram DEO & Angelo tuo, quod coram homine non auderes. Disce hos Argos centoculos actionum tuarum verecundè timere, studiosè diligere, atque hanc salvam quardiam tibi instanter à cœlo deposcere.

3. Ut ab externis insultibus inimicorum Dæmonis, & mundi custodiret atrium suum, domuit inimicum domesticum, carnem suam longâ inediâ, plus Angelorum satiata aspectu, quàm ciborum esu. 1. Pet. 5. *Sobrij estote & vigilate*: monitum hoc est Principis Apostolorum: abstinentia & vigilantia sunt duæ pedissequæ castitatis; harum famulitio honestissimo tutissimus eris, si priùs membra tua in servitutem redegeris. Neque quinque fatuis sensibus tuis Segniter dormire concesseris.

S. GERMANUS EPISCOPUS.

28. Maii.

Hospes eram, & collegistis me: nudus eram & cooperuistis me: in-

firmus eram & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me.
Matth. 25.

GERMANO mors nondum nato, ab ipsa, quod abomineris, matre; nato ab avia propinata est, nihilominus inter domestica latrocinia adolevit, veneno priore maternis visceribus, sine noxa fœtûs, diffuso, altero ad aviæ filium delato, æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani hæreditis quærebatur, idem paratam innocenti pestem biberet. Germanum contrà Parisiensis mitra exspectabat, & in omnes morbos jus, benevolentiâ Numinis maleficia mortalium in ejus, gloriam vertente. Saliva ejus vestium lacinia, stramen, quod incubitu pressisset, vim medicam habuêre. Hæc alexipharmaca etiam Reges ambiebant. Glotharius quod virum sanctum parùm civili pro foribus morâ fatigasset, injuriam febri luit, quâ modestior factus, postridie S. Viri palliolum osculis trivit, eoque intestinum ignem extinxit. Unicam literulam chirographi ejus delinxisse Monacho biennium ægro saluti fuit. Fugientem animam illustris fœmina filo de viri

veste

veste rapto retraxit. Alteri jam exanimi cum frigidâ vitam infudit. Unicâ voce flammas sopivit, Crucis signo compedes solvit, populatores agrorum ursos extinxit, totas Dœmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeò mortis triumphator, obitûs sui diem non animo modò, sed oculis etiam ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo- V. Kal. Junias: id quò spectaret, non ante intellectum est, quàm eodem die, octogenario proximus decederet. Tu, si sapis, ne incertâ horâ te mors fallat: OMNEM CREDE DIEM TIBI DILUXISSE SUPREMUM. *Ex Sario.*

MEDITATIO

De operibus misericordiæ.

1. DEbes operibus misericordiæ vacare, non ex consilio tantùm, sed ex Christi mandato, cui nisi parueris, periisti, nec unquam ad Paradisum pervenies. Supremi judicii die ad Regnum vocabitur, quisquis ea adimpleverit; & à Regno arcebitur, quisquis neglexerit; Quia quidquid fit uni ex minimis hominibus, fit Jesu Christo. Quænam est tua in proximum Charitas? Pretiosas alios juvandi occasiones ne tam facilè prætermittas.

2. Nudis vestes dato; Aureo, & serico panno in-

dueris; detritis saltem, & neglectis vestimentis Christi membra tegito: ægrotos, inopes præsertim invisito, & pro facultatibus tuis adjuva. Invise vinctos, si sunt innocentes, digni sunt, quorum curam geras; si nocentes ac rei, graviùs tu fortè peccasti; Enimverò si omnes divinæ Majestatis rei carceri mancipandi forent, mundus quantus est, carcer esset.

3. Si propter inopiam bona temporalia largiri non potes, largire spiritualia, hoc est, solare mœstos, ægrotos, pauperes: Visita detentos in carcere. Ora pro omnibus, & gratias age Domino, quòd non opprimaris miseriis, quibus tam multi opprimuntur. Postremo hæreat animo tuo hæc sententia: *Gratis misericordiam sperat is, qui misericordiam non fecerit.* Chrysostomus.

S. MAXIMINVS EPISC. CONF.

29. Maii.

In timore incolatûs vestri tempore versamini. Pet. 1. cap. 1.

Hic in Gallia natus, multùm juventutis suæ, non vanis & curiosis (ut modò multorum exiguo morum emolumento est) sed piis ad sacra loca peregrinationibus impendit, quas tamen Treveris videtur absolvisse:

visse: nam Agricius, pius urbis Antistes, hospitio exceptum, cùm mores ejus probasset, inter Clericos adlegit, Sacerdotium contulit, eundèmque moriens habuit, ibidē in Pontificio munere successorem. Magnus apud hunc Athanasius, exagitantibus extorrem Arianis, hospotio, 4 supra annum mensibus, fruitus est: & multùm per id tempus tanti viri consortio in virtute Maximinus profecit. Intererat cum alijs Præsulibus Colonięnsi synodo, ubi Euphrates loci præsul divinitatem Christo negans, anathemate fulminatus & exauthoratus est, in sardicensi etiam concilio damnationi Arij consensit, eàmque ob rem per Arij sectatores ab officio depositus & exilio mulctatus est. Huic ursus cùm asinum devorasset, virtute divinitùs datâ, imperavit feræ, ut onera asinì subiret, eumque cùm aliquamdiu itineris comitem, bajulumque tenuisset, liberum dimisit. Tandem post exilij ærumnas in patriam redux quietem animæ æternam invênit; corpus autem Treviros translatum etiamnum ibi multis salutare quiescit.

Ex Martyrol. Gallico Susaÿ Suffrenus.

Medi-

MEDITATIO
De miseriis hominis, versantis in terra.

5. SI omnino nobis persuasum esset, terram exilium, cœlum verò patriam esse, haud dubiè terram brevi despiceremus, & cœlum, quò ituri sumus, vehementiùs desideraremus. *Heu mihi* (inquit David) *quia incolatus meus prolongatus est!* Paulus verò: *cupio dissolvi & esse cum* Christo. Et nos in terrâ diu manere cupimus! & nos plura, & plura bona, non nobis sed hæredibus acquirimus! *Cogitant, quid post se relinquant, non quid ante se præmittant.* Chrys.

2. Maximè timere debemus pericula, in quibus perpetuò versamur. Plena est hæc vita occasionibus peccandi. Quantâcumque virtute sis præditus, fieri potes mortalium pessimus; & quidem nescis, odiône, an amore in præsentia dignus sis. Abjice te coram Deo & operare salutem tuam.

3. Ignoras ubi, quando, & quomodo sis moriturus, &, quod majorem tibi pavorem incutere debet, nescis, an sis de numero prædestinatorum; id namque sciverit nemo, qui nondum audierit sententiam summi Judicis. Quî posset homo christianus sine tremore & sine fremitu veritatem hanc meditari? O nos miseri! exilii locum assiduis lacrymis aspergamus, ac operam demus, ut vita in piis operibus acta, piâ morte claudatur. *Infelices quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio.* Augustinus.

SISA-

S. ISACIUS Conf.

30. Mail.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.

Epistol. Jacobi, c. 1.

MOvebat in hostem Imperator Valens, ipse DEI longè maximus hostis, ut qui pro Arianis pugnabat, templisque Catholicos arcebat. Occurrit eunti ISACIUS noster plenus fatidico spiritu & libertate Christianâ armatus monuit, *si pacem in imperio exoptaret, ne bellum cœlo faceret: Sique belli portas claudere percuperet, Catholicorum templa priùs aperiret: aliter crederet, cum Superis sibi bellum fore, nec nisi Sanguine suo & interitu lassaturum Martem.* Hæc inquam, & similia non semel Isacius occinebat Valenti. At hic molestum monitorem in obvia dumeta jussit abjici. Scilicet, si spinæ illæ nunquam aliàs, tunc certè Rosas tulerunt, sanguinémque biberunt, quo rectè erubescerent. Et verò ad formosa spectacula tres Cœlites advolârunt gestieruntque à spinis Isacium (hoc est Rosam) tollere, qui

qui eadem mox oracula tyranni auribus ingressit. Tum verò cum asservari inter vincula jussit Valens, dum redux è bello victorque otiosè rideret Vatem suum. At hic abeunti illa alterius Vatis verba dixit, *Si reversus fueris in pace, non locutus est in me Dominus.* Enim verò Valens acie victus est & qui fumos vendenti Ario crediderat, fumo ignèque in fuga periit. At Isacius vatis honores tulit. illi urbis portæ ad preces quoties libuit, patuerunt. illum mortuum omnis Constantinopolis tam luxit, ut unicum hominem omnium humeris crederes efferri.

Ex Metaphor. & Menol.

MEDITATIO
De triplici consilio S. Iacobi.

1. TRia sequere consilia,& in multis non offendes. *Sis velox ad audiendum.* Locutus est Deus ore Isacij Valenti Tyranno, nec tamen dictis obaudijt, damno suo & probroso interitu. Sæpe tibi Deus loquitur, ore tum amicorum, tum inimicorum: tuorum illorum consilijs,& horum convitijs utere ad salutem. Audi etiam conscientiam loquentem: sed quoties eam vilipendis?

2: *Esto tardus ad loquendum*: verbis paucis, sed cautè & seriò prolatis Isacius Propheta audiit. In multiloquio autem non deerit paccatum. Si ad verba

tua

tua seriò attenderes, tot otiosa, & tot inutilia non effutires: nihil diceres unquam, quod repugnaret charitati & honestati. De tuis laudibus omninò conticescerres. Inquire in te ipsum, & invenies majorem peccatorum tuorum partẽ verbis contineri.

3. *Esto tardus ad iram.* Justissimâ irâ Isacius corripuit Tyrannum: sed impius præcipiti irâ & malesanâ, Isacium mala sed vera vaticinantem in spinosa dumeta immersit: ubi rosas patientiæ collegit Propheta. Sæpius iram nostram damnaremus, si ejus causas perpenderemus. Nunquam sanctiùs irascimur, quàm nobis ipsis, si peccavimus. Si autem in proximum iram effuderimus, aut verbo aut opere, in gratiam maturè redeamus: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

S. PETRONILLA VIRGO.

31. Maii.

Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis

Matt. c. 22.

HÆc S. Petri ex Perpetua matre Martyre, ante Apostolatum genita filia, affixa à primis annis lecto miseram vitam à morbida vivebat; nec ipse parens S. Petrus jam Apostolus

Apostolus & per umbram corporis sui morborum depulsor, filiam reddere sanitati voluit, salubriorem ei sanitate ægritudinem asserens. Expedit (inquiebat) saluti animæ ejus, ut ægrotet: veruntamen ut sciatis posse me divina virtute eam sanare: adestum (ait) Petronilla, ministra nostræ mensæ. Surrexit ministravit. Has quamvis à morbo inducias impetraverit, dum mensæ serviret, licentiam tamen morbo redddidit, ut porrò lecto filiam teneret. Post aliquot tandem annos morbo jam libera experta est, fidum integritatis suæ custodem morbum fuisse, cùm sanam Virginem Flaccus Romanus eques ambiret sponsam, neque enim corporis jam infirmitas obtendi potuit, neque tam nobili proco repudium dare permittebat urbanitas: jamque aderant, qui vel invitam deducerent, paranymphi equites à sponso. At Petronilla Deo jam dovota, cùm mori mallet, quàm homini nubere, quid, ait, armatis opus est? date triduum, quo consultem meecum de subeundo mihi matrimonij jugo; hoc finito, matronæ me ad nobilem thalamum deducant. Sic spatium nacta solvitur in lachrimas, cœlumque fatigat precibus, donec tertio die sacris munita à Nico-

mede Sacerdote, ne Virginitatem perderet, vitam cœlestis Sponsi desiderio exuit. Ita exanime cadaver missæ matronæ invenerunt, atque ex pronubis factæ præficæ pro Hymenæo nænias decantarunt. In cœlis verò victrici Petronillæ epinicion ob virginitatem propugnatam cœlestes genii modulati sunt. *Baron. t. 1. annal. Ex Beda, & Vsuardo.*

MEDITATIO
De morborum utilitate.

1. DEus morbos immittit, ut citiùs emergamus è peccatis, ambulemus cautiùs, copiosiùs remuneremur, & mortem diligentiùs meditemur. Itaque gratias age in morbo, juxta, ac in sanitate; morbi sunt Dei dona, utiliora plerumque ipsâ sanitate, quamvis non ita placeant naturæ. Cùm affligeris morbo dic cum S. Job: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?*

2. Exemplo S. Petronillæ ad Deum, ut ad patrem tuum, confuge, eumque roga, ut sanet infirmitatem tuam; vel potiùs imitare Jesum Christum, qui in horto Olivarum oravit Patrem suum, ut transiret à se calix passionis. Pater mi, si sic placitum est ante te, si tuæ gloriæ, si meæ saluti expediat, redde mihi sanitatem; tum omnia Deo permitte, & lubenti animo accipe, quidquid acciderit. Quid multa? pro certo habe, quod, *Quamlibet aspera & dura patiamur, minora patimur, quàm meremur.* Salv.

3. Si Deus velit, ut diu in morbo, aliisque miseriis jaceas, gratias ipsi age. Lauda, adora divinam ejus providentiam; si verò te morbo, alijsque afflictionibus expediêrit, memento ideò Dominum hoc feciſſe, ut ipsi ſervires, quemadmodum Petronilla Patri ſuo miniſtravit. *Noli amplius peccare*; ita Chriſtus monebat eos, quos ſanârat. Sta promiſſis, nec obliviſcâre beneficiorum amantiſſimi Patris.

JUNIUS.

S. SIMEON Confeſſor.

1. Junii.

Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: Scientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.

Jacobi. 1. c. v. 2.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei filius ſacravit, regionibus, ad amorem paupertatis, quam omnia ejus veſtigia ſpirant, exarſit.

exarsit. Jura sanctitatis eum Anachoretes docuit, vel semel exerrantem in fœminas oculum gravi oratione ad officium revocaturus. Ab eo deniq; manumissus loca plura magis virtutibus nobilitavit. Subinde in piratas incidit nihilo mitiora comitibus occisis passurus, ni salientem de puppe petitúmque telis divinior vis texisset. Tandem delatus Treviros speculam sibi in turris fastigio elegit, quam expugnare orcus aggressus, suas in Christianũ Herculem hydras, & omne monstrorum genus nequidquam armavit. Stultius stratagema fuit, cùm perditi tenebriones nescio quos fatuos ignes radiosque tugurio ejus infunderent, sed ille fanaticam lucem oculis non admisit, Solem suum mortuo sibi oriturũ dictitans: Dæmones, elusis artibus suis, auxilium ab hominum malevolentiâ petunt, qui noxiam aquarum inundationem sceleribus ejus imputare ausi, convitiis saxisque in caput innocentis sunt grassati. Stationem tamen non antè deseruit, quàm illum cœli Imperator evocaret. Anno MXXV. Corpus ejus exanime prodigioso sudore immaduit. Quis arduam neget ad cœlum viam? in qua etiam hi cursores, & quidem post mortem, sudant. Ex sa:

MEDITATIO

De variis tentationum victoriis Simeonis.

1. NE tentatori aditum facias in animum tuum, claude oculos præ omnibus portis. Semel tantum exerravit Simeon in vultum fœminæ liberiore oculi jactu evagando, & hunc errorem longissimâ oratione expiavit. O oculi, scopuli! *Vidit David mulierem se lavantem ex adverso*: & quanta illa laudum ac meritorum oneraria naufragium fecit? neque tu times fragili carinæ? quin potius Simeone Magistro disce te ipsum corripere, & quemcunque liberiorem aspectum severè plectere, *Oculi vestri etiamsi conjiciantur in aliquem, in neminem tamen figantur*. S. August. Epist. 109.

2. S. Simeonem, quem Spectrorum larvis ab orandi studio absterrere non potuit Orci tenebrio, circumfusâ fatuâ luce excæcare conatus est; sed facilè erat Simeoni mendacis lucis Caco-angelum abigere, qui non alium solem amavit, quàm Jesum Christum. Nunquam tuis confide meritis, si tibi sanctus videris, sanctificeris adhuc: *perfectorum justitia est, ut nunquam præsumant se esse perfectos*. D. Leo. Et quia nihil adeo timet proditor tuus, quàm prodi, confessario tuo conscientiam tuam fideliter aperi.

3. S. Simeonem Dæmonum victorem maledici homines

homines linguarum telis, & saxorum imbribus aggrediuntur. Si Deo servire intendis, cogita conclamatum esse contra te illud: *circumveniamus justum & opprimamus eum*, tu sustine fortiter, & dic; *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.*

SS. MARCELLINUS & PETRUS MARTYRES.

2. Iunii.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. Paul. ad Gal. 17.

NIhil agis Impietas: Christi Servus etiam inter vincula liber est; Insultabat Arthemius PETRO compedibus onerato, experiretur Dei sui vires, & rumperet catenarum nexum, si tamen in Jesu nomine confideret. Petrus non id modò præstitit, sed Paulinam insuper ejus filiam, Diaboli mancipium, expulso improbissimo tyranno, in libertatem asseruit, unaque Arthemio persuasit, Deo, antea subsannato, cum om-

nibus carceris incolis, sacramentum dicere, MARCELLINUS, qui eos Christiano ritu abluerat, nudus vitri fragmentis impositus, non ante, quàm ab Angelo jussus, ex illo se lecto proripuit, & cœlesti veste excultus cum Petro, quem idem Angelus cippo exemerat, Christianorum se cœtui reddidit, quibus animandis cùm septem ipsos dies impendisset, pleno tandem agmine Arthemium cum uxore & filia ad supplicium euntes comitatus est. Ipsi denique in silva, cui nigræ cognomentum fuit, inter senticeta, capite plexi sunt. Nihilominus vel invito tyranno abscondi inter spinas lilia non potuêre, & sanctitatis odor rubentes suo sanguine rosas prodidit. Lucilla & Firmina castis illas manibus legerunt, & in communi SS. Martyrum viridario, collocarunt. Silvæ quoq; nomen immutatũ est pro Nigrâ Candida posthac audiit. Esto & tu lilium inter orbis spinas, & cæli candidatum te appellabo. *Ex Suria.*

MEDITATIO
De triplici ratione convertendi animas.

1. ETHnicus ad veram fidem, peccator ad meliorem frugem verbis possunt revocari. Verba

Verba quàm plurimùm valent, maximè si propinquus, aut amicus ea opportunè dixerit. Mutua necessitudo amicorum saluti, & Dei gloriæ serviat. Si verè amaveris quemquam, fac, ut & ipse Deum amet, & ametur à Deo.

2. Bona vita hortatio est validissima, potest certè allicere scelestos omnes ad meliorem vitam. Nunquid exemplum tot piorum hominum, qui fideliter serviunt Deo, utiliùs est convertendis peccatoribus; quàm comptæ concionatorum orationes? Charitas, mansuetudo, humilitas, divitiarum, ac voluptatum contemptus, ea ipsa sunt, quæ peccatores ad emendationem vitæ & morum traducunt. Sic Apostoli vitæ integritate plures adjunxerunt sibi, quàm Philosophi doctrinæ magnificentiâ. *Nec tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani facta docendo.* Tertul.

3. Tolerantiæ demùm efficaciùs, quàm verba, & aliæ actiones virtutem suadent. Martyrum cruciatibus infinitorum hominum debetur conversio. Patientes feras levitatem fortunæ, & hostium arrogantiam; hac siquidem ratione conversionem perficies tuam, *Ad erudiendum populum nullorum utilior est forma, quàm martyrum eloquentia.* S. Leo.

SS. PERGENTINVS & LAVRENTINVS. MM.

3. Junii.

Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrâ virtutem: in virtute autem scientiam: in scientiâ autem abstinentiam: in abstinentiâ autem patientiam: in patientiâ pietatem: in pietate amorem fraternitatis: in amore fraternitatis Charitatem.

2. Pet 1. cap. v. 6.

NOn minùs sanctũ, quàm nobile par fratrũ Pergentinum & Laurentinum aspicis, quorum nomen Aretini Cives, ad Tiburtium Pietatis hostem delaturi hæc accusationis capita habuêre: ludum litterarium eos quotidie frequentare; rimari arcana Phylosophiæ Christianæ; & jam privatim exercere magisterium ejusdem sectæ; id si publicè audeant, neminem fore quem non eloquentiâ sint corrupturi. Tiburtius propriâ confessione convictos, inviolatos tamen abire passus est, tanto nequior, quantò blandior. Nihil deinde de more suo remittentes, cædi fustibus jussit, plagisque obsatu-

obsaturatos inediâ plecti. Triduî jejunio maceratis Angelus mensam struxit de cœlesti penu cellaque; cujus delicias qui gustet, sentiat profectò, obsonare famem tanti fuisse. Allapsa simul cœlo lux, & sponte laxatis carceris foribus, Christianis cum Pergentinâ sorore ad captivos via patuit; sed ij cœli nectare ebrijs fugam suadere aggressi frustra fuerunt. Carnificum contrà ad mortem eos evocantium suavissimæ voces visæ; quam priusquàm oppeterent, saxeam Jovis statuam ardore precum suarum in modum ceræ coëgerunt liquescere. illustre miraculum, inquies, imitabile tamen: Potes tu quoque Bacchum, Venerem, aliàq; improbæ mentis Idola precibus extinguere.

Ex Surio.

MEDITATIO

De quibusdam præcipuis lectionibus addiscendis in schola Christi.

1. LEctio Epicureorum in schola mundi est: *Lede, bibe, lude*: & illa appendix hujus regulæ mundi, infallibiliter eveniet, *post mortem nulla voluptas*. Nihil enim supererit in altera vita præter Ah! & Væ! Lectio autem in schola Christi prima est: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat*

tollat crucem suam quotidie. Matt. 11. qui hanc didicerit, illi in præmium obtinget liber vitæ, in quo Alphabetum exaratum est, cujus *Alpha & omega Deus. Omega* quidem finis patiendi: & *alpha* initium gaudendi.

2. Altera lectio in scholâ Christi est: *Abstine sustine.* hanc regulam edocti ambo discipuli Pergentinus & Laurentinus doctoratûs cum martyrio lauream obtinuerunt; *abstinuerunt* inedia à tyranno emacerati: *sustinuerunt*, plagis pro cibis saturati, quamvis non ita jejunio enervati sint, ut Saxeum Jovem non colliquescere fecerint, cælestibus epulis, terrestrium vice, amborum vires restaurantibus. Carni non indulgeas ut cœlestia sapias. *Incrassata caro, gustat cælestia rarò.*

3. Tertia lectio in schola Christi est: *Vera scientia consistit in duobus punctis, nimirum quod Deus sit omnia, & homo sit nihil.* S. Laurent. Justinian, ingemina cum S. Francisco Seraphico millies & millies, *O Deus meus! Deus meus! & omnia!* Et illud tibi monitum suggere, & ingere, quo Philippus Macedo se indies à somno excitari voluit. *Surge Rex & hominem te esse cogita.*

S. QUALTERIVS CONFES:

4. Junii.

Qui

Qui non odit Patrem, & Matrem, & uxorem, & Filios, & fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Luc. 14. c. v. 26.

DUbitabit aliquis QUATERIUM Mundi ſidus dicere? cùm humerum ſtellâ inſignitus in lucem prodierit, divino munere parentibus conceſſus, Numini Baſilicam in vicem ſpondentibus. Gratiarum domicilium diceres, tanta erat oris venuſtas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo ſtudiis certatum eſt. Cœlo Terraque tantum decus ad ſe rapientibus, Præfecti Urbis Filia oculos in eum conjecerat, optabatque ſponſum ſpe tantò certiore, quanto inter Romanas Nymphas eminebat, & ſanè, ſi quid mortale amandum fuerat, tuliſſet primas. Jam parentum vota conſenſerant, gratulabaturque pari & pulcherrimo conjugio Roma: cùm Gualterius generoſo faſtu conditionem aſpernatus, negavit fœminam ullam toto orbe dignam ſe marito; translatisque in cœlum deſideriis, caſtarum mentium ſponſam Virginitatis ſibi voto devinxit. Id

tamen

tamen consilium parentes insaniam vocarunt, & extorquere Filio non verbis tantùm, sed verberibus etiam sunt conati: ut neutris flecteretur, vox allapsa cœlo fugam adolescenti suasit, quam cum Armeno Sacerdote in Picenum instituit: ubi deinceps eo virtutum splendore vixit, ut palam fecerit, æquum fuisse, eum stellatum nasci. Parentes diu perquisitum denique reperêre, sed jam inediâ squalidum, alióq;, quàm quem Romæ suspexerant, vultu. ille tamen Deo plenus factum iis suum non approbavit tantùm, sed ut imitarentur, induxit; quem finem utinam omnia parentum cum filiis certamina habeant; juvaret acies committere & cantare classicum. *Ex Phil. Ferr.*

MEDITATIO
De multiplici laudabili fuga Sancti Qualterii.

1. UT cum Qualterio fugias carnis illecebras disce adagium illud de amore: *aut servi tanquam servus, aut fuge tanquam Cervus.* Qualterius ne amare cogeretur, *Posuit pedes suos quasi cervorum.* Præceptũ quidem non habuit Apostolus, neq; Deus dedit, non nubendi; melius autem facit, qui eligit non nubere, (ut maneat servus liber Christi)

quàm

quàm fieri mancipium amoris; cujus lineamenta ab Epicteto expressa si accuratè videris, contra ipsum amorem odium concipies. *Amor est otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in Virgine rubor; in fœmina furor, in Iuvene ardor, in sene risus*, & quis amaret amorem?

2. Ut fugias mundum, disce memoriter testamentum; quod M. Aurelius Imperator mundi amatoribus reliquit: *O Munde qui nihil minus es, quàm mundus. Annus hic quinquagesimus secundus, ex quo nascentem me accepisti: quo toto tempore, ne semel quidem veritatem ex te audivi, & in decies mille mendaciis te deprehendi: nunquam à te quicquam petij quin promiserit: nunquam mihi promisisti, quod dederis: nunquam tecum commercij, quicquam habui, quin deceptus fuerim: nunquam Societatem tecum inij, quin perierim. Deniq; nihil unquam in te, cur amandus esses, vidi, & quidquid in te vidi, dignum erat odio*, vale immunde munde.

3. Tibi applica illud Marcelli responsum, quod interrogântibus, cur adeo non metueret sibi in Conflictibus, reposuit: *Ego Romanus sum* (die tu, Christianus sum) *itaq; decet me Caput discrimini vitæ, & quibusq; incommodis subjicere.*

S. BONIFACIVS Mart.

5. Junii.

Vos autem genus electum, regale

Sacerdos

Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petri v. 9.

BONIFACIO & hoc & Apostoli nomen Germania peperit, cùm Winfridus olim vocaretur. Monasticen puer amplexus est, multùm adversante Patre, donec, immisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianâ disciplinâ imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit; Sociis etiam in partem pii operis adscitis. In Boica S. Sturnionem, Treviris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cùm Anagnosten in triclinio peritè agenti aures dedisset: capto enim egregiæ indolis experimento, unius congressûs suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palam dictitaret, suis se pedibus cum Bonifacio orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negâssent. Bonifacii labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad Martyrium usque actorum cursum quis explicet, in tantâ sæpe necessarii victûs inopiâ, ut cœlo commeatum ei submitti avium ministerio, fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat,

quâ

quâ sacro Chrismate frontes inungeret: Ij ex discipulis latrones facti, optimè de se meritùm cum Ll. sociis peremerunt. Irruenti in se barbaro Evangelii Codicem Bonifacius objecit, qui etsi discissus est, negant tamen ullam literulam eâ plagâ vitiatam. Omnia ipsius facta dictaque admiranda sunt; illud sæpe sæpius repetitum nostra ætas multò veriùs, quàm Bonifacius audiat: Olim Sacerdotes aureos cum ligneis calicibus fuisse, nunc aureos esse calices, sed ligneos Sacerdotes. *Ex vita apud Nicol. Serrar.*

MEDITATIO

De Sacerdotum, & ecclesiastici, ac religiosi ordinis vita exemplari.

1. PRavis Clericorum moribus ingemiscens *Bonifacius* dicere solitus erat. *Aliàs aurei Sacerdotes erant, calices autem ligneì: nunc verò calices sunt aurei & lignei Sacerdotes.* Lubeat quoque magnum Magistrum morum S. Gregorium audire in pastorali suo: *Nemo in Ecclesia amplius nocet, quàm qui perversè agens nomen, vel ordinem Sanctitatis habet; delinquentem namq; hunc redarguere nemo præsumit.* repetite hoc, *delinquentem namq; hunc &c.* Quod homo non præsumit, hoc faciet Deus, justus & rigidus corrector & peccantis, & corrigere negligentis.

2. Et

2. *Et in exemplum culpæ Sacerdotis vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur. ita Gregor ibid.* Asserente Christo! *lux mundi vos estis*: Sole mundi oculo, à lunâ interpositâ eclipsato, deliquio laborat tota Sublunarium rerum pulchritudo: & quis erit splendor virtutum in Laicis, si suismet vitiis obscuratur Ecclesiasticus vel religiosus Ordo? aut si morum improbitas honoratur in Deo dicatis, quis pœnam à vulgo errante exposcet, quomodo se reum agnoscet.

3. S. Bonifacii codex Evangelicus in loco plagæ à Sicariis incussæ, nec literæ unius aut apicis vulnus aut jacturam exhibet. Summa gloria Ecclesiastici ordinis est, tam doctrinæ Evangelicæ, quàm morum integritas. Qui hanc integritatem pravis moribus vitiaverit, næ is ipsis Bonifacii & Sociorũ Martyrum Sicariis atque latronibus deterior est.

S. NORBERTVS EPISC. CONFES.

6. Junii.

Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. 1. ad Cor. 11.

NORBER-

NORBERTUS Dux ejus Familiæ, quam præmonstratensem indigitant, summis Aulæ Imperatoriæ honoribus perfunctus, cùm mundo se abdicasset, suorum progressus, arque incrementa, ab ipsomet Christo in cruce pendente est edoctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antverpiæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, jugulavit. Archiepiscopus post Parthenopoli, quia in corruptos civitatis mores liberè pro Deo & dicebat & agebat, multorum in se odia convertit, ut jam essent, qui necem ipsi, Socijs verò exilium minitarentur: sed eorũ insidias semper cœlum eluſit; tametsi Norbertus Servatorem æmulatus obvius nonnunquam hostibus iverit, & luculentam ab ijsdem plagam abstulerit. Mariæ cultui se suosque æternùm devovit; undeè Virginis manu vestem candidam (quâ mores suos tota hæc Familia etiamnum monstrat) ab Augustino verò leges aureis litteris exaratas accepisse memoratur. Ita candidatus cùm cœlum diu ambivisset, anno demum CXX XIV. supra M. obtinuit, & in victoriæ signum olivam manu præferre visus est. Nonnemo eundem sub Lilij imagine transportari in cœlum conspexit. An non gra-

tulari sibi terra tunc potuit, cùm flores habuit, quos in sua rosaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, si non ungue infesto invidus cœlo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De Sacra Synaxi.

1. S. Norbertus 40. diebus, tum jejuniis tum orationibus, & corporis afflictionibus ad primum sacrum faciendum se se præparavit. Ad cœlestes Epulas crebriùs accedito, Christus in Eucharistia est panis vitæ, & omnium tum tentationum, tum vitiorum remedium: hæc divina mysteria si sæpius susceperis, confirmabitur fides, spes excitabitur, & charitas magis ac magis accendetur. Denique fons est omnium gratiarum. Ah Domine! quàm bonus es! quoties volo, possum tam salutares aquas bibere, nec ad fontem curro!

2. Cave! ne nimio ac negligenti usu, tua minuatur adversùs tantum Sacramentum reverentia. Accipe semper hoc divinum pabulum, tanquam ultimum accepturus. Memineris, humilitate, recollectione cordis, & corporis puritate animum præparari ad ejus sumptionem. *Accedite cum fide, memore & dilectione.* Aug.

3. Cùm accipis amantissimum Jesum, totus sis in actibus fidei, humilitatis, amoris. Quò quis accedit paratior, cò majori gratiâ donatur. Quid

agit,

agis, antequam suscipias JESUM? quid in ipsa susceptione? quid demùm, & postquam eum suscepisti? Non te lateat, quòd *Non minùs peccant qui tradunt* Christum *peccatoribus membris, quàm, qui* Christum *tradiderunt crucifigentibus Iudæis.* Aug.

S. CLAUDIUS Archiep.

7. Junii.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli. Paul. ad Cor. cap. 6.

SAlinis in Burgundia præclaris ortus parentibus est CLAUDIUS, sal terræ futurus. VII. ætatis anno scholas adiit, inque omni literatura laudabiliter est progressus; consortia malorum declinabat semper, nulli fœminæ, quamvis miles, locutus, nisi necessitas urgeret; vitas Sanctorum lectitabat, & de similibus ejus fuêre colloquia: sal nempe fuit ab omni libidinis putredine carnem præservans: cùmque in Bisantinæ Cathedralem Ecclesiæ, XX. ætatis anno, receptus est, vitæ rigore & solitudinis amore, Monacho quàm Canonico similior vixit, eâ virtutis apud omnes æstimatione, ut Archiepiscopi munus subire cùm restitaret, etiam

à summo Pontifice juberetur. Ita septennio, nil lecti, vestium, cibi potûsque mutato rigore, cùm optimè præfuisset; agente divino Spiritu, infulam cucullo mutavit, inque Ordine S. Benedicti atque S. Eugenii monasterio, L. annos Abbas, ingenti disciplinæ & œconomiæ emolumento exegit, ubi nonagenarius levi morbo, quem tamen sibi lethalem sciverat, corteptus, suis vale dixit, postque quatridui orationes, in templo sacris munitus, recessit ad cubile suum, elevatisque ad cœlum manibus oculisque, sedens exspiravit. Corpus ejus in monasterio sepultum, servatur integrum: Quomodo enim sal corrumpatur, quo alia conservantur. *Lipeloo.*

MEDITATIO
In vitam S. Claudii.

1. S. Claudius, annos viginti natus, mundi vanitatem novit, adeò, ut vel in medio mundanorum tumultu, secum habitaret, gauderetque feliciori Anachoretarum tranquillitate. A longo tempore novisti mundi fallacias, non te latet, vanos honores polliceri, momentaneas delicias dare, & ejus divitias seminarium esse criminum, atque molestiarum; ni caveas, frustrabere cœlestibus, quòd ames plùs æquo terrestria; ut quid amas

mas mundum, cujus expertus es vanitatem?

2. Antistitis Jussu fit canonicus tum divino instinctu Bisuntinus Antistes. Ad nullum munus accedas, nisi vocatus à Domino, à quo nimirum ad aliquod vitæ genus destinaris. Haud dubiè te pœnitebit, si minùs divinis ejus consiliis morem gesseris: in tua vitæ conditione contentus eris, si scias, hanc te complexum esse ex Dei voluntate, solenne tibi sit, inconsulto Deo nihil quicquam suscipere.

3. Tandem ad optatam eremum secedit, ut seriò mortem meditetur. *Oportet*, (dicebat quondam Dux Clarissimus (*ut mortem inter & vitæ negotia, non nihil sit intervalli, ne imparati discedamus*, Nunc animæ meæ saluti consulam: par est, ut qui tam diu corpori suo servierit, tandem animæ serviat suæ. *Demus Deo aliquod tempus vitæ nostræ, ne totum diem vanitas ista. & sollicitudo miseranda consumat.* Chris.

S. MEDARDUS
EPISCOPVS.

8. Junii.

Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Paul. ad Gal. 6.

NOlit fortassè à Gildardo gemello suo sejungi MEDARDUS, cum quo ita communia

communia habuit omnia, ut codẽ die ambo nati, ambo denati, ambo ſacris infulis induti ſint: leges tamen hìc ſeorſim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo paria cogitabis. In ſplendidas opes natus, unicum earum uſum noverat, liberalitatẽ. Prætextam ſuam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrit, geſtiens, quòd tantillâ veſte Chriſtum induiſſet. Equorum cuſtodiam cùm ultrò ſibi depoposciſſet, unius abducendi copiam egeno viatori fecit: cujus jacturam cùm pater acerbè ferret, gregem recenſentibus, numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipſe nihilominus pietatis ſuæ fructum præſentem tulit, Aquilæ alis à pluviarum injuria defenſus. De agrorum limitibus exarſerat inter vicinos certamen, ſpectabatque res ad arma, nî puer litem finîſſet. Saxum enim, medio repertum campo, pede contigit, ſuumque velut in molli cera veſtigium impreſſit, eòque prodigio limitem vel oſtendit, vel fecit. Eleutherio contubernali ſuo de mitra olim indipiſcenda oraculum dedit, cui poſtea vates ipſe ſucceſſit. Defuncto cœlum faces funebres ſuppeditavit. Clotharius Rex ſandapilæ ſuccollavit.

collavit. Cùm tumulo inferretur, cœlum diduci pandique visum, nempe ut melior Medardi pars eo cum triumpho inveheretur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviam profectæ sunt: quibus tertia, quæ de Sancti ore egressa est, sese junxit. Has alas animæ Simplicitas & Modestia affixerunt: nos in pavoninis superbimus. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De non irridendo Deo.

1. SOEpe quidem mundo risum fecit S. Medardi simplicitas, sed quæ mundo visa est risu digna stultitia, sapientia summa fuit apud Deum. Nec Sanctos, nec Deum rideas. Ridet autem Deum quisquis fallit datam ipsi fidem, quam præstaret viro alicujus nominis: Deo promisisti, abrenunciaturum te Sathanæ pompis; an stas promissis? quis ex actionibus tuis argueret, te Christianum esse? *Inter Christianum & gentilem non tantùm fides debet, sed etiam vita distinguere.* Hieron.

2. Deum ridet, quisquis Dei verbis non credit, vel veritatem, potentiam ac bonitatem ejus in dubiũ vocat Difficilè (ait) dives intrabit in Regnũ Cœlorum: Beati pauperes; da pauperibus & habebis thesaurum in Cœlo. Omninò non credis Domini verbis, aliud quippe teneres vivendi institutum; vel si credis, gravissimè Deum offendis, cùm opera tua tam malè fidei tuæ respondeant.

3. Deum ridet, quisquis tantùm ipsi vitæ suæ finem reservat, reliquias nimirum mundi, Dæmonis, & voluptatum: Egregiis scilicet verbis munus suum ornat, qui dicit: ubi me ceperit voluptatum satietas, nec per ætatem potero ijs indulgere, tunc temporis me Deo tradam: Nunc nunc studendum vitæ meliori. *Quamdiu? quamdiu? cras, & cras, quare non modo? quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Augustin.

SS. PRIMUS & FELICIANUS. MM.

9. Junii.

Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Luc. 12.

PRIMUS & FELICIANUS cum Jove & Hercule falsis Dijs, Diocletiano & Maximino crudelissimis Imperatoribus decertârunt solâ adversus illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cujus ut insignia documenta darent, Angelorum beneficio, viam sibi ad fugam aperientium, noluerunt uti. Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cœlo sunt, libârunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quàm vellent,

supplicijs defungerentur. FELICIANUS, octogenario major, cæstus & suffixas unguibus subulas, vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut Primo fucus fieret, Præside, Felicianum tormentis cessisse, stultâ impudentiâ: cùm Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes suo sanguine extinxit; liquatum plumbum (tanta erat patiendi sitis) velut fontanam bibit. Leones & ursi cum illis compositi, nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam securi cæsos muscæ canesq; non ausi sunt contingere; tanta est virtutis etiam apud animantes æstimatio. Utinam homines, qui soli tanti capaces boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animi decora momentis expenderent: Sed eheu: quàm vili venditur innocentia! Ex Surio.

MEDITATIO

De triplici metu salutari.

1. IN mundiali arena profani Martis timere leporum est. In palæstrâ Christi summæ fortitudinis & victoriæ argumentum est, sanctè timere: ille PRIMUS erit in pugnâ, & verè FELICIANUS in obtinendâ victoriâ, quem sanctus timor legitimè certare docuerit. *Initium sapientiæ timor Domi-*

ni in pugile Christiano. Deum time quod omnia possit, videat, judicet, & immisericorditer puniat. *Et timor iste fundamentum erit salutis tuæ* Tertul. Quis enim miles coram duce suo prævaricari auderet mandatum ejus?

2. Infernum time, nec magnificentiùs dicas, operari te amore, non timore, & timorem ejusmodi in sceleratos duntaxat cadere; Sancti enim eodem stimulo excitati, in viâ virtutis cucurrerunt, nuntium remiserunt mundo, & ad desertas solitudines confugerunt. O potens gehennæ timor! eo si plures percellerentur, plures utique adscriberentur cœlis. Quantumvis in præsentia sis bonus, pessimus fieri potes: time, donec ad cœlestem securitatem perveneris.

3. Time peccatum, quo Dei amorem in te extinguis, & accendis furorem. Sancti bonorum & vitæ privationem, ipsumque infernum leviori peccato anteposuerunt; peccatum quippe vel minimum, cùm infinitam Dei majestatem lædat, malum gravius est, quàm omnia supplicia. Itàne sentis? *Convertatur ad Deum timor tuus, quia perversus est omnis timor, quo metuis aliquid præter eum.* Bern.

S. OLIVA
Virgo & Mart.
10. Junii.

Omnis arbor bona fructus bonos

facit,

facit, mala autem arbor malos fructus facit. Matth. 7. v. 17.

NObilis virgo fuit OLIVA. Id si cunis avitis non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Christo gestavit, multum hoc muliebri mundo, & quantum nulla alia virgo, superba. At mors, sive ætati hoc, sive generis splendori dabat, noluit tam pulchram Olivam immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium transtulit. Nihil minus in hoc florere visa Oliva. quid? quòd cæco eidemque pedibus capto cum luce Christum ostendit, & ad partes Christianorum docuit ambulare; cùm alius intestina, quòd fidem nollet aspicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam resipiscenti restituit, & utrumque ad Martyrii cursum præmisit, cùm ipsa ad eandem gloriam seriùs, & ingentibus triumphis grassaretur. Etenim flagris cæsa, in silvas est relegata. Gratulatæ sunt scilicet sibi hæ de Oliva, sub cujus umbrâ etiam effera animalia mansuescere, & cum Virgine innoxia totum septennium agere visa. Interea homines in feras

ras migrârunt. Nobilis enim juventus dum feras captat, visâ Virgine in retia Veneris se induit. At Virgo, an ait, *dubitatis parcere Virginitati hominem, cui vim inferre bestiæ verentur? aut, qui contra feras me defendit,* DEUM *pugnaturum pro me contra inferos homines dubitatis?* Dixit: & nassis expeditos turpib⁹, mox Martyres cœlo transmisit. Ipsa etiam superatis denuò flagris & equuleo, oleumque ab igne bulliente triumphans secuta, gladio secandam cervicem, caput coronandum cœlo dedit. Nunquam pulchriùs Laurus Olivæ se junxit. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO

Qualis quisque debeat esse, ut sit Oliva fructifera in domo Dei.

1. S. OLIVA oleo fluxit misericordiæ, cujus salutifera pinguedine cæci visum, claudi gressum, moribundi vitam recuperarunt. Qualis tu Oliva in Ecclesiæ horto? an Stillas simile Oleum? lege indicem operum misericordiæ, tum corporalium, tum spiritualium: *Misereatur, qui misericordiam sperat; pietatem, qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet:* S. Chrysol. Serm. 14. *Et ante fores gehennæ fiat misericordia, & neminem permittit in carcerem introire, qui misericordiam fecit.* S. Aug. hom. 39.

2. S. OLIVA flagris cæsa, à paterno solo avulsa, in silvas

in silvas incultas ejecta, nunquam non fructum tulit, nec loco, nec tempori, nec fortunæ alligata. Tu non aliter vis florere virtute, & fructus operum proferre, quàm si humectaris rore cœli, etesiis consolationum & bonæ fortunæ favoniis recrearis. Irruente vel levi flatu adversitatis, despondes animum, & exarescit pietas tua: *Nec cedendum, nec recedendum, etiamsi gravis tentationum fervor, utriusq; hominis statum afflixerit: eligamus potiùs ardere quàm cedere.* S. Bern. Ser. 3. de vig. nat.

3. S. OLIVA integro septennio inter Sylvestres arbores & dumos virtutum exercitio floruit: ita & *tutior castitas servatur inter feras, quàm inter homines.* OLIVA tantâ mansuetudine erat inter bestias, ut ad hanc olivam tanquam ad umbram suam recurrerent, & qualis tu inter homines, Concives, & domesticos? nunquid sicut leo in domo tuâ?

S. BARNABAS APOSTOLVS.

11. Junii.

Pacem sequimini cum omnibus & Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. ad Hæbreos 12. cap.

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum: Magistrum in lege judaica Gamalielem;

lem; in Christiana ipsum Christum. Apud hunc Virtus in collegium discipulorum LXXII. adlêgit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo, aliquamdiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut delapsa Numina excepit; jamque aras & victimas & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in Barnaba Jovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiârunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, Deumque Civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantùm non sepultum Paulum, facilè hominem, non Deum esse probarunt. Barnabas etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis excercitus, saxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cœlo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post, cùm in sedem Antiochenam invasisset, nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholica etiam mortuus Barnabas, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertiùm visus monuit, uti communis causæ

patroci-

patrocinium Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua & unà volumen, in quo Divi Matthæi Evangeliũ exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro incluſit, rectè gemmam esse ratus. *Ex act. Apost. Ber. & Lip.*

MEDITATIO

De sanctitate uniuscujusq; in suâ vocatione.

1. UT salvari, ita perire possumus in quolibet vivendi genere, cùm in omni vitæ conditione peccare possimus: igitur ne fidas sanctitati vocationis, tùm ad fidem, tum ad Religionem. Bonis operibus, non loco, non habitu, non professione, sanctitas continetur; in illâ tantùm opera bona cum morientibus non moriuntur. Quâ ratione fungeris impositis tibi tuâ in vocatione officiis? *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est.* Hieron.

2. Vitam vivas professioni consentaneam: alia quippe est virtus mundanorum, alia Religiosorum; aliter vivit vir Apostolicus, aliter solitarius. Vide vocationem tuam: servi penitus ejus spiritui: serva regulas, si habet; sin minùs, Dei mandata. Roga conscientiæ

conscientiæ tuæ Moderatorem, ut rectiorem tibi ac tutiorem salutis viam aperiat, à quâ nunquam discedas.

3. Sanctos îmitare, qui eandem tenuerunt vivendi rationem: sed unum inprimis, quasi prototypum, tibi propone, quem invocabis, & pro virili studebis imitari: quodlibet vitæ genus Sanctos habet, etiamnum viventes, hos etiam imitare; compara vitam tuam cum eorum vitâ. Cœlum petimus: Cœlum speramus: ubi nimirum est noster thesaurus: sit *ibi ergo cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum nostrum.* Tert.

S. ONVPHRIVS ANACHOR.

12. Junii.

Non diligamus verbo; neque linguâ, sed opere & veritate. Joan. cap. 3.

ONuphrium toto hirsutum corpore & rara humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externa specie substitisset. At ubi gressus, vitæ genus, moresque didicit, dubitavit, hominémne potiùs, an Angelum diceret. In Thebana regione Monachum indutus, cum de

de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti Magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus. Inde illi cibus, menstruo proventu; panē & aquam Angelus afferebat quotidianus minister octavo quoque die, ut delicatiùs vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit, credo, Onuphrius hac cœlitum amicitiâ beatus, hominum oblivisci: certè sepruaginta totos annos mortalem non vidit, donec quem nominavit, Paphnutius Dei jussu, morituum invisit, ut è silvarum latebris tam rara virtus eo præcone protraheretur in lucem. Mortuo Angeli cecinêre Lessum: Palma & casa quasi desiderio viri, & alium quemcunque Dominum indignantes procubuerunt, Quid ad hæc nostra Juventus, moribus juxta capillisque luxuriantibus in Nabuchodonosorem citiùs, quàm Onuphrium degeneratura? Ex. vit. PP.

MEDITATIO

De sancto Amore sui ipsius.

1. EX charitatis lege amare te, non odisse debes.

bes. Si te verè amares, num tibi quæreres bonorum Maximum? Quodnam autem bonum majus, & animæ tuæ convenientius, quàm divinæ primùm gratiæ, tum gloriæ æternæ possessio? ipse ex tyranno crudelior, cùm mortale aut veniale peccatum committis, æternis, vel temporaneis ignibus expiandum. An nescis, martyrum supplicia nihil esse ad ignes Purgatorios, qui te manent vel propter unum veniale peccatum?

2. Corpus tuum si amaveris, dabis operam, ut debito obsequio unâ cum animâ in partem veniat æternæ felicitatis. Patiatur necesse est, ut eam consequatur. In laboribus Christi causâ susceptis, & doloribus corpus deberet exultare. Si verè te amo meum corpus, efficiam, ut multa pro Christo patiaris; etenim multa merces corpori præparatur, quod multum passum fuerit. *Gloriabitur Christianus in carne, sed cùm propter Christum lacerata duraverit.* Tert.

3. Certè parùm te amas: diligis voluptates, divitias, famam; sed neque corpus neque animam tuam amas; diligis itidem parentes, quorùm consulis saluti, dum tuam negligis. Ah! si verè te amares, nullum detrectares laborem, ut corpus & anima tua æterno gaudio potirentur. *Non recusabitur labor, ubi amor est; quoniam qui amat, non laborat.* Aug.

S. ANTO.

S. ANTONIUS DE PADVA.

13. Junii.

Dico vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicii; ex verbis enim tuis justificaberis & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. cap. 12.

ANTONIUS, quem vulgò Patavinum dicunt, S. Francisci discipulus, suis ad concionem verbis, à flagitiosa vita quàm plurimos revocavit. Eam ob rem cùm oculi dolerent inferno hosti, decumbentis in lectulum spiritum elidere faucibus interceptis aggressus est; sed ille unico Mariæ nomine simul viam loquelæ fecit, simul insidiatorem in fugam dedit. Hæreticum, qui sacræ Eucharistiæ cultum negaverat, ad sanioremmentem & ipsum reduxit. Cùm enim mulus impii à negato aliquàm multis diebus, sed præbito demùm lautè pabulo, ad Antonium vocatus accurrisset, sanctiusque

Epulum pronus in pedes adoraſſet, ſapere à jumento ſuo etiam Dominus didicit. Pro concione funebri lucrionis cujusdam palàm edixit, illum æternis inferorum flammis addictum eſſe, ejusque adeò rei indicium fore, cor illius non pectore, ſed arcâ cum nummis ſuis clauſum. Præter alia multa, quæ fecit admiratione digniſſima, puerum demortuum vitæ reddidit, quò is parentem Antonii de homicidio accuſatum, innocentem abſolveret. Supremum ægrotantem Chriſtus inviſit, obitum verò ejus per urbem fando infantes vulgârunt. quò minori eloquio, hòc majore virtutis præconio. *Ex Surio.*

MEDITATIO
De moderatione linguæ.

1. TRigeſimo ſecundo à morte S. Antonii anno obſervatum eſt, linguam ejus incorruptam & integram eſſe, quaſi recens foret ab obitu; quo miraculo Deus remuneratus eſt rectum uſum linguæ, quæ de Deo cùm ex æquo, tum ex ſuperiori loco ſemper loquebatur. Tu verò, an ſemper de Deo vel cùm Deo loqueris? An cor cum linguâ congruit, cùm dicis Domino, dolere te de peccatis, eumque ante omnia amare? *Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt, dum*

vobis

verbis præterita mala plangamus, sensu futura meditantur. Salv.

2. Potes quidem variis de rebus loqui, dummodo, quæcumque dixeris, ad Deum referantur. Solari mœstos, peccatores arguere, commissa tibi temporalia verbis exponere, & alia id genus prosunt saluti, si rectus fuerit dicentis animus. Itaque omnia verba tua serviant divinæ gloriæ. Imitare nascentis Ecclesiæ Christianos. *Ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire.* Tertul.

3. Dei causa tacendum est, dum calumniis tua fama dilaceratur; dum morderis scommatibus, quæ quidem ingeniosè retorquere possis; dum nascitur occasio te laudandi, vel alios criminandi, abstine verbis otiosis & maledicis: cave, ne verba tua sint aliis offensioni. *Tacere nôsse, quàm loqui, difficilius est.* Ambr.

S. BASILIVS MAGNVS.

14. Junii.

Non enim habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. ad Hebr. c. 13.

MAgnum esse Basilium, ad ardentis columnæ facem D. Ephrem vidit.

Magnum deinde ostendit CHRISTUS ipse, dum sacris operanti adesse spectabilis cum Sancto duodecim virorum cœlestium senatu, voluit. Sed & talem Hebræus nonnemo credidit, cui profano adhuc, sacræ tamen mensæ accumbenti, cùm minimo in orbe magnũ VIRGINIS FILIUM è manu sua propinasset, manus & ipse dedit. Magnum demum senserunt è maximis Tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe sibi Apostatæ nomen peperit) orante contra se BASILIO, sententiam ferente Deiparâ virgine, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium D. nostro necquicquam semel iterumque intentavit: Nam sententiam impiã ferre jam cogitanti, ipsum justius judicis suo tribunal reclamavit, sellâ diffractâ; & subscribere laboranti, penna atramentum, quod habuit, tertiùm negavit: ipsa manus facere officium noluit; certè ut non posset, exaruit; Conjux Filiusq; ægri ad cogitatum scelus nolentes etiam ingemuerunt. Et Filius quidem à magna Basilii manu convaluit. Cui cùm Valens pessimos superinduxisset medicos Arianos, Filius continuò malè mortuus est. At bene noster, sub annum

Christi

Christi CCC. LXXIIX. vixit Basilius, vel hoc uno Magnus magnique faciendus Partheniis Sodalibus, quòd Virgo vixit. *Ex Suria.*

MEDITATIO

Mundus exilium est.

1. MUndus Exilium, Cœlum patria est. Inde tria inferas oportet; primùm patriæ suavitatem vehementiùs appetendam esse, exules quippe divitias, ingenium, vires, amicorum gratiam, omnia denique profundunt, ut redeant in patriam suam: adhibe pariter, quidquid in te est facultatis, ingenii, sanitatis, ut ad Cœlum, patriam tuam pervenias, ibi Maria mater tua, ibi parentes & amici tui: nervos omnes contende, ut illuc aspires, Cœlum interdũ aspice, nec poteris, quin exclames: *Quando veniam & apparebo ante faciem, Domini?* David.

2. Mundus exilium cùm sit, perinde tibi esse debet, vel in hoc, vel in isto loco manere: patria tua sit ille ipse locus, ubi Dei major gloria & animarum salus speratur. Ubique matrem invenies, quæ te sustineat, ac tibi præbeat alimenta: Ubique sol illuminabit te. Quid adeo solicitus es de habitandi loco? ea quidem (ait Aug.) Justa esset solicitudo, si aliquò posses mitti, ubi Deus non esset. *Exul non erit, qui Deum in mente habebit.* Cypr.

3. Si in hoc exilio tot ac tantæ deliciæ, quid in

patria? si amicis juxta ac inimicis tanta dederit Deus, quid amicis & filiis daturus est? Contra verò, si in hac vitâ Electi & amici tam acerba patiantur, quænam & quanta inimici in alterâ?

S. VITUS MARTYR.

15. Junii.

Memor esto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Apoc. 2.

Liberalius cœlum Româ etiam pueris etiam pueris triumphum non negat. Certè VITUS Adolescentulus duodecim Annos natus, plures jam Tyrannos, eosque inter Parentem triumphavit. Flagra enim primò Christianâ fortitudine concoxit, & poterant videri Aërem verberâsse, non Vitum tortores, nisi & his & una Valeriano Proconsuli manus diriguisset. Restituit tamen hanc Martyr Tyranno, ne, quem vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus à mulierculis & cæteris illecebris instructâ, quò blandiore, hôc periculosiore, scilicet carcere. Sed prælianti Cælites adfuêre, tanta luce coruscî, ut lucem curiosi parentis oculis

oculis eriperent. Et hos tamen; quò filium sæpius victorem vel invitus videret, ingrato reddidit; ipse, atrociora patre supplicia meditante. Angelo remige usus, in alias terras trajecit. Decrevêre nimirum cœli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, Diocletiani filio malum hospitem Orcum pepulit; sed stipendia tulit vincula. Ad Bestias, deinde damnatus etiam has citiùs cicures, quàm tyrannum reddidit. In ollas porrò injectus, igne ac pice timendas, præ thermis suis has Diocoltiano laudavit. Ad extremum ex equuleo à Genio tutelari ad ripas Silari asportatus, placidè inter umbras arboris animam victricem cœlo transmisit, puer si annos; senex, si triumphos numeremus. Ex Surio.

MEDITATIO
De Sacramento pœnitentiæ.

1. OLlam pice ac igne ardentem præ thermis Diocletiani sanctus Vitus laudavit, quo balneo animam emundare, & conscientiæ vulnera sanare posset. Quo modo pœnitentiæ tu balneum appetis, eluendis peccatis tuis? Hoc balneo nihil suavius, nihil utilius: Si detectum est, sanatum est vulnus, & detegentis animus sic mundatur,

quasi in Jordane lepram depositisset. Hæc attende & lubentiùs ad lavacrum sanguinis Christi properabis.

2. Cùm sæpiùs peccemus, sæpius utique ad hoc Sacramentum accedendum: qui potest homo lethalis peccati conscius, vel momento vivere? eo quippe momento si moriatur, actum est, æternùm perit. Cùm quotidiè multos videamus præreptos subitaneâ & improvisâ morte, ut quid animum, integrâ peccatorum Confessione, ad certum exitum non comparamus? *Iterata valetudinis, iteranda est medicina.* Tertul.

3. Nunc acriter, & ad mortem usque expiare debes, quæ confessus es peccata, nisi fortè pati malueris piaculares flammas. Semper brevis est pœnitentia, quæ ab æternis liberat suppliciis. Ah jucundi labores! quibus acquiritur divina benevolentia, atque inferni ac Purgatorii ignes extinguuntur. Dic cum primitiis pœnitentium: *Nunc macerer & excrucior, ut Deum mihi reconciliem, quem delinquendo lesi.* Tert.

S. LUDGARDIS VIRGO.

16. Junii.

Nihil est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum,

quod

quod non cognoscatur & in palam veniat. Luc. 8. cap.

NUlla pulchrior Virginitate est virtus, quæ DEUM etiam hominis facit rivalem. Ambierant LUDGARDIS thalamum complures, nec ignobiles terræ filii, & ex eis familiariùs uni fortè loquebatur, cùm ei sanctior Sponsus Christus pectus suum, & in pectore Cor saucium ostendit, & extra hoc nihil deinceps jussit quærere. Inde videlicet, humana omnia usq; adeò illi jam vilescere, ut præter Crucifixi nullos amores sciret, præsertim ubi ab ejusdem vulneris nectare ebria tota jam ibi habitabat, ubi sanctior amor degit. Deposuerat Dei MATER apud LUDGARDEM querelas suas, quibus Filium ab Albigensibus hæreticis iterum in crucem agi dolebat. Hîc ut luctum virgo suum testaretur. VII. annorum sibi jejunium indixit, alterúmque æquè longum pro peccantium salute adjecit, & subinde Sponsum irato Patri vidit supplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii desiderio tam bulliebat in amante sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cœlumque idem præmium, quod Martyribus,

spoponderit

ſpoponderit. Sacrum Epulum adire inter Angelos non ſemel, quandoque etiam inter Mariæ & D. Joannis comitatum viſa eſt. Ante obitum oculis orbata nunquam tamen magis cœleſtia, quàm tum vidit. morienti enim cum Matre & aliis Cœlitibus obvius ſponſus venit: quibus ducibus in cœlos abiens errare etiam cœca non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

MEDITATIO
De triplici impedimento veræ confeſſionis.

1. S. Ludgardis ita cor ſuum volebat unitum cum corde Chriſti, ut mutatione factâ cor Chriſti daretur Ludgardi & cor Ludgardis redderetur Chriſto. Sufficiat tibi cor tuum mundare Chriſto, per confeſſionis ſacramentalis expiationem. Scrutare accuratè ſinuoſas conſcientiæ tuæ latebras, bene perpende, quid boni rapiant peccata, quid accerſant mali. Gratiam amiſiſti, quâ nihil pretioſius; tantum tamen damnum non doles?

2. Intempeſtivus pudor ſæpius impedit, quò minùs confiteamur peccata. Dæmon reddit confitenti, quod abſtulerat patranti. Depone præpoſterum hunc pudorem, niſi malis, decretoriâ die Angelis & hominibus tua innoteſcere peccata, quàm ea nunc

nunc temporis homini soli aperire. Salutaris est præsens verecundia; futura verò planè inutilis. *Non pudeat dicere, quod non puduit facere.* Bern.

3. Ad eadem semper redis peccata, idem semper dicis in confessionibus: unde hoc? Ex eo sanè quòd leviter proponas futuræ vitæ emendationem, scopulosque parùm prospicias, ad quos allidere solitus es. Hæc in posterum seriò meditare: parùm sollicitus de sermonibus hominum, fuge periculosas occasiones; quid enim indignius, quàm malle plùs placere hominibus, quàm Deo? *Adeòne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur?* Tertul.

S. AVITUS Conf.

17. Junii.

Omnia quæcunque petièritis in Oratione, credentes accipietis.

Matt. c. 21.

OStendi utique Avitum Deus Mundo voluit, cui tantam nascenti lucem circumfudit, quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipse tamen latebras quæsivit Micianensi Monasterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo se libentiùs, quàm bruti vocabulo compellari audiret. Præter spem votúmque ad honora-

tiora

ratiora munia productus, fugam iteratò inijt, & inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deóque vixit. Sed illum nocte intempestá cœlesti radiantem luce subulcus reperit, nullo magno viri incommodo, nisi in eam usque diem elingui & muto, signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid enim ille prolixiùs postea, quàm sui medici laudes loqueretur? ejus præconio proditus tertiam fugam parabat, nisi Præsulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorem habuisset. Ex intervallo cœco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adversùs eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses Dunensesque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam castra castris oppositа stabant, concursùmque fuisset, ni Ecclesiæ quispiam summo genere vir furentes monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderent. Utinam pari studio pro virtutibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet, nobilissimas sine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

MEDITA-

MEDITATIO
De Oratione

1. PRopter ingenitam simplicitatem nullo in numero erat Avitus: Verùm ubi orationis ejus potentia innotuit, sanctus haberi cœpit. A Domino nihil non impetrabis, si rectè petieris: pete, & accipies quidquid animæ, vel corpori tuo congruerit; ita in Evangelio promissum. O te felicem! si rectè scires orare! hanc velim orationis virtutem experire! pete confidenter, ut adjuvet te Deus in necessitatibus. Deum ora, consule in dubiis, in afflictionibus, in tentationibus. Itane agis?

2. Verùm, ut idoneus sis, qui cœlestia dona accipias, redi citò in gratiam Dei: quî posset Deus votis inimici annuere? nisi Patris cœlestis fueris filius, Paternam ejus misericordiam non commovebis. Is tantùm patrem misericordiæ precibus movet, qui gratiâ ejus est filius. Si tamen peccatis fueris adhuc irretitus, cave, idcircò omittas orationem, sed eam auspiceris ab actu contritionis, & ab eo supplex contende, ut te in amicitiam recipiat. *Non placet Deo ingratiens sacrificium, nisi prius placeat ipse, qui offert.* Lau. Just.

3. Noli spem abjicere, si statim Deum non exoraveris. Deus amat, ut ita dicam, vinci importunitate, & assiduitate orationis; non sufficit pauperi, semel petiisse, flagitat iterum, expectat, semper sperat. Petenti tibi daturum se promisit Deus; sed non semel petenti: novit utilem nobis esse orationem, ideoque priusquam concedat: *Vult Deus rogari, vult sogi, vult quadam importunitate vinci.* Bern.

S. LEONTIUS MARTYR.

18. Junii.

Non contemplantibus nobis, quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. Corint. 4.

VEspasiani ævo, Leontius militiæ artibus clarus, Christianæ pietatis pœnas dedit, Arcadio mite Cæsaris ingenium in virtutum excidium incitante. Datur Hypatio negotium hominis comprehendendi; is in procinctu febre corripitur; quâ se non ante levandum, Angelo docente, intelligit, quàm Deum Leontii supplex inclamâsset, Dictum, factum: etsi ne sic quidem crudele ministerium deseruit; sed cum Theodulo Tripolim Leontio imminens abiit. Enim verò non refûgit captatores nobilis prædæ; quin imò domum deductis comitérque acceptis ultrò sese aperuit, sed jam attonitis inauditâ humanitate, & imperii oblitis. Tum demum Hypatius suspicere Leontii Deum

Deum, qui ſuis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unáque poſcere tam ſancto utrumque Numini initiaret. Favit cœlum votis, & roſcida nubes in imbrem ſoluta capitibus ſuperfunditur. Leontius tinctos Deo conſecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis ſævitiæ artibus tentare veterani pariter & tyronum conſtantiam, & hi quidem poſt equuleum, uncum & verbera, capite imminuti ſunt. Leontius longâ patientiâ præſidis ingenium luſſavit, & totum carnificinæ apparatum exhauſit; donec pendenti continuâ verberatione anima extorta eſt. Utinam quemadmodum Themiſtocli trophæa Miltiadis, ita nobis Leontii triumphus ſomnum excuteret! *Ex Surio.*

MEDITATIO
De cœli intuitu & deſiderio.

1. S. Leontius quod in cœlum ſemper oculos converteret, Tyranni juſſu ſaxum ejus collo alligatum eſt, ut invitus terram aſpiceret. ſemper ſuſpice cœlum. in proſperis ſi hoc ſuſpexeris, omnia tibi mundi bona ſordebunt: in adverſis, ſolabuntur te bona ibidem præparata. *nihil crus ſentit in nervo, dum animus eſt in paradiſo.* Tertul.

2. Interroga Beatos, quid in præſentiâ ſentiant

de terrenis: consule eos in dubiis: quid, quæso, respondebunt? Ah! profectò cum maximo miserationis sensu nos intuentur, quòd bonis brevi relinquendis tantùm adhæreamus. *Quid cum terra illi, qui possidet cælum?* Chrysol:

2. Deus (inquit Clemens Alexandrinus) dedit triplicem decalogum hominibus; primus is est, quem promulgavit Moses. alter est lumen rationis, quæ cuique tum facienda, tum omittenda præscribit. Tertius est cœli conspectus: Enimverò quis serenâ nocte Cœli pulchritudinem aspexerit, quin amet, & miretur ejus auctorem? Quis verò viderit cœlum caliginosum, repetito fulgure mortalibus fulmina minitans, quin tonantem timeat, ac humiliet se sub potenti manu Dei? Nemo Cœlum suspexerit, quin terram spernat, cœlum cupiat, Deum amet, adoret, timeat, quibus rebus omnis observatio decalogi planè continetur. *Quàm sordet terra, dum cælum aspicio!* Ignat.

SS. GERVASIVS & PROTASIVS. MARTYRES.

19. Junii.

Concupiscitis & non habetis.
Matth. cap. 4.

Pr

PAr hoc nobile fratrum, càm chariſſimum ſibi patrem Vitalem, glorioſo martyrio coronatum, amiſiſſent, nullius reliqua precii æſtimabant, hinc manumiſſo ſervorum grege, divenditis fundis, æréque omni in egenos diſtributo, multâ ſe oratione, inter privatos parietes, ad futuras palmas præparabant. Maturavit optatam lauream orci ex idolo oraculum, quod Aſtaſio Comiti, contra Marcommannos præliaturo, edixit, bellum infortunatum fore, niſi Gervasius & Protasius ante Diis ſacrificium obtuliſſent. Hi ergo vocati & ut Diis victimas parent pro reipublicæ bono, omnib' machinis ſolicitati ſunt; negarunt autem illi ſe idolis ſacrificaturos, malle potiùs ipſoſmet victimas, ſed vero Deo, fieri: Efferavit Aſtaſium hæc negatio, de eventu prælii, fruſtrato oraculo, trepidum, moxque ambos, plumbatis Gervasium, Protasium gladio mactari jubet. Ita victrices animæ Parenti in gloriâ ſociatæ ſunt. Corpora diu incognita S. Paulo Apoſtolo indice, à S. Ambroſio Mediolani reperta ſunt, ab omni corruptione integra. Nunc de SS. horum reliquiis ad ſe delatis, Briſacum, Rheni frænum, gloriatur. *Ex Greg. Tur.*

MEDITATIO
De moderatione desideriorum.

1. SS. Gervasius & Protasius distributis in pauperes bonis, omne humanarum rerum desiderium simul extinxerunt. Tu quoque disce statuere modum vanis tuis appetitibus: velles modò corpus robustius, ingenium acutius, vires meliores, plura demum naturæ munera. Ex hoc immoderato appetitu nascuntur molestiæ. Sufficiat tibi, quod dedit Deus: gratias ipsi age. Si pluribus naturæ donis instructus esses, tua fortè periclitaretur salus, & nihilo plus contentus esset: Unus Deus desideria explet. Ejus voluntati accuratiùs morem geras, & votorum summam adeptus eris.

2. Quæ accepisti bona à Domino, ea tibi sufficiant: non est in divitiis, nec in honoribus animi quies. Quot sunt pauperiores te, qui tamen sunt feliciores, quòd plura non desiderant, quàm dederit Deus. *Peccator, seu caret, optatis seu fruitur, miser est.* S. Prosper.

3. Potes quidem altiorem sanctitatis gradum concupiscere, imò deberes heroicas Sanctorum virtutes æmulari, quantùm per vitæ tuæ conditionem licet. Scrutare desideria tua. Si resectis mundanorum desideriis, vehementer appetas sanctitatem, *si nec speres aliquid, nec extimescas, exarmavit impotentis iram.* Boëtius.

S. PUD.

S. PVDENS.
Cum liberis ſuis NOVATO, TIMOTHEO, PVDENTIANA & PRAXEDE.

20. Junii.

Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1. Tim. 5. cap. 8. v.

NOn jam Priamum aut Nioben Græcus Patnaſſus cantet in funera ſua fœcundos. At nos PUDENTI Senatorii ordinis Romæ viro, NOVATUM & TIMOTHEUM filios geminos, totidemque filias, Pudentianam & Praxedem gratulamur, omnes cum ipſo patre cœlo inferros. Et felicitatem hanc tam ſancta familia Ducibus Apoſtolorum DD. Petro & Paulo debet, qui poſt hoſpitii teſſeram Pudentem ſacris undis admoverunt, & uti animum, ita animi ſocium corpus candida veſte induerunt. Et

Et ſervavit ille utramque ab omni labe eximiâ, ædesq; ſuas commune miſeris hoſpitiũ fecit Demortui virtutes hæreditario jure ſibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente & arridente patre idem jam fecerant. Ædes in templum verſæ; patrimonium in pauperes dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis ſacro fonte luſtrata; latebræ afflictis Chriſtianis datæ: firmati nutantes, roborati morientes; mortui terrâ tumulati: ſacra à Novato & Timotheo fratre omnibus miniſtrata. Deniq; non jam in templũ tantùm, ſed cœlũ migrâſſe domum tam ſanctam dixiſſes. Certè cœlo digna judicata eſt nobiliſſima hæc familia; in quam utinam more veteri tranſire ignobiles nos terræ filii aliquando poſſimus.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De Sanctitate boni Patris familias & domeſticorum ejus.

1. SUpplente vix alius ſanctius teſtamentum conſtituit. Pauperes ſuarum divitiarum; Liberos virtutum, & Chriſtum domûs ſuæ hæredem reliquit: quæ mox non tantùm in templum, ſed in cœlum etiam converſa videbatur, tam ſanctè

ctè nobilissima hæc familia in illa vivebat. Ut tu quoque inter domesticos Dei nummereris, præ omnibus Deum Patrem tuum crede, & fiducialiter panem quotidianum ab eo pete, quærens ante omnia regnum Dei, & cætera adjicient, *ipse enim, sic curat unumquemque nostrum. velut solum curet, & sic omnes, tanquam singulos.* S. Aug. lib 2. conf. cap. 11. *voca igitur Deum Patrem, & da operam quatenus tibi sit cœlestis vita, divini mores, & forma Dei quia cœlestis Pater respondentes generi suo filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat servitutem* S. Chrysol. Serm. 71.

2. Quam ampla illa familia S. PUDENTIS (capita numerabat 96) & omnis sacro fonte abluta est. *Credidit ipse & domus ejus tota*, tanti interest ad Sanctitatem familiæ rectorem domûs sanctum esse, Si Rector non fueris in domo constitutus, imitare Filiorum S. Pudentis virtutes, fac ut quantum in te est vigeat in domo misericordia S. Novati cultus divinus S. Timothei! Obedientia reverentialis erga præpositos S. Pudentianæ. Industria S. Praxedis in omnibus fraterna charitas.

3. Perpende in quibus domibus, Christus in terris versatus, libentius diverterit, nimirum in stabulo Bethlemitico, ubi opum & voluptatum luxus abest; in domo Nazaræâ, ubi JESUS MARIA JOSEPH. Virginum flores habitant.

B. ALOYSIVS GONZAGA.

21. Junii.

Obsecro itaque vos, Fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem & Deo placentem. Paul. ad Rom. 12.

MOriturus Aloysius nascendo erat, si non patienti Matri Mater MARIA affuisset. Inter prima ejus verba JESU & MARIA feruntur boni ominis. Puerulus etiamnum in singulis scalarum gradibus scalam cœli MARIAM salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunus dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia Annunciatæ Titulo colit, florem virginitatis conseceravit, semper, dum vixit, intactum, quia Horto Concluso commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco quamvis currenti sponte corpusculo admovebat. victûs vix unciam appendebat, fœminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit

xit, precibus ram ubique addictus, ut loqui cum angulis dicerent rectiùs Angelis dicturi. Ajebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.* Et certè Senis cùm ad Sodales Marianos diceret, benè multis id persuasit. Ipse, cùm assumptæ Virginis die illa è cœlo audisset, *Societatem IESV ingredere*: post longas cum Patre pugnas, Mariæ Jesum junxit. Hunc, quoties studeret, in genua provolutus vocare. Hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salutare, sacrificiis quinis senísve Minister assistere, ad conspectum Hostiæ lacrymis manare; cùm verò eo epulo frueretur; inundare etiam; itàque nullius notæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit: ut terra cœlum dici posset, si plures Aloysios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

MEDITATIO
In vitam B. Aloysii.

1. Hic Sanctus adolescens victima fuit Charitatis: abdicato Matchionatu, invito parente, se suáque omnia Christo consecravit. An similibus vinculis alligaris mundo? Filium te moratur! dignus promissus Paradisus, dignus vocans Deus, quorum causâ omnia relinquas, si minùs

re, certè quidem animo & voluntate.

2. Corpus suum Deo consecravit castitatis voto, quod admissus in Societatem confirmavit. Angelicæ puritatis æmulus, mirum quantùm modestus erat. Mulieris vultum nunquam aspexit, Accedebat immisericors & assidua corporis afflictatio. Qui corpus suum Christo dicare voluerit, quasi hostiam viventem & sanctam, cohibeat sensus, studeat mortificationi, necesse est. *Tota Christiani vita crux est & martyrium.* Aug.

3. Obedientiæ voto suam Deo vovit libertatem. Quantis nunc honoribus tum in Cœlis, tum in terris afficitur, quòd olim honores spreverit? Non tutiori viâ itur ad cœlum, quàm obedientiæ. Obedias tibi, Præpositis fideliter, statim, sine murmuratione, quasi Christo, qui præmium daturus est. Memineris, quòd non modò Religiosorum, sed & omnium *Corpora fidelium, sunt hostia Dei, membra* Christi, *templa Spiritûs sancti.* Aug.

S. PAVLINVS EPISCOPVS.

22. Junii.

Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucri facerem. 1. ad Cor. 9.

NOvam artem Paulinus docuit; etiam cùm

cùm nihil est, egenis tamen aliquid dare. Cùm enim in ampliſſima natus familia atque ditiſſima, quam vocem Chriſti Adoleſcens Evangelicus non audiit, hic audîſſet & in pauperes omnes opes erogaſſet, Antiſtes dein Nolanus etiam, cùm Wandalorum incurſionibus Italia infeſtaretur, omnes reditus captivis in libertatem aſſerendis contuliſſet, jamque nihil ſuppetere videretur unde unam ſpem viduæ Filium redimeret: ingenioſus ſe ipſum ſervum fœminæ addixit, quæ abductum in Africam cum filio ſcilicet permutavit. Ibi Regis ſocerum cujus hortos curabat, de morte regis commonuit. Hic accerſitum ubi vidit, illum ipſum eſſe exclamavit, quem nuper inter cœli tribunalia conſpicuum habuiſſet, quique flagellum, quod ad caſtiganda orbis ſcelera quondam acceperat, è manu rapuiſſet: quare & ipſum & cum eo omnes vinctos Nolanos manu miſit, navésque in donum frumentarias complures addidit. Nolam igitur ingreſſus pulchrum de ſervitute triumphum egit, pluribus eum civibus, quàm Scipionem pileatis ſequentibus. Sed liber animus corporis adhuc ergaſtulo clauſus tenebatur. Tandem Anno CCC. XXXI.

hic

hic etiam vindicias secundum libertatem à morte accepit. At nunc Nola, imò Italia iterum captam se putavit, libertatis suæ auctore amisso, *Ex Dial. S. Greg.*

MEDITATIO
De charitate in Proximum.

1. S. Paulinus proximum amavit plùs quàm se, quippe quem maluerit liberum esse, quàm se ipsum. Æmulare tantam charitatem. Ama certè proximum sicut te ipsum: tum famæ, tum rebus ejus libenter consule, eadem demum ipsi facias, quæ tibi fieri velles. An de te dici potest, quod de primigeniis Christianis? *Vide ut invicem se diligant, ut & pro alterutro mori sint parati.* Tertul.

2. Ingenito tibi tui ipsius amore extollis facta tua, nec arbitraris, in illis quidquam esse vitii; quòd si vitium aliquod in iis deprehendatur, statim excusationis velum prætendis: te demum amas in omnibus; idem præsta proximo: placeat tibi, quod facit: velles homines cæcos, & mutos, si quando peccâsti; esne tu cæcus, aut mutus, si quando peccârunt?

3. Tuus in proximum amor neminem excludat, necesse est. Omnes ad Dei imaginem sunt facti, omnes Christi sanguine redempti, omnes itaque amare debes, Christianus amor pendere non debet ex ingenio & arbitrio: is enim amor est prorsus naturalis, quem nullum in cœlo manet præmi-

um,

um, S. Paulinus fit mancipium, ut obscurum hominem asserat in libertatem. *Nescit* (ait ipse Paulinus) *nostra Religio personas accipere, nec conditiones hominum, sed animas inspicit singulorum.*

S. MARIA OEgniacensis.

23. Junii.

Cùm vadis cum adversario tuo ad Principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & Judex tradat exactori, & exactor mittat te in carcerem: dico tibi non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas. Luc. 13. v. 58.

EX ampliſſimo virtutum Mariæ OEgniacensis viridario, flores omnes præter Virginitatis lilium licet carpere. Hoc enim illi parentum importunitas invidit, qui invitam nuptiis illigârunt: quarum vix libato usu, marito continentiam persuasit, magna Christi

Christi approbatione, cujus crucem nunquam sine lacrymis, nunquam absque suo aliorúmve bono adoravit. Militem genere quàm moribus nobiliorem, suis præceptionibus perductum ad frugem, malus dæmon ad infames naufragiis ejus scopulos retraxerat. Id, Maria longè absens, vidit tamen, & Crucifixi affusa pedibus precum finem non ante fecit, quàm infelici avulsum contubernio, Deo sisteret transfugam. Eandem sibi apud DEUM Patronam animæ piacularibus ardentes flammis optarunt, supplices nonnunquam ad eam manus tendere visæ: &verò quid illi cœlum negaret, centies per diem flexo poplite supplicanti, trecentis plagis laceranti corpus, atro pane vexanti veriùs, quàm extinguenti famem, & sanè non duraturæ inter hæc supplicia, nisi Angelorum præsentiâ foveretur, & familiari cum DEI filio usu, qui subinde suâ infantiâ amabilis, aliàs agni, aut columbæ specie decorus ei delicias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes eloquentia, vires adversus inferni larvas suppeditatæ, quarum cùm se una morienti ingereret, hoc ejus convitio fugata est, *discede sanies & turpitudo.* Id qua fronte dicent, qui per omnem

vitam

vitam se tam cupidè in hujus belluæ fimeto volutarunt? *Ex Suria.*

MEDITATIO
De animabus fidelibus juvandis & pœnis purgatorij.

1. SOEpius animæ flammis piacularibus eluendæ à lacrymis orantis Mariæ refrigerium sensêre. Quam eleemosynam tu adeo indigis animabus porrigis? potum aquæ promittit Deus sese remuneraturum, etiam minimo, nomine suo exhibitum. Quid præmii futurum putas illi; qui amicis Dei tam charis, sed modò in carceris arresto detentis vel sacrificio missæ, vel sacræ Synaxeos fruitione devotâ, corpus & sanguinem Christi, aut aliud opus bonum ad solatium transmiserit. *Nihil tam divinum homo habet, quàm de alijs bene mereri. fac ergo ut calamitose fis Deus Dei misericordiam imitando pro tuis viribus.* S. Gregor. Nazian. de amore paup

2. Visis purgatorii flammis, fere Tyrannidem (sed hic sanctus amor est sui ipsius) in castigando corpore suo Maria exercuit. *Quid tot venialium* imo & mortalium rei peccatores agunt? *Quid aliud purgatorius ignis devorabit, nisi peccata tua? quantò amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris; tantò durius postea lues, & majorem materiam comburendi servas.* Thom. de Kemp. Lib. 1. cap. 24.

3. Cum infernalis larva morienti Mariæ sese ingereret

gereret, his verbis abegit *Discede Sanies & turpitudo.* Quâ fronte hoc dicent qui se in belluæ hujus fimeto volutârunt, dum viverent? & usum pœnitentiæ hórruerunt, in molli corpore? quam levibus corporis afflictionibus? vel orationibus? quam facili usu indulgentiarum? tam duris cruciatibus, tum inferni tum purgatorii temetipsum eripere potes?

S. JOANNES BAPTISTA.

24: Junii.

Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum major JOANNE BAPTISTA

Math. cap. 11.

JOANNES melioris Solis melior Phosphorus, ortus sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre jam sanctus, vix natus est cùm mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem cameli exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis XV. viam Christo munire exorsus, non tam verbis, quàm vitâ ad pœnitentiam

tentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctius tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc è schola sua Discipulos rectiùs erudiendos remittere, & jam indignum se putare, ad cujus vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major sacris etiam vatibus omnibus prælatus, & secundus à Christo est proclamatus. Et tamen tam charum cœlo caput, Herodes saltatriculæ filiæ pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam inferri voluit. Itaq; tunc, si unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput habuit. *Ex Hist. Evang.*

MEDITATIO
De S. Joanne Baptista.

1. ECce! pœnitens nullius peccati conscius, cujus, cùm Matrem Maria inviserit, in ipso materno utero ab originali labe fuit liberatus. Quodnam admiserat crimen, cum tres annos natus jam tum in deserto pœnitentiam ageret? Exemplo docet, vel innocentissimo necessariam esse pœnitentiam, cùm trium annorum alacer eam complectatur? macte, brevi senties, qui Dei causa voluptates valere jusserit, deliciis inexplicabili-

bus redundare. *Quàm suave subitò factum est mihi, carere suavitatibus nugarum! &, quæ dimittere metus erat, amisisse gaudium fuit.*, Aug.

2. Hoc durius vivendi genus, maturè susceptum, ad mortem usque tenuit. Unus debet esse pœnitentiæ & vitæ terminus. Tecum semper corpus; contra te verò & Dæmon & mundus. Inducias si concesseris, periisti. Cogita infernum, unde recedis; Paradisum, quò accedis; & nunquam tædebit te pœnitentiæ.

3. Vana est pœnitentia absque humilitate: Joannes Prophetæ, ac Messiæ nomen, alioque honores rejicit, coram Christo abjicit sese. Deprimes te pariter coram Deo, & coram hominibus: quod facis, quod pateris, nihil est præ laboribus Sanctorum. *Quid prodest tenuari corpus abstinentiâ, si animus superbiâ intumescat?* Hieron.

S. GALLICANVS MARTYR.

25. Junii.

Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.

Matth. 10. v. 34.

GALLICANI victorias de Persis Scythisque

thisque relatas admirandi, illam, quâ se-ipsum triumphavit, imitandi jus esto. Eò gloriæ venerat, ut constantiæ conjugium, præmium militiæ poscenti, Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scythas Romanis finibus ejecisset. In eo dum est, milites panico perculsi metu, magnam partem dilapsi infrequentia signa reliquêre. Anxio ea re Gallicano: Joannes & Paulus Constantiæ familiares, voti Deo nuncupandi consilium suggessêre. Obtemperantem cœlestis strategus crucem præferens, eo fretum signo, cinctumque, quos ipsi adduxisset, stipatoribus, sequi se è vestigio jussit. Ita per attonitos hostes ad ipsum Scytharum Regem penetravit. Neque ille ausus hiscere adversus tantam vim vitam pactus, se suáque Gallicano permisit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejusque ritè colendi ardor injectus, Romam deportato exercitu, abdicatâ conjugii spe, rebusque humanis valere jussis, se ipsum Christianæ modestiæ finibus circumscripsit, ille orbis terror, & secundus à Constantino Dux, Pater pauperum, peregrinorum hospes factus, pedum sordes abluere, ægrotum lectulos sternere, inferre convivantibus ci-

bos, obstupescente orbe terrarum visus est. Julianus denique pestis pietatis hanc tantam virtutem proscripsit & gladio addixit. Decuit nimirum, ut toties victor cœlum laureatus ingrederetur, Triumphalem currum manibus pauperum trahentibus.

Ex Surio.

MEDITATIO

De pace & bello hujus mundi pro animi obtinendâ tranquillitate.

1. S. GALLICANUS ut pacem obtineret ferro, & cruce, armatus prodiit, in hostem: Christiano militi, absque cruce non obtinget victoria. Vis pacem cum proximo? crux tibi erit, dissimulare multa. De tuo jure sæpe tibi remittendum erit. Pax & charitas Symbola sunt discipulorum Christi, & acriter Dæmonem urunt: *Pax vestra* inquit Tertull. *bellum est illi.*

2. S. GALLICANUS cum nequiret pacem habere, vel cum impiis Scythis, vel cum Apostata Juliano nisi cum Deo Bellum haberet: Scythas debellavit feriendo: Julianum patiendo triumphavit. Nunquam cum impio fœdus contrahito: si nactus fueris, qui te ad peccatum alliciat, ne taceas solvendæ pacis metu; audacter te oppone si superior es, prudenter increpa: si subditus, honora Christum

in

in imperante, at contra præceptum Christi, ne agas, nullam cum vitiis, aut vitiorum stipendiariis, pacem habeto. *Nam tranquillitas ista tempestas est.* S. Hieroym.

3. S. Gallicanus ut pacem secum ipso haberet, abdicatis à se aulæ titulis, militiæ ducatu, & conjugii fortunâ, atque honoribus, factus est servus omnium in Christo. Hæc optima animæ tranquillitatis conciliandæ ratio, infra omnes se se deprimere, & nulli præferre, vel comparare. *Non est periculum quantunque te humilies: est autem grande periculum si vel modicè te extollas vel uni præferas, quem fortè parem tibi veritas indicat, aut superiorem.*

S. JOANNES & PAULUS.

26. Junii.

Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite. ad Coloss. 3. v. 24.

QUia pax non est impiis, nec duæ olivæ in perfida Juliani Apostatæ aulâ, inseri se passæ sunt; Joannem dico & Paulum Germanos fratres. Hi in Constantini aula

educati, constantiæ ejus filiæ ministri, & ob novatam bene operam, etiam hæredes facti, cum altiora ambirent, omne illud æs, per pauperum præmisere manus, ad cœli thesauros comparandos: quos cùm eis eripere Julianus non posset, nec fidem vero Deo ut, suo exemplo perjuri, fragerent, impetraret, vitam eripuit utrique per Terentianum, qui fœdè mentitus est, eos in exilium missos; cùm rectà abscisso capite ad patriam potius honorum perveniissent. Id tamen beneficii Terentiano, quamvis malè de se merito, reliquerunt, ut liberato ad cæsorum tumulum, ab inferno hospite ejusdem filio, qui vitam abstulerat corporis, cum fide vitam mentis reciperet, vitæ insuper Martyrum postea factus scriptor & encomiastes. Porrò Sanctos hos Martyres tempestatum potentes plebs piè credit & veneratur, tibi major non imminet tempestas, quàm cum animæ periculum. Habes, si vis Martyres hosce patronos. *Ribad. in vita SS.*

MEDITATIO
De vita & Martyrio S. Ioannis & Pauli.

Quantum

1. QUantum beneficium! JOANNES & PAULUS peſſimè de ſe merito Terentiano, filium ejus à Dæmone poſſeſſum liberârunt, & Terentiano converſionem à Deo impetrarunt, Hoc eſt *Benefacite his, qui oderunt vos.* Qui ſic facit, arbor bona eſt. quæ fuſtibus iteratò vapulans, percuſſori demittit fructus. Quid prohibet te Imperatorem Sigismundum imitari, qui cum carperetur à ſuis quod inimicos non interficeret: *Inimicos inquit non parco, ſed interficio: quia inimicos ignoſcendo & benefaciendo reddo amicos* Et hoc eſt odium illud Davidis, pſal. 30. *Odio perfecto oderam illos.*

1. SS. Martyres JOANNES & PAULUS ut ſuperarent Tyrannum Julianum ante omnia concupiſcentiarum ſuarum domuerunt Tyrannidem. Ut æmulator ſias, obſerva S. Auguſtinum glorioſa dicentem de Martyrum victoriis: *Non Martyrum ſola effuſio ſanguinis conſummat. nec ſola dat palmam exuſtio illa flammarum: pervenitur non ſolo occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam: carnem afflixiſſe libidinem ſuperaſſe, avaritiæ reſtitiſſe, triumphaſſe, pars magna Martyrij eſt.* S. Aug. de SS. MM. 40.

3. SS. JOANNES & PAULUS Conſtantiæ Conſtantini filiæ hæredes facti, æs illud in pauperum ſinus occultaverunt, ne Helluoni Juliano præda obtingeret. Quid non tolerat? quid non timet, qui ſperat hæreditatem ne ſpe ſua excidat? & quid ſit pro hæreditate æterna filiorum Dei? Quin! pro momentaneâ voluptatulâ lethaliter peccaminosâ

venditur cœlum, &si cliens offendit vel semel Mecænatem suum quàm facile exhæreditatur; quoties offendisti Deum.

S. LADISLAUS. CONFESSOR.

27. Junii.

Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique certarent, ut non traderer Judæis. Joan. 18.

LADISLAUM Belæ primi Regis Ungarorum filium imo Mariæ, vides; ita totus ab hujus uberibus, dum vixit, pependit, sed neque mortuus, ut audies, dimisit. Cæterum vix alius Regum tot virtutibus aut purpuram ornavit, aut coronam distinxit: ut minus mirer, si legam aulam ejus ab Angelis frequentatam esse. Certè ipse ab Angelo germanum suum vidit coronari, sed & Angelum sub cervi ceemate ignitis cornibus locum vidit signare, quo promissam Matri Magnæ ædem conderet. eorundem cœlitum ope, cum in multis aliis pugnis, tum in duello contra

patruum

patruum ſuum Regem Salomonem victor evaſit. Etenim, cum hic cum uno rem ſibi Ladislao crederet eſſe, conſpexit ſub congreſſum contra duos præterea Angelos ſibi certamen eſſe, qui gladio jamjam Salomoni graves imminebant. Noluit igitur, etſi Hercules ſibi ipſe videretur, in tot tantoſque pugnare; ſed abjecit arma pacem coluit. Toties victor Ladislaus, coronam tamen ferre Ungariæ ſemper reſpuit, nobiliorem & immortalem ambiens, quam ut faciliùs obtineret, facere fortiter pro terra Sancta conſtituit In ea proinde expeditione, cùm Dux lectus eſſet omnium copiarum, Ecce in ipſo Belli apparatu pulcherrima morte occubuit. Mortuus porrò & currui impoſitus, ſine jumentorum hominúmque ope in templum, quod ab ea Virgini ſtructum memoravimus, non tam vehi quàm currere viſus eſt. Obſtupuit ad miraculum Orbis, at non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem ſuam decurrere.

Ex Ant. Bonfin.

MEDITATIO
De Regno Dei.

1. OMnes ad Regnum cœleſte vocati ſumus: en hæreditas! quam Pater cœleſtis nobis

bis præparavit. Per te ſtat, quominus tua ſit: non illi ſolùm, qui pecuniis, ſcientiis, nobilitate & ingenio valent, eam accepturi ſunt. ſed unus quisque eam poteſt ſperare. *Omnes pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur.* Minut.

2, Regnum noſtrum non eſt de hoc mundo: hic verſamur quaſi in exilio: in acie ſumus. pugnandum, & vincendum eſt, ut cœleſtem coronam conſequamur: ſuam alii felicitatem his in terris quærant, ego quidem eam duntaxat in cœlis. Lacrimabor cum ſanctis: patiar cum Jeſu, ut expleto exilii tempore cum ipſis regnare poſſim.

3. *Regnum Dei intra vos eſt*: hoc eſt, in tuâ manu, potes quidem relicta tibi à parentibus hæreditate ſpoliari; at comparata Sanguine Jeſu Chriſti non item. Tu ſolus eam potes amittere. Jam verò, ut potes in cœlis cum Jeſu gaudere, potes utique in inferno cum Dæmone cruciari. *In tuo Arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo an Diabolo? cùm paraveris, qui poſſidebit, ipſe imperabit.* Aug.

S. POTAMIÆNA VIRG. & MART.

28. Junii.

Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam charitatem autem non habuero

habuero, nihil mihi prodest.
1. Corrinth. 13. v. 3.

FElices nos, si bona nostra, si quæstum virtruis & certa pietatis vectigalia noverimus? quantillo possumus diteſcere! POTAMIÆNA Alexandrina Virgo formæ causâ, cum multis conflictata procis, & in illo certamine superior, ex Amoris palæstra in scenam crudelitatis transiit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in Potamiænam omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere. jactatam per omnia tormenta denique ad rogum cum Marcella Matre damnavit. Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omninò experti humanitatis & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris ministeriis. Is ergo insultantem virgini multitudinem compescuit, magisque fidi custodis, quàm lictoris munus explevit. Hoc tantillum officium ne suo auctori periret, curæ sibi fore, moritura virgo promisit. Neque defuit dicto fides. Triduo à morte exacto ad Basilidem revisit, eique coronam civicam velut Servatori suo imposuit

posuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æstimans statuit integrum stipendium mereri, & confestim auctoratus Christo, fidem illi abscisso capite probavit. I, dic magno constare cœlum, quantulum dedit Basilides, ut ex Lictore Martyr fieret. *Ex Euseb. Hist. Eccl, lib. 6. cap. 4.*

MEDITATIO
De Virtutibus & Martyrio Potamiænæ.

1. AQuila Tyrannus (melius Bubo) cum Venereis ignibus suis Potamiænæ virginitatem fædare non posset, Filiam cum Marcellâ matre rogo addixit. Hæc indoles est lascivè amantium: Si amando non possunt sæviendo saturare se volunt. Multi errant arbitrantes nubendo incastum ignem statim restingui. Sed pabulo crescit ignis, nisi & flammam intercidat gratia Sacramenti matrimonii. sed & cœlibatui datur gratia *à sponso virginum*, vel ut cælibatum sincerè professi, non ardeant, vel fomite peccati scintillam concipiente faciliùs restinguatur.

2. Crudelitati Tyranni Basilidis Lictoris opponamus humanitatem. Magis ille custodis, quàm lictoris munus explevit in Potamiæna. *Considera, O homo unde nomen sumpseris; ab humo utiq; quæ nihil cuipiam eripit, sed omnia largitur omnibus, unde appellata est humanitas*

eu specialis & domestica virtus hominis S. Ambros. 3. offic. cap. 3. Quæ tua humanitas? in amore? in more? in ore? in re?

3. Basilidi, quod conservasset POTAMIÆNAM, non quidem illæsam ab igne, sed à furore ardentis multitudinis, corona obvenit à cœlo POTAMIÆNA offerente: & ex lictore factus est Martyr non alieno sed suo sanguine purpuratus. Quanta manebit corona & merces in altera vita illi? qui animam proximi ab igne infernali vel custodivit dehortando à peccato, & impediendo, vel peccatorē à peccatis ad Deum reducendo. Quantum econtra pœnæ illi? & quæ ratio reddenda? qui exemplo suo vel jussione perdiderit animam Christi sanguine redemptam?

SS. PETRUS & PAULUS Apostoli.

29. Junii.

Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis. Matth. 16.

RECtiùs hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRUM & PAULUM

PAULUM salutat, quando huic meliori Orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRUS quidem, qui pro Christo in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cùm captus & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Urbe adortus Christi signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatorem Simeonem in cœlos (ut ipse quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens Christum obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium Christi continuò PETRUS, sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris, hoc pedibus cœlo jam propior. Jam PAULUS ille cœli etiam ante fata civis, ille Nominis Jesu per omnem orbem præco, post edita miracula & litterarum oracula quàm plurima, hoc ipso die PETRO triumphanti collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem saltibus dedit, oleū

interim effusum, Jesu nomen clamando, immiscens. Agnosceres tam pretiosis liquoribus refertum electionis vas esse. *Ex hist. Eccl.*

MEDITATIO
De SS. Apostolis Petro & Paulo.

1. Viderat Petrus pleraque Jesu Christi miracula, Iesum tamen ter negavit, ac ipso quidem Passionis tempore. Prô! quanta est humana fragilitas! Cum timore & tremore operemur salutem nostram; ne desperemus tamen: nos quippe, si respexerit Iesus, salvi sumus: peccata lugeamus exemplo Sancti Petri, cujus ex oculis duo lacrymarum rivi jugiter erumpebant, cùm recordaretur perfidiæ suæ. *Sacrifica lachrymas, tanquam vulnerati sanguinem cordis.* Aug.

2. Paulus ex persecutore fit Apostolus. Quid sumus? quid fuimus? ut vera sit conversio nostra, imitari debemus S. Pauli in viâ virtutis constantiam, adeò, ut citiùs vitâ quàm gratiâ careamus. Studeamus pariter, ejus habere patientiam, animarum studium, humilitatem, & in Christum amorem. Audi, quid dicat S. Paulus, *Imitatores mei estote, sicut & ego* Christi.

3. Vide, quibus honoribus hi Apostoli in terris nunc afficiantur. Reges, Imperatores, Summi Pontifices supplices abjiciunt sese ad cineres piscatoris, & artificis; nôrunt quippe, maximam eorum in cœlis potentiam, & dignitatem. Honorum cupidi! quid præ his honoribus sunt honores sæculi!

se

si tantus honos sanctis in terra adhibeatur, quid in Cœlo? sanctorum virtutes imitemur, & quam consecuti sunt gloriam, nos pariter consequemur.

S. MARTIALIS EPISCOPVS.

30. junii.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec aufferre quid possumus. Paul. 1. ad Tim. cap. 6.

NOn mirum si tam mira præstitit hic Galliæ Apostolus, qui duodecim Angelos habuit in ea convertenda adjutores. Miraculum certè ingens esse oportuit. Cujus, vel solâ famâ moti, hominum millia quindecim, desertis idolis Christo se addixere. Factum tam fortè prodigium in Valeria Virgine quæ ob castitatem Deo juratam, cùm sponsalia Aquitaniæ Ducis recusaret, decapitata ab irato fuit; at suis manibus de terra sublatum caput truncata ad operantem sacris Martialem asportavit, qui caput trunco, animam corpori, vitam virgini momento restituit. Atque hoc multos; plurimos adolescens oratione movit, qui

à Sa-

à Sancto revocatus ad vitam, visa in inferis annunciare jussus. Infernus, clamabat, abyssus est sine fundo, ibi fletus, planctus, mugitus, amaritudo, tenebræ, tristitia, desperatio, ibi frigus inexplicabile, ignis ardore terribilis, magnitudine immanis, urens sine fine, torquens sine corruptione, ibi morsus serpentum, fœtor intolerabilis, putredo, miseria, vermis, qui non moritur, carnifices infernales in animas æternis cruciatibus sævientes. Et necdum aures tinniunt? nondum pili horrent & surriguntur sceleratis? Barbaros hoc audire movit ad emendationem: si Christo credentes non movet, plus quàm Barbaros crede. Tu applaude Oratori, non manus collidendo, aut pede terram pulsando cum theatrali plebecula, sed cum S. Hieronymo pectus tundendo. *Nadasi ex Matyrol. Gall. Susaij.*

MEDITATIO

Sola rectè facta comitantur nos in alteram vitam & nunquam excidunt.

1. S. MARTIALIS sex mortuos revocavit ad vitam, illud in hac parte, pro epi-

logo, de fine vitæ tuæ disce, Sodalis Mariane, nudi egressi sumus ex utero: nudi tumulum ingrediemur: quid bona congregas, brevi relinquenda? dic mihi quæso, quanti facies imminente morte, quæ nunc tantùm amas? sequentur te bona, vel mala opera, præterea nihil. Quantum speras comitatum? an non vereris unum te ex illis fore, *Qui dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis?*

2. Tua malefacta accusabunt te coram divino tribunali. Quid dicturus es miser, si Testis conscientia tua stabit contra te? *Tu nos fecisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum pergemus ad tudicium.* S. Bern.

3. Et quid mundus Epitaphii loco tibi exsculpet pro omnibus operibus, quibus mundo serviisti? illud sibi scribi voluit Rex quidam Franciæ & est commune multis:

Risi, plora. Fui, non sum. Studui, requiesce.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio. pavi
Corpus, alo vermes. vigilavi, dormio. dixi
Salve, dico Vale. rapui, rapior. superavi,
Vincor. Multa fui vivens, morienssque nihil sum.
Munde vale, vermes salvete. Hoc discite viator.

BreVIs è VIta haC eXItVs, æternItatIs LongæVItas eXorDIVM.

Ergo.

VIgILate, qVIa neSCItIs, qVa hora DoMInVs Vester VentVrVs sIt.

Matt. 24. v. 42.

INDEX

INDEX SANCTORVM PRIMÆ PARTIS

A.

Abramius Eremita	16. Mart.	pag. 200
Abundantia	19. Jan.	47
Acatophus M.	4. April.	242
Agnes Politana V.	20. April.	282
Agnes V. & M.	21. Jan.	52
Agatha	5. Febr.	91
Aldegundis	30 Jan	73
Alfericus Abbas	12 April.	262
Aloysius Gonzaga	21. Jun.	444
Amatus Conf.	8. Maii.	318
Anastasius	22. Jan.	54
Annunciatio B. M. V.	25. Mart.	222
Anselmus Epis.	21. April.	285
Antibimus Epis.	27. April.	299
Antonius Abbas.	17. Janu.	41
Antonius de Padua.	13. Junii.	423
Apolonia	9. Febr.	101
Arcadius	12. Janu.	29
Armogastus & Satyrus	29. Mart.	235
Athanasius Epis.	2. Maii.	312
Avitus Conf.	17. Junii.	433
Auxentius Abbas.	14. Febr.	114
Auxibius Epis.	19. Febr.	126

B.

Balbina V.	31. Mart.	238
Barnabas Apost.	11. Junii.	417
Basiliſca	9. Janu.	28
Basiliſcus M.	22. Maii	364
Basilius Magnus	14. Junii.	424
Benedictus	21. Mart.	212
Bernardus Senensis	20. Maii.	359
Blasius	3. Febr.	85

INDEX.

Bona V.	24. April.	pag. 292
Bonifacius M.	5. Iuniis	401
C.		
Casimirus	4. Mart.	169
Catharina Senensis. V.	29. April.	305
Catharina Sveca	22. Mart.	215
Cathedra Petri Antio.	22. Febr.	133.
Ceadda Epis.	2. Mart.	164
Chrysostomus	27. Ianu.	66
Circumcisio Christi	1. Ianu.	1.
Claudius Epis.	7. Iunii.	407
Codratus M.	10 Mart.	184.
Coleta V.	6. Mart.	174
Conversio S. Pauli	25. Ian.	61
Cunegundis	3. Mart.	166
Cyrillus	18. Mart.	205.
D.		
Dydimus M.	28. April.	302
Dorothea	6. Febr.	95
Dympna. V. & M.	15. Maii.	346
E.		
Eduardus	5. Ianu.	11
Epiphania	6. Ianu.	14
Epiphanius Epis.	12. Maii.	339
Ericus Rex Svecia	18. Maii.	354
Eucherius Epis.	20. Febr.	128
Euphrasia	13. Mart.	192
Eutichius M.	15. April.	270
F.		
Faustinus M	15. Febr.	116
Felicianus M.	9. Iunii.	412
Felix	14. Ianu.	34
Florentius Eremita	27. Maii.	367
Francisca Rom.	9. Mart.	181
Franciscus de Paula	2 April.	258
Franciscus Salesius	29. Ianu.	70
Furseus	16. Ianu.	39

INDEX.

G.

Gallicanus M. 24. Iunii, pag. 421
Gangulphus Conf. 11. Maii. 336
Genovefa 3. Ianu. 6
Georgius M. 23 April. 290
Germanus Epis. 28, Maii. 379
Gertrudis 17. Mart. 202
Gervasius M. 19. Iunii. 438
Godefridus 13. Ianu. 31
Gregorius magnus 12. Mart. 189
Gregorius Nazianzenus 9. Maii. 331
Guilielmus 6. April. 249
Guntramus Conf. 28. Mart. 230

H.

Helenus 17. April. 275
Hermannus Conf. 7. April. 251
Hilarius Epis 1. Maii 321
Hospitius Conf. 21. Maii 361.

I.

Jacobus Apostolus 1. Maii. 310
Jacobus Pœnit. 28, Ianu. 68
Ignatius Epis. & M. 1. Febr. 80
Inventio S. Crucis. 3. Maii. 315
Joachim 20. Mart. 210
Joannes Baptista 24 Innii. 452
Joannes Elemo, 23 Ianu 56
Joannes & Paulus 26. Iunii 454
Joannes Damascenus 6 Maii 323.
Joannes Silentiarius 13 Maii 341
Job propheta 10 Maii 338
Ioseph 19 Mart. 207
Iovita M. 15 Febr. 116
Isiacus Conf. 30 Maii 385
Iuliana V. & M. 16. Febr 119
Iulianus 9 Ianu 22
Iulianus Conf. 12 Febr 109
Iustinus M. 13 April 265

INDEX.

L.

Ladislaus Conf.	27 Iunii	pag. 460
Laurentius M.	3 Iunii	395
Laurentius Iustin.	8 Ianu	19
Lazarus mon.	23 Febr.	136
Leander Epis.	27 Febr.	156
Leo Pontifex	31 April	262
Leontius M.	28. Iunii	438
Longinus	15 Mart.	197
Lucianus	7 Ianu.	16
Ludgardis V.	16 Iunii	430
Ludwina V.	14 April	268
Lupicinus Conf.	28 Febr.	158
Ludgerus Epis.	26 Mart	228

M.

Macarius	2 Ianu	3
Macarius Patri.	10 April	259
Marcellinus Pont.	26. April	297
Marcellinus M.	2 Iunii	393
Marcus Evangelista	25 April	295
Maria Magdalena de Pazzis	25 Maii	317
Maria OEgniacensis	23 Iunii	449
Maria OEgyptiaca	9 April	257
Martialis Epis.	30 Iunii	468
Marsianus	10 Ianu.	24
Martinianus Conf.	13 Febr	118
Martyres Antiochiæ	21 Mart	187
Mathias	24 Febr	138
Mauritius	21 Febr	131
Maximianus Epis.	29 Maii	382
Maximus M.	30 April	307
Medardus	8 Iunii	409
Monica Vidua	4 maii	313

N.

Norbertus Epis.	6 junii	404

Olivæ

INDEX.

O.

Oliva V. & M.	10 junii	pag. 414
Onuphrius Anachor.	12 junii	420
Otto Conf.	23 mart	217

P.

Pachomius Abbas	14 Maii	343
Paternus Epis.	16 April	273
paula Vidua	26 janu.	62
Paulinus Epis.	22 junii	446
Paulus	15 janu	36
Paulus Epis.	8 Febr	98
Paulus & Iohannes	26 junii	457
Pergentinus M.	3 junii	395
Petronilla V.	31 Maii	387
Petrus Abbas	14 mart.	194
Petrus & Paulus Apost.	29 junii	465
Petrus Nolascus	31 janu.	175
Petrus Selestinus.	19 Maii	356
Petrus M.	2 junii	398
philemon M.	8 Mart	170
Philippus & Iacob	1 Maii	310
Philippus Nerius	26 maii	174
Phocas M.	5 mars,	178
Pigmenius M.	24 mart	220
Porphirius Epis.	26 Febr	145
Potamiæna V. & M.	28 junii	462
Primus & Felicianus.	9 junii	418
Prisca V. & M.	18 janu	44
Protasius M.	19 junii	438
Purificatio B. M. V.	2 Febr	88
Pudens cum liberis	20 janu	44[illegible]

Q.

Qualterius Conf.	4 junii	398

R.

Regulus Epis.	30 mart	236
Restituta	27 maii	377

Richar-

INDEX.

Richardus Epis.	3 April	241
Rigorbertus	4 janu	8
Romualdus	7 Febr	96
Rupertus Epis.	27 mart	228
S.		
Sabinus	17 Febr	121
Sebastianus	20 janu	49
Simeon Conf.	1 junii	390
Simeon M.	18. Febr	124
Simeon Stylites	24 maii	369
Stanislaus M.	7 maii	326
Swibertus Epis.	1 mart	161
T		
Tarasius	25 Febr	141
Theodolus M.	4 April	244
Theodora M.	28 April	302
Theodorus Conf.	22 April	287
Theodosius	11 janu	26
Theophilus Conf.	4 Febr	88
Thomas Aquin.	7 mart	176
Timotheus Epis.	24 janu.	59
Torpes M.	17 maii	351
V.		
Ubaldus Epis.	16 maii	349
Victoria V. & M.	11 Febr	106
Vincentius Ferrerius	5 April	246
Vitus M.	15 junii	428
Ursmarus conf.	18 April	278
W		
Walericus Abbas	1 April	236
Wernerus M.	19 April	280
Wilhelmus Conf.	10 Febr	103
Wiffergus Epis.	2 April	254

FINIS.

INDEX SANCTORVM TERTIÆ PARTIS.

Abdon & Sennen MM.	30. Iulii.	Pag. 72
Ægidius Conf.	1. Septemb.	151
Aidanus Episc.	13. Auguſt.	106
Albertus Confeſſ.	7. Auguſt.	91
Alexander Episc.	11. Auguſt.	101
Alexius Confeſſ.	17. Iulii	40
Amatus Abbas.	13. Septemb.	179
Anatolia Virg. & Mart.	9. Iulii.	21
Anna Mater B. V. Mariæ.	26. Iulii.	62
Apollinaris Episc. Mart.	23. Iulii.	55
Arſenius Abbas.	19. Iulii.	48
Aſſumptio B. Mariæ Virg.	15. Auguſt.	111
Aſterius & Socii M.M.	23. Auguſt.	129
S. Audomarus Episc.	9. Septemb.	170
Auguſtinus Doct. Eccl.	28. Auguſt.	141
B.		
Bartholomæus Apoſt.	24. Auguſt.	131
Baſſa cum F.F. M.M.	21. Auguſt.	124
Bernardus Abbas.	20. Auguſt.	122
Bertinus Abbas.	5 Septemb.	160
Bonaventura Confeſſ.	14. Iulii	33
Bononius Abbas.	30. Auguſt.	146
C.		
Caſſianus Mart.	13. Auguſt.	106
Charitas V. M.	1. Auguſt.	77
Chriſtina V. M.	27. Iulii.	57
Clara Indica Virgo.	5. Iulii.	6
Clara Virgo.	12. Auguſt.	104

Clau-

INDEX.

Claudius M.	23 Auguſt.	Pag. 129
Coſmas & Damian.	27 Septemb.	213
Cyprianus	26 Septemb.	211
D.		
Damianus M.	27 Septemb.	213
Daniel Abbas.	21 Iulii.	50
Decollatio S. Ioan. Bapt.	29 Auguſt.	143
Dedicatio B. M. V ad nives.	5. Auguſt.	87
Dominicus Confeſſ.	4 Auguſt.	84
E.		
Eberhardus Epiſc.	1 Iulii.	1
Editha Virg.	16 Septemb.	186
Eleutherius Conf.	6 Septemb.	162
Euſebius Presbyter.	14 Auguſt.	109
Euſtachius M.	20 Septemb.	196
Exaltatio S. Crucis.	14 Septemb.	182
F.		
Felicitas M.	10 Iulii.	23
Fides V. M.	1 Auguſt.	77
Formerius M.	25 Sept.	208
Fridericus Epiſc. Mart.	18 Iulii.	43
G.		
Gerardus Epiſc. Mart.	24 Septemb.	205
Goar Conf.	6 Iulii.	13
Golinducha M.	11 Iulii.	26
Gualbertus Conf.	12 Iulii	28
Guido Conf.	12. Septemb.	177
H.		
Helena Imperatrix.	18 Auguſt.	118
Henricus Imperator.	15 Iulii.	35
Hieronymus Doct Eccl.	30 Septemb.	221

129	*Hildegardis V.*	17 Sept.	Pag. 189
	I.		
213	*Iacobus Apost*	25 Julii	60
211	*Ianuarius cum sociis MM.*	19 Septemb.	193
213	*Ignatius Lojola Conf.*	31 Iulii.	74
50	*Iustina V. M.*	13 Iulii.	51
143	*Iustina V. M.*	26 Septemb.	211
87	*Iustus Mart.*	6 Auguſt.	89
84	*Iustus Epiſc. Conf.*	2 Septemb.	155
	K.		
1	*Kilianus cum ſociis*	8 Iulii.	18
186	L.		
162	*Laurentius M.*	10 Auguſt.	99
109	*Ludovicus Epiſc.*	19 Auguſt.	120
196	*Ludovicus Rex.*	25 Auguſt.	134
182	M.		
	Mammas M.	17 Auguſt.	115
23	*Margaretha V. M.*	20 Iulii.	48
77	*Maria Magdalena.*	22 Iulii.	53
208	*Mariæ ad nives Dedic.*	5 Auguſt.	87
43	*Martha V.*	29 Iulii.	69
	Maternus Epiſc.	15 Septemb.	184
205	*Matthæus Apoſt.*	21 Septemb.	198
13	*Mauritius cum ſociis MM.*	22 Septemb.	201
26	*Michael Archangelus.*	29 Septemb.	218
28	*Myro Epiſc.*	8 Auguſt.	94
177	N.		
	Nativitas B. M. V.	8 Septemb.	169
118	*Neon Martyr.*	3 Auguſt.	131
35	*Nicetas M.*	28 Iulii.	67
221	*Nicolaus Tolentin.*	10 Septemb.	172

INDEX.

P.

Pamon Eremita. 27 Auguſt. Pag. 138
Pantaleon M. 27 Julii. 65
Paſtor M. 6 Auguſt. 89
Petrus Epiſc. 3 Auguſt. 82

R.

Rochus Confeſſ. 16 Auguſt. 113
Romanus Martyr. 9 Auguſt. 96
Roſalia V. 4 Septemb. 138

S.

Sennen M. 30 Iulii 72
Serapia V. M. 3 Septemb. 155
Spes V. M. 1 Auguſt. 77
Stephanus Epiſc. 7 Septemb. 165
Symphorianus M. 22 Auguſt. 127

T.

Thecla Virgo M. 23 Septemb. 205
Theodora pœnitens. 11 Septemb. 175
Theodote cum filiis M. M. 2 Auguſt. 79
Thomas à villa nova. 18 Septemb. 191

U.

Vdalricus Epiſc. 4 Iulii. 8
Victor Mart. 26 Auguſt. 136
Viſitatio B. M. V. 2 Iulii. 3
Vitalianus Epiſc. 16 Iulii. 38

W.

Wenceslaus M. 28 Septemb. 216
Wilhelmus Abbas. 5 Iulii. 9
Willibaldus Epiſcopus. 7 Iulii. 14

FINIS.

JULIUS.

S. EBERHARDUS EPISCOPUS.

1. Julii.

Satagite ut per bona opera certam, vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peribitis aliquando. 2. Petri.

EBERHARDUS gente Bojus, genere Comes, cùm è Collegio Bambergensium Canonicorum ad Religiosorum se Juvenis transtulisset, à suis inde nolens extractus & in Gallias est amandatus; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum veste mores sanctos & sanctiora proposita poneret. Sed non præpotuêre Numini amicorum inimica consilia. Redux enim in idem monasterium se abdidit; Biburgensi dein Asceterio mox etiam Salisburgensi E-

piscopatui jussus præesse, in miseros, Si quis quam alius, pius fuit. Itaque promum condum etsi seniculum insequi hospitem Biburgo Ratisbonam usque compulit, &, quem transeunti negaverat, vini haustum deferre: ipse, cum Italiam peteret, ægræ mulierculæ equum cessit & pedes Apenninum conscendit. Elephantiacorum cùm & corpora & animos curaret, reddente ex his uno cum vomitu Divinum Epulum, ore suo omnia excepit, nec multò pòst cognovit, sub ægro illo Christum latitasse virtutis suæ exploratorem. Dum vixit, nulli unquam quidquam MARIÆ nomine petenti denegavit, ideóque mortuum nonnemo sinu MAGNÆ MATRIS velut infantem foveri vidit, & nectare, quod ipsa illi VIRGO libavit, inebriari. Quid hic agitis Sodales Mariani? Matrem esse vestram MARIAM vultis pauperum patres esse. Et profectò aut filii MARIÆ non estis, aut Fratri EBERHARDO sinum invidetis. *Ex tom. 2. Henric. Canis. & Tom. 1. Bav. S.*

MEDITATIO.

De cura cujusvis suam vocationem adimplendi.

1. S. Eberhardus præelegit tenebras asceterii pra publica luce Ecclesiastici honoris. *Curritur in* qui

quit S. Bernardus super Cantica *In Clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit.* Prima igitur cura sit cuique in sua vocatione salutem suam curare. *Quid prodest homini, si mundum universum*, suis curis & laboribus *lucretur; animæ vero detrimentum patiatur.* Marci 8

2. Non præpotuêre amicorum inimica consilia à sanctioribus propositis S. Eberhardum abstrahere volentium. Quam multa facimus nos in gratiam amicorum, & hæc faciendo damnamus unicam nostram, & *quam tibi dabit* vel subditus, vel uxor, vel liberi, vel amicus pro anima tua perdita *commutationē*? Matt. 16.

3. Duplici curâ S. Eberhardus specialiter enituit, cura corporis Christi mystici in fovendis pauperibus, & cura corporis dominici in Ss. Eucharistia & his certam fecit vocationem suam. *Veniet filius hominis in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Matt. 16. NB. non judicabit secundum titulos vel Ecclesiasticæ vel sæcularis dignitatis, sed secundum opera.

VISITATIO B. M. V.

2. Julii.

Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth exultavit infans in utero ejus, & repleta est spiritu sancto. Luc. c. 1.

REdibat in astra Numinis ad MARIAM legatus quem venturum terris nuntiaverat, cœlo venisse nuntiaturus. At VIRGO DEI jam plena, visendi ad cognatam Elisabehtam studio in viam se dedit. Hanc monstravit, qui sub utero ivit comes, ingens MATRI, sed dulcis sarcina. Hic viæ laborem temperabat, ut expeditior nunquam iverit MARIA; quàm sic onerata. Jam sub aspectum mutuum venerant geminæ cognatæ, jam in Amoris vincula brachia coiverant, cùm gaudio gestiens in Elisabetha infans verbum in utero latens ex uteto prodidit, jamtum vox clamantis. Tunc novo prodigio Virginitas sterilitati, & sterilitas Virginitati fœcunditatem est gratulata: tunc, quas texere Angelus cœperat MARIÆ laudes, pertexere Elisabetha, Domini Matrem salutare, quæ ancilla venerat, super omnes illam mulieres efferre, ipsum cumprimis laudibus in cœlum tam sancti uteri hospitem tollere. Itaque oraculis domus personare, VIRGO lætitia etiam ipsa exultans, quo DEUM magnificaret carmen canere, cui omnem palmam vates concedent. Certè ut superi delicati sint (quippe dulci semper Musicæ assueti) tunc tamen Terræ cantus probârunt

nec hodie, puto, facilius aures Marianis præbent, quàm MARIAM MARIÆ verbis laudantibus, tunc præsertim, si vox Virgo accedat, quam dicere ausim tam libenter audiunt Angeli, quàm nos Angelorum audimus. *Ex Hist. Evang.*

MEDITATIO.

De Visitatione B. Mariæ Virg.

1. ABiit *in Montana* Deus humanas mentes agit in sublime. D. Augustinus Serm. 11. de Nativitate Virginis. *Cum esset gravida Maria salubri levitate plaudebat, lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* In quo nimirum vivit gratia Dei, is facilè perrumpit ardua in servitio divino, *& nunquam non feliciter equitat, quem gratia Dei portat,* inquit Kempensis,

2. *Abiit cum festinatione.* Gratia & Charitas nesciunt tarda molimina. Vix Deus homo in utero Virginis novus Viator conceptus est, & properat ad servum suum Joannem ut ab Originali liberet. Vix Mater Domini salutata est Maria & festinat ad Elisabetham ut ancilletur hominum æquè ac Dei ancilla. Qui toties oras ad Dominum, *Domine ad adjuvandum me festina,* quare tardas si potes adjuvare conservum tuum? *qui succurrere perituræ potest, si non succurrerit, occidit.* Lactan. lib. 6. instit. cap. 11.

3. Ut Sancta sit Visitatio & Conservatio tua, lætare in Domino cum Joanne exultante; loquere de te

humiliter cum Maria magnificante; de proximo lau-
dabiliter cum Elisabetha benedicente; de Deo ad-
mirabiliter cum Zacharia Sacerdote prophetante. *Si-
in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum; sit i-
singulis Spiritus Mariæ ut exultet in Deo.* S. Ambr. lib. 2.
Comm. in Lucam.

S. CLARA Virgo Indica

3. Julii.

Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. v. 5.

INter raros novi orbis fructus etiam Virginitas est, quàm in S. CLARA Indica meritò Europeæ puellæ admirentur & æmulentur. Unica hæc Indorum Regis filia erat, cujus indole & forma captus vicinorum regulorum aliquis, non dispari connubio sibi eam desponsari petiit à Rege Virginis Patre: cujus, cùm idem votum esset, facile assensit; at filia omnes deprecata nuptias est Virginitatem à se jam Deo promissam obtendens: quin, ut patris declinaret iram & sponsi insidias metuens, fugam, ut lateret, arripuit, sed latere CLARA non potuit insecuti mox, Regis Patris Imperio, nob-

les aliqui, cùm fugitantis insisterent vestigiis, attoniti videre, flumen oppositum, ad fugitivæ accessum, dividi in partes, & viam facere sicco alveo transeunti. Non potuit, tanto audito miraculo, pater non cedere filiæ, cui ipse censissent aquæ. Ita Regia Virgo, etiam favente parente, libera, S. Dominici amplexa institutum, annis quinquaginta sanctè vixit, jejuna propè semper, cùm non nisi Dominica die herbis & fontanâ pasceretur; cœlesti tamen liquore divinitus quandoque recreata: quò torrentem voluptatis æternæ prælibaret. *Arturus à Monasterio in S. Gynecæo.*

MEDITATIO.

De Custodia Virginitatis.

1. S. Clara fugiendo evasit, ut Virgo permaneret. Virginitas thesaurus est in fragili corpore, ideo cautè ambulandum, & ne incidamus in prædatrices concupiscentias, longè fugiendum est. Audi S. Hieronymum Epist. 47. *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere: quis juxta viperam securos somnos traxit. Quæ etsi non percutiat, certè solicitat? Securius est, perire non posse, quàm juxta periculum non periisse.*

2. Fuga S. Claræ miraculo illustrata est, aquarum alveo sese dividente. In periculis peccati constitutis citra culpam suam, libenter gratiam impendit Deus,

si modò cum fiducia & ardente oratione imploretur. *Securus transcendo, quando ille me sub se tenet, qui est super omnia.* S. Aug: in ps. 6.

3. S. Clara Virgo annis quinquaginta sanctè vixit; jejuna propè semper. *Semper virtuti cibus jejunium fuit. De abstinentia quoque prodeunt casta cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, & spiritus invocatur.* Leo Papa de jejunio decimi mensis.

S. UDALRICUS Episcopus.

4. Julii.

Juvenilia desideria fuge, sectare verò Iustitiam, Fidem, Spem & Charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de Corde puro.

2. Tim. 2.

MUltum ætas tenera nutricibus debet, quæ lac dederunt; plus illis, quæ pietatem instillârunt. Ipse è cœlo UDALRICUS adstipulabitur. Hunc puerum Wiborada sanctissima Virgo leviculè fortè cinctum, castiore de lino cingulo donavit, jussitque primò, liberioribus sermonibus nec linguam daret nec aurem; mollem cupidinem

cilicio

cilicio absterreret, ejus flammis sub pectore grassantibus, verbis Ecclesiæ in adjutorium Deum exciret, simul digito in vocum immisso incendiis incendia opponeret; fœminas denique, vel se fœmina autore, fugeret. His monitis velut lacte virtus UDALRICI crevit, ridentis irridentium coævorum turbam, qui cum ludibrio, sed sine mendacio, sanctum jam tum clamabant sed graviora testimonia jam Pontifici cœlum dedit, è quo manus delapsa sacrificare cum UDALRICI manu est visa, Fluvium in perforata navi, nunc sine illa siccus trajecit: Contra Barbaros Augustam Vindelicorum obsidentes, Ottoni Imp. præsentiâ suâ nobilem victoriam peperit. Virginis Augustanæ bona adversus rapaces manus tutatus commilites Cælites habuit, qui variis pœnis in prædones pugnarunt. Multis aliis miraculis illustris fassus tamen est, pœnas se Numini debere, quòd successorem sibi Nepotem (cætera dignum) legisset. Proinde non Nepotes, sed pauperes fecit hæredes; in quos moriens etiam suppellectilem sparsit. Sed nimirum sic vasa colligunt pontifices in cœlum migraturi. *Ex Vita.*

MEDITATIO.

De Vita Sancti Udalrici.

1. *Juvenilia desideria fuge*: 2. Tim. 2. ut hæc fugeret S. Udalricus altè impressit animo suo quoad vixit, monitum Wiboradæ Virginis Sanctissimæ; *faminas se quoque faminâ auctore fugeret*: Perpende tecum illud Hieronymi lib. 2. Gest. 14. *nec Sampsone fortior, nec Davide Sanctior, nec Salomone potes esse sapientior: memento semper quod Paradisi Colonum de possessione mulier ejecerit.* & ibid. *periculosè tibi ministrat cujus frequentet vultum attendis.*

2. *Sectare Iustitiam.* 2. Tim. 2. S. Udalricus multis licèt miraculis illustris, tamen Numini se pænas debere dixit quod successorem sibi Nepotem [cætera dignum] legisset. An æquè affectus nostros ad justitiæ libellam examinamus ut minimos defectus observemus? *Sæpe ipsa nostra justitia ad examen divina justitiæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione judicis, quod in æstimatione fulget operantis.* S. Gregorius lib. 5. moralium.

3. *Sectare pacem cum iis qui invocant Dominum.* 2. Tim. 2. S. Udalricus Augustâ Vindelicorum à barbaris miraculosè liberatâ, cum victoria pacem tulit. Hæc nota est filiorum Dei placare iratos, & pacem facere. *Si Dei vocantur filii, qui faciunt pacem, procul dubio Satanæ sunt filii qui pacem confundunt.* Gregor. in Pastor. an pacem diligis? & ea quæ pacis sunt cogitas,

S. VVILHELMUS ABBAS.

5. Julii.

Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi. Philipp. 3 c. v. 8.

BOjariæ hic Wilhelmus debetur, ex qua oriundus Monachum Ratisbonæ induit. Hic omnibus omninò artibus excultus, Matheſin tamen præ cæteris coluit, quod multa atque præclara Monumenta ipſius loquuntur literis conſignata. eloquentiæ tantæ erat, ut ſanctiorem Orpheum diceres, qui ſaxa etiam traheret. Præſul Hirſaugienſis in miſeros tam pius fuit, ut his veſtiendis non ſemel pænè ſe ipſum nudârit. Sed nimirum fœnus à nullis majus, quàm ab his ipſis, qui reddere nihil poſſunt, avarus ſperet. Hoc certè Wilhelmus tunc tulit, cùm in ſuorum uſus pondo argenti V. ab ignota terris, ſed non etiam cœlo manu abſtulit: quid jam horrea memorem, quæ, quòd Wilhelmi liberalitas exhauſiſſet, ſubitam miramque meſſem: quid cellam, quæ

effuſo

effuso per negligentiam vino, novam in dolio vindemiam viderunt? quid piscatum feliciſſimum? cùm missum sæpius in aquas rete præter inanem laborem diu nihil post imperio Divi, Christique nomine immissum, ingentem piscium prædam retulit. Taceo hæc aliáque à morte miracula: & revocatam per WILHELMUM ad primas leges D. Benedicti, per omnem ferè Galliam & Germaniam, familiam, & ad Religiosæ vitæ amorem viliſſimaque in hæc munia exitos Nobiliſſimos Juvenes laudo, piscatum priori longè præferendum. Cæterum astra sua WILHELMUS propioribus oculis aspexit Anno Christiano MXCI. *Ex Trithemio.*

MEDITATIO.

De scientia Jesu Christi ex triplici libro addiscenda.

1. S. Wilhelmus scientiis & libris clarus fuit, discamus Christianam scientiam ex libris. Lege Librum mundi, & disce auctorem tuum *& erubesce volutari in cano, qui est in cœlo.* Bernard. Serm. 24. in cantica, disce secundò finem tuum, *Deo seipsum debet homo eique reddendus est ut beatus sit, à quo accepit ut sit:* disce 3. medium ad finem. *Ars artium est rectè vivere:* disce 4. punctum ultimum S. Bern. lib. 2. de consid. *Punctum est à quo pendet æternitas.*

2. Disce

2. Disce ex libro vitæ & mortis paucitatem salvandorum, & multitudinem reproborum: *cum timore & tremore operare salutem tuam, nescis enim an odio an amore dignus sis.* Ne tamen altum scrutare; investigabiles enim sunt viæ ejus. Obsequere Augustino. Super Joanne hom. 27. *Nemo venit nisi tractus: nondum traheris? ora ut traharis.*

3. Disce ex libro conscientiæ tuæ, nosse te ipsum. Liber hic censuram subibit coram universo mundo. Quare in quotidianis examinibus, in ordinariis confessionibus, in usitatis recollectionibus non accuratiùs relegis? corrigis? & emendas? nec punctum temporis, nec verbum, nec conceptus ullus non censebitur. *Ascende igitur in tribunal mentis tuæ contra te, & te constitue ante te.* S. August.

S. GOAR CONFESSOR.

6. Julii.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis quod suum erat diligeret, sed ego elegi vos, propterea odit vos mundus. Ioan. 15.

JUre meritissimo inter Apostolos suos GOAREM numerant Trevirenses, ut quibus ille superstitione implicitis, inter primos

primos Deum nunciavit. Sed dum illum æquis auribus vel maximè audivit populus, iniquis invidia oculis ſpectavit. quare more ſuo ſubornavit, qui apud Archiepiſcopum innocentiam ejus inſimularent. Gemini erant è fraudibus & mendaciis compoſiti. Eos GOAR ad ſe venientes, ut vindictam Chriſtianam ſumeret, amicè accepit, & ad menſam invitavit. Sed eadem invidia, quæ non niſi infelicitate GOARIS paſci, nec bibere, niſi hujus ſanguinem avebat, reſpuit aliis famem aut ſitim pellere. Quare ex itinere defeciſſent ſcilicet, niſi ſemper ad vindictam vigilans GOAR feras Chriſti imperio advocaſſet, & earum lacte recreatos hoſtes animam ſibi feciſſet debere. Ad tribunal Archiepiſcopi ubi ventum, luce clariùs meridianâ apparuit innocentem eſſe GOAREM, quando pallium ſuum in ipſius ſolis radiis ſuſpendit. Adhæc ex puero projectitio cùm juſſu Archiepiſcopi nomen parentis quæſiiſſet, ecce facundiſſimus infans lingua digitoque ipſum Archiepiſcopum prodidit. Erat hoc ſcilicet reum, & judicem damnare. Quare populus ad inſulam GOAREM velle vocare, &, cùm reſpueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum

lum ægritudo absolvit, quam precibus à cœlo extorsit. Præstare, credidit, morbo, quàm ambitione laborare. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Virtutis de invidia triumphus.

1. VIrtus insignis [mira res] optima mater, pessimam sobolem. S. Goari peperit. An ideo tristari debes, vel an justè irascèris? quia mundus tibi invidet? tibi potius gratulare, & gratias Deo age pro bonis, quæ adversarium tuum cruciant, ipse non doleret nisi prosperè tibi esset. Etsi insuper tibi facit injuriam, *illata injuria non accipientis sed inferentis est miseria.* Boëtius lib. 4. de consol. pros. 4. *Tua vero conscientia fruitur Innocentiæ bono, & inter ipsas maligmitates de innocentia gloriatur.* S. Hieronymus ad Demet.

2. Glorioſa vindicta est quam S. Goar de invidis accusatoribus sumpsit. Venientes ad se amicè accepit, & ad mensam invitavit, Benefaciendo inimicis tuis, congregabis prunas super caput eorum, & tibi colliges rosas ex spinis. Disce exemplo Christi cum ac invidis pharisæis juberetur fugere iram Herodis, dicite vulpi illi inquiebat Luc. 13. Ecce ego demonia ejicio & sanitates perficio, ejice *dæmonia passionum* tuarum, ut *nulla tui dominetur iniquitas & perfice sanitates.* Stude æmulum tuum benefaciendo sanare.

3. Goaris Innocentiam solares radii suspenso pallio illustrem fecerunt. Sæpe continget, ut quo magis invidiate contenderit obscurare, eo felicius tibi ope-

ra

ra tua Deo adjuvante succedant. Deteget etiam Deus palliatos prætextus malevolorum & eorum supplantationes dolosas adversum te confundet. *Veritas sola liberat, sola salvat, sola levat.* Bernard.

S. VVILLIBALDUS Episcopus.

7. Julii

Factum est Regnum hujus mundi Domini nostri, & Christi ejus.

Apoc. 11. v. 5.

ANimæ cœlo natæ eheu! exilium amamus, patriæ obliviscimur. At non ita Willibaldus, è regiâ Anglorum stirpe pulcherrimus flosculus. Vix enim Mundum seque adeò circumspexit, cùm illico peregrinum agnovit, ideoque exire hinc quàm ocyus nec solus voluit, sed in laudatissimi facinoris societatem Wunebaldum Fratrem & Walburgam sororem, quin Richardum etiam regem parentem exivit. *Si nescis, Pater peregrini hîc etiam Reges sumus. Quin igitur is? quò SS. virorum per omnem orbem vestigia atq; adeò Christi te ducunt? Exi, ah! exi regno! nisi exis scilicet efferêre.* Ergo purpura pennulæ, sceptrum baculo, corona galero cedit; atque ita digna Regibus An-

Anglis expeditio Romam, inde Hierosolymam adornatur. Ultimum, ut hanc etiam suæ peregrinationem cruces comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc oculos amittit. Recepit tamen hos ad urbem sanctam appulsus, viditque deinceps tam benè, ut excœcatis tum à Gentilitia superstitione Germanis, Dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem quidem annis XXXVI. egregiè præstitit, & nobilem hodie Episcopatum Eystetensem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps est, parentem è regno secum ad DEUM abduxisse. Eant nunc deliri senes, querantur ultimo ætatis adminiculo orbari se, ubi è mundo filius abit. Abeundo WILLIBALDUS, an non parenti Scipio fuit? *Ex Philippo Eystet.*

MEDITATIO.

De triplici Regno Christi.

1. S. Willibaldus pro relicto terreno regno triplex adiit & possedit regnum Christi. Primo obtinuit *regnum animæ* per gratiam Christi. *Hoc regnum Dei intra nos est.* Nam verè sancti viri reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum refrenant, modo gloriam inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris

extinguunt, reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere; sed regendo præesse noverunt S. August. in ps. 118. *Sed regnum vim hoc patitur*: occupare autem poteris per gratiam Iesu Christi.

2. Alterum reguum quod obtigit S. Willibaldo est *regnum Ecclesiæ*. Stude subditus esse fidelis Ecclesiæ. *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent*. S. Ambr. Esto obediens. *Si enim Ecclesiam non audieris, eris sicut ethnicus & publicanus*. Tuere auctoritatem Ecclesiæ, & pro ratione officii tui dilata animarum conversione[m].

3. *Tertium est regnum gloriæ*. Regna hujus mundi non nisi scenica sunt. Regibus & Principibus æquè ac subditis finienda est actio, & depositis divitiis ac honoribus nudi efferimur. Si nescis inquit Willibaldus ad Patrem suum Richardum, peregrini hic etiam reges sumus: exi, ah exi regno, nisi exis efferêre. Quare ergo neglectis curis pro regno cælesti plus sæculi regibus, quam regi sæculorum inservimus? *Multi ab oriente & occidente venient & recumbent in regno cælorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*. Matt. 8.

SS. KILIANUS COLOMANNVS ET TOTNANVS

8. Julii.

Venit hora ut omnis qui interfici

vo

vos arbitretur se obsequium præstare Deo. Ioh 15.

UTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia orientalis KILIANUM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus, Monachum induit, & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam accepit. Sed ingenuus, qui in pectore bulliebat, sanguis, majores ausus est honores sperare & generosâ morte Martyrum nobilitatem velle mercari. Igitur in Britanniam; mox inde in Galliam, per hanc in Germaniam se penetravit & Herbipolim Franciæ orientalis Metropolim pervenit. Colomanno & Totnano viæ, propositique pulchri comitibus. Vix crucis signa explicata, cùm debellata superstitio, & ipse Dux Francorum Gosbertus sub jugum Christi est missus. Sed restabat cum muliere bellum, semper viris etiam periculosum. Geila hæc fuit, fratris olim Gosberti conjux, tunc pellex hujus: & quia hanc consilio KILIANI, Dux ædibus parabat ejicere, ipsa priùs KILIANUM sociosque (absente Duce) vitâ ejecit, & corporibus Divorum stabulum super ædificavit. Monitus KILIANUS ab

Angelo de morte, obviam hostibus processit, iisdemque verbis, quibus Christus Judam, salutavit. Martyrum porrò sanguinem linteo excepit Matrona Burgunda. Locum stabulantes equi nullis sordibus contaminârunt. Sicarii malè omnes perierunt, fuitque, qui sceleris sui furiis agitatus clamaret, nunquam non sibi imminere gladium KILIANI sanguine calentem. Ipsa Geila pœnas datura, carnificem dæmonem habuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De Martyrio Spirituali.

1. S. Kilianus cum videret Martyrii gloriam in Britannia sanguine suo venalem non esse. Peregrè Mercator quæsivit, quis tuus patiendi pro Christo ardor est? an ad gentes barbaras occubiturus anhelas? sed disce priùs aculeos pungentis linguæ domi, quàm peregrini carnificis gladium, priùs verba, quàm verbera superare; ne dicas cum Petro paratus sum tecum ire in mortem & voce ancillæ terrearis. *Sine ferro & sanguine martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Greg. Dial. lib. 4.

2. *Martyrum sanguine irrigata Ecclesia uberiorem fructum protulit.* S. Cyprianus potuisset Deus ecclesiam suam propagare sine sanguine & cædibus Myriadum Martyrum. *Sed majus erat beneficium* inquit Toletus *fortes facere Martyres in obeundam mortem; quam imperdire*

dire ne occiderentur: illud fecit beatos, non istud. Disce quam nobilis seminis fructus sis. *Sanguis enim Martyrum semen est Christianorum.* Gratum te præbe, eorum festa & reliquias, ac præsertim patriæ patronos venerare,

3. *SS. Mærtyres Dei Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Heb. 11. v. 37. ut Martyres aliquo modo imiteris, dictum illud divinæ veritatis adimple. Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue & projice abs te: si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam & projice abs te &c.* hoc faciens Martyr eris sine mutilatione, & sua quoque membris passis dabitur gloria in cœlis.

S. ANATOLIA
Virg. & Mart.
9. Julii.

Quis nos separabit à Charitate Christi. Rom. 8.

RECTÈ Lilium dixeris Virginitatem, sed spinas eásque plurimas inter. Vel ANATOLIA palàm id facit, pulcherrimi candoris ipsa lilium, quod ubi capere procus impudens desperavit, ex amatore hostis factus, fidem apud Judicem accusavit, cujus castimoniam non potuit. Itaque ex veteri sed pessimo more in exilium virtus mittitur.

Sed fallor: patriam putâſſes, ita in honore etiam ibi fuit. Etenim, cum Diodori Viri Conſularis filius (Anianum dixerunt) à malo genio correptus ſæpenumero diſcruciari ab ANATOLIA ſe clamitâſſet, quin ruptis ſubinde vinculis ad illius pedes abjectus miſſionem tandem accepiſſet, ilicet ea fama totum Piceni agrum pervaſit, ut jam commune omnium Morbidorum aſylon Virgo exul eſſet; jamque tam felix exilium invideret Decius, ideóque huic vincula, equuleos, & flammas ſuperadderet, quin etiam Audacem nobilem Magum evocaret, qui immanem in Virginem ſerpentem armaret. Sed pepercit hic Virginitati, non item Magiſtro ſuo Audaci, utpote in cujus collum ita invaſit, ut niſi manum auxiliarem Virgo tuliſſet, pereundum illi ab hoc collari fuiſſet, quam tamen ſic Audax cervicem ſerpenti, Chriſtianus poſtea gladio non ſubduxit, quo ANATOLIA denique etiam trajecta, pudorem ſanguine tinxit, hoc eſt: Liliis Roſas miſcuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De impuro & de divino amore.

Duo amores, inquit S. Aug. in Pſal. 64. *duas faciunt civitates: Ieruſalem facit amor Dei, Babyloniam*

niam facit amor sæculi & carnis. Interroga ex te, cujus sis civis? Amori impuro vel semel etiam obtemperâsse pudet, & ex pudore dolor, ex dolore timor, ex timore angor & atrox ex angore horror. Quàm turpe hoc jugum tyranni amoris? Ideo Seneca lib. 2. de Clement. *Etiamsi scirem, Deos mihi veniam daturos, & homines non cognituros, tantùm propter vilitatem carnis, peccata carnis fugerem.*

2. Jugum Divini amoris describit S. Bernardus: *O jugum sancti amoris, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas.* Quis non sancto ambitu vellet esse concivis in Ierusalem, ubi divinus amor tam sanctè & delectabiliter animæ dominatur.

3. Plato triplicem statuit amorem: belluinum, qui coinquinat; Divinum, qui occurrente pulchro aspectu ad contemplationem animum extollit, & ab omni labe remotus est; & humanum qui inter utrumq; medius, sensus quidem oblectat, sed vitium refugit. examina amorem tuum humanum, quem fortè dicis esse affectum humanitatis. *Credite*, inquit S. Ambr. in ep. ad Nepot. *munuscula, sudariola, fasciolas, & vestes, ori applicatos, ac degustatos cibos, blandasq; ac dulces literas,* [adde] otiosas visitationes, colloquia inutiliter protracta, *sanctus amor non habet.*

S. FELICITAS Mart.

10. Julii.

Si

Si in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 2. Cor. 15.

FElicitatem in manibus habes, Matronam, in qua unâ omnem Spartam Roma extinguit. Stat ecce! ad tribunal plena animis, & qui Matrem coronat, globum filiorum in tyrannum agit. *Ne, ne oculos in tyrannum filij, aut quas hic minatur pœnas sed cœlum, sed quæ cœlum promittit gaudia, defigite. Ite, ostendite etiam suos Romanis Machabæos esse, implete nominis mei omen: facite, ut sim, quæ dicor,* Felicitas. *Septem estis, si pueri, certè numero tyranno superiores. Sed & mater adero, pugnabo, in singulis, in omnibus triumphabo, Votum pugnæ hoc est, ut nostrum ex acie vivus nemo discedat.* Talia Mater filiis, at matri tyrannus colaphos ingerebat. Mox Januarius Virgis cæsus, ridet puerile tormentum. Negant Felix, & cum Philippo Silanus, sive à fratribus, sive â Christo avelli posse. Jam Alexander clientelam imperatoriam offerenti, Christi se Libertum respondet. Vitalis porrò edicere Judicem jubet, dæmonine malo, an Deo Opt. serviendum? Denique rectissimè Martialis, cassis minis, serias Orci pœnas opponit. Has itaque inter pugnas plumbati

batis, fustuario, præcipitio, ferróque omnis fraterna acies cadit. Et potuit in septem Germanis trecentos Fabios spectare Roma. Felicitas certè spectavit, & oculis suis tot sibi oculos erui videre sustinuit, dum ultima â ferro est mortua. Si tamen mori jam potuit, septies mortua. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De Felicitate hujus & alterius vitæ.

1. IN hac vita vera Felicitas esse non potest, ubi bona nulla stabilia, & nulla pura. *Neq; enim est vera Felicitas, de cujus æternitate dubitatur.* S. Aug. *Et ideò Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet ut illa quæratur Felicitas, cujus dulcedo non est fallax.* S. Aug. super Matth. Serm. 29. Quare tam studiosè quæris, & inventis tam caducis bonis toto affectu inhæres?

2. Humana Felicitas arbor est foliis pulchra, & ramis, cujus radix est ipse, qui bona hujus vitæ possidet. Dan. 4. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia, & folia pulcherrima.* In piis prosperitas hujus mundi fert fructus bonos, & bonos valdè bonorum operum, qui radix bona est. In malis fert malos fructus, & malos valde, quia radix mala est. Ideo in ipsa mundi hujus felicitate timendum est. *Sancti viri cùm sibi prospera hujus mundi suppetere conspiciunt, pavidâ suspicione turbantur; timent enim, ne hîc laborum suorum fructus percipiant.* S. Greg.

3. Tripliciter Felices erimus in æterna beatitudine

ex doctrina S. Bern. *Videntes Deum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod ineffabiliter beatius est, ipsam quoque SS. Trinitatem cognoscentes.* Lauda Deum in creaturis, posside per gratiam, jungere illi per charitatem. *Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius? vivere Deo & vivere de Deo?* Ambr. de offic.

S. GOLINDUCHA Mart.

11. Julii.

Usq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & Colaphis cædimur. 1. Cor. 4.

PArciùs multi cœnarent, si cum GOLINDUCHA, nobili apud Persas Matrona. Epulo assidebat illa, cùm ecce tibi! dum alij gulam, ipsa Superis invitantibus oculos suos pascit. Tollit hos Cœlo, & quæ Cœlites convivia actitent, spectat; poni Ambrosiam, misceri nectar videt, invidétque. Inde ad inferos demittit, & esurire micam, sitire guttam epulones, intérque hos, prô dolor! etiam parentes suos advertit. Ipsa scilicet ad Christum, Christíque fidem se vertit. Succensuit conjux, sociámque thori ad Saporem Regem fide minimè maritali defert. Hic octo ipsos annos in carcerem, tum

tum quatuor menſes in antrum compingit à dracone inſeſſum. Cùm hoc etiam monſtrum virtus domuiſſet, in infamem cellam abducitur; ſed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad ſupplicium rapitur, ſed ab hoc iterum eripitur: quòd tamen nimium quantum ſanguinem pro Chriſto geſtiret fundere, vulnus in jugulo, ſed ab hujus cruore medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc porrò monili ſuperba GOLINDUCHA, cùm locos à viris Sanctis nobilitatos permultos adijſſet, cœlo tandem ſe intulit, & inde ad Salutares epulas ſuas, etiam oculos Marianorum invitat. *Ex Menæis & Theophylacto.*

MEDITATIO.

De fame & ſiti Sanctorum & Impiorum.

1. S. GOLINDUCHA viſis ſemel inter inferni Epulones quoad vixit non eſuruiit niſi Juſtitiam & pati pro Chriſto. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur*: Mat. 5. juſtitiam, id eſt, Deo ſerviendi & placendi rationem. Sic eſuriunt ſancti, & nunquam non ſaturantur, quia ſemper inveniunt ut Deo ſerviant, & placeant. *Sive manducent, ſive bibant, ſive aliud quid faciant*: 1. Cor. 10. Eſuriit etiam & ſitivit Chriſtus, nimirum animas lucrandas. *Alium*

habeo

habeo cibum manducare, quem vos nescitis. Quomodo esuris & sitis justitiam? animas? & pati cum Christo?

2. Esuriunt etiam & sitiunt pauperes. *O si scires quis esset qui dicit ad te da mihi bibere dares illi utiq;* dixit ad Samaritanam sitiens Jesus. Iob. 4. Benignior esses in pauperes si crederes Christum in pauperibus eleemosynam suã sitire & esurire. *Venite benedicti Patris mei esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Quoties epularis? saltem ante fores tuas jacenti & famenti Lazaro da cadentes micas de superfluis.

3. Sitient etiam & esurient in Inferno damnati, nec dabitur illis nisi, Deut. 32. *uva fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Sic torquebuntur fame impii, pro eo quod sitierunt Sanguinem, vindictam & cladem proximi; &c.

S. JOAN. GUALBERTUS ABBAS.

12. Iulii.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Matt. cap. 6.

EN vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum Magistrum, miris multis, maximisque illustrem! Nosse vis unde illi artes

artes? ſemina audi melioris vitæ. Petit JOANNES, armigero ſtipatus, Florentiam Patriam Urbem, anguſto in calle obviam habet hoſtem à cognato ſanguine calentem. Scilicet in iras animus, in gladium GUALBERTUS aſſurgere, & parricidium certè homicidio velle penſare. Quid ageret ſaxum inter, & aram hoſtis? Ecce bonum in arena conſilium? ad genua irati deſcendit, utque ignoſcat per orantem, è Cruce pro hoſtibus ſuis Patronum Chriſtum orat. Quid exſpectas? vincit brevis, ſed fortis eloquentia. Iris animum, ferro manum exarmat. Verbo amici diſcedunt. Sub hæc in ædem ſacram JOANNES pergit, & ecce! icon ſuffixi in crucem Chriſti capite annuens, gratias habet ex ſuo nomine inimico veniam non neganti. Quid ad iſta, ô Pyrrhægenus? vos, inquam, quibus pectus immite plus, quàm æs triplex aſperat, jurati hominum, & in homine Dei hoſtes, & quos hoc unum juvat, non ſolos perire. Iudice precante, reo non ignoſcitis rei? Tantus è Cruce Orator, tot ora vibrans, quot vulnera, non perſuadet? lignea movet ſe imago, vos duratis? Annuit Chriſtus, vos abnuitis? Ite Samſones egregii, & tumulum hoſti? ſed unâ vobis parate. *Ex Sur.*

MED.

MEDITATIO.

Parcendum Inimicis.

1. CHriſtus ſæpiſſimè præcipit ut inimicis veniam demus: oravit pro iis qui eum cruci affixerunt. Sancti imitati ſunt: & Deus ipſe toties hominum criminibus parcit, quoties ab eo venia petitur, quoties confiteris eadem, & iterum remittit miſericors Deus? an non hæc nobis perſuadeant debitoribus dimittenda eſſe quæ in nos peccaverunt? *Amicos diligere omnium eſt, inimicos autem tantum Chriſtianorum.* Tertull.

2. *Si autem non dimiſeritis* (inquit Chriſtus) *hominibus, nec pater veſter dimittet vobis*; quid dicis ad hæc tu, qui toties dicis, *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus*, nec dimittis? Sed depoſitis in ſpeciem armis animum ſemper retines armatum? Si in ſpeciem tantùm pepercerit Deus quid te fiet? quot ſunt, & quidem de numero piorum, qui ægrè admodum patiuntur pungi ſe vel leviſſimè & qui acceptæ injuriæ memoriam retinent ſempiternam. Si tibi Deus ſcriberet in Silice peccata tua; uti tu proximo tuo?

3. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Ita Deus promittit: nunquid ex verbis licet inferre, eum qui ut Chriſtianum decet injurias condonârit, beatum fore? Mercedis dignitas, parcendi æquabit difficultatem. *Obliviſci injuriæ culmen eſt bonitatis, pietatis veſtigium & ſupremum divinæ Philoſophiæ documentum,* Chyſolog.

S. JUSTI

S. JVSTINA V. & M.

13. Julii.

In omnibus tribulationem patimur sed non angustiamur; aperiamur sed non destituimur: persecutionem patimur sed non delinquimur

2. Cor. 4.

GEmina Dorotheæ JUSTINA est, consimili ferè morte, & prodigio à morte consimili illustris. Parentibus orba cùm esset, forma tot hostes illi conciliavit, quot procos. At illa ut cui in amoribus solus JESUS erat, suam etiam Christianis Penelopen ostendit, & mortales procos facilè cæteros elusit? cum Fabiano præside plusculum fuit lactandum. Devorandæ enim alapæ, ferenda verbera, & uberum carnificina. Atq; hæc inter supplicia talem JUSTINA vultum præ se ferebat, ut inter paradisi amœnitates, quas unas tunc loquebatur, obambulare sit visa. Et oportebat alteri Dorotheæ alterum etiam Theophilum esse. Zeno hic fuit è judicii subselliis primus. Is, cum Virgo ad supplicii locum ridens contenderet, rogavit, fructus peregrinos sibi è

Spon-

Sponsi hortis transmitteret. annuit capite truncanda Iustina. Mox latus Zenonis pusio molliter pulsat, & donum à mortuâ Virgine strophium missum exhibet. Tunc quoque risit, cum strophium acciperet, qui horti munera sperabat. Sed nesciebat ille, sub strophio fructus latere. Hoc enim dum frontem ridens tergit, ecce! omnem animo superstitionem abstergit, Christum & se Christianum tam diu clamat, dum lingua è faucibus exsecaretur. Caput demum pro Christo ponit, &, quod alii tam grave putant, cœlum ridendo meretur. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO
De fortitudine Christianorum in adversis.

S. Iustina inter uberum carnificinam vultum præ se ferebat hilarem & ridentem ut si esset inter floridas paradisi amœnitates: non facilè colligit rosas qui metuit spinas. Animo opus est ut virtutem obtineas, Sen. 4. de virtut. *Magnanimus eris, si pericula non appetas ut temerarius: nec formides ut timidus: mensura magnanimitatis est, nec timidum esse nec audacem.* Sine magnanimitate omnes virtutum conatus irriti sunt, quomodo difficilia aggrederis? an temere? an timidè?

2. S. Iustina inter tormenta loquitur de floribus, si tu pateris an rosas an spinas reddis? an benedictiones

an

an maledictum? sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio *tange* autem *montes & fumigabunt. Perfacilè est vestem contemptam habere, ac inclinato capite incedere, velum super capillos dimittere, sed humilem patientia ostendit injuria.* S. Aug. de Servo Centurionis.

3. Justina Zenoni rosas è cœlo submisit, quibus illum in Martyrii & Coronæ societatem pertraxit. *Coronemus nos Rosis antequam marcescant* loquuntur filii hujus sæculi. Coronemus nos Spinis ut post hyemem passionis appareant rosæ, ita loquuntur sancti & fortes Christiani. Pio & forti omnia adversa vertuntur in rosas.

S. BONAVENTURA CARDINALIS.

14. Julii.

Non enim judicavi me aliquid scire inter vos nisi Jesum Christum & hunc Crucifixum. 1. Cor. 2.

COntrà quàm hodie fieri amat, BONAVENTURAM mater ultrò DEO & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrina ita juvit, ut dubiam altera alteri palmam faceret, magnum testimonium Alexandri de Ales est, non peccâsse Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas miratus raram in vi-

ro doctrinam, Bibliothecam suam, ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram, tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. Quid quod aliquoties indignum se putavit, quid sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrârunt, cùm felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò portârunt. Moriturus, cùm vomitu laboraret, lateri Cibum Divinum jussit admoveri, & ecce! indè ad ipsum Cor se EUCHARISTIA penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis à morte integrum ab omni tabe repertum esse? Porrò dum vixit, Virgini unicè studiosus fuit. Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos, quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò libentiùs lucubrationes scripsit, quòd is de Virgine plura suggereret. Pulsum quoq; æris campani, quo exciti sub noctem venerabundi ter MARIAM salutamus, BONAVENTURA instituit, rectè, cum humanas linguas laudibus Virginis succumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora, & ferreas linguas. *Ex Vita & Tho. Bezio.*

MEDITATIO.

S. Bonaventura Discipulus Crucifixi.

Hic

1. Hic Seraphicus Doctor ex vulneribus Crucifixi mirabilem prorsus hausit scientiam, ex iis cognovit quantum Iesus esset amandus, qui tantùm nos amavit, tanto amore flagrabat in Christum vel pendentem de cruce, vel delitescentem in Eucharistia, ut ejus liberi etiam nunc Christi amorem inspirent. Quantum amas Iesum? quid facis pro Iesu? qui tanta pro te fecit? Viri docti! *Scientia sine dilectione vanitas est, quid faceret absq; dilectione eruditio? instaret; quid absq; eruditione dilectio? erraret.* S. Bernard.

2. Iesus cruci affixus docuit Bonaventuram humilitatem, amorem abjectionis, & dignitatum contemptum, hic dignitatum contemptus, potissimum eluxit, cum Cardinales ipsi optionem dedêre, quem voluisset, Pontificem eligendi; poterat quidem ille se ipsum eligere, non elegit tamen. Quid egisses hac in occasione tu? qui nunquam non studes tuæ gloriæ.

3. Denique docuit eum Christus quâ ratione labores ferret, amaret, & alacriter quæreret. Adeo non Christi & S. Bonaventuræ exemplo labores quæris, ut eos quos obedientia & Christus jubet, quantum potes declines. Proba te deinceps discipulum crucifixi. *Per omne quod agimus Crucifixi nos præceptoris discipulos demonstremus.* Petrus Damianus.

S. HENRICUS IMPERATOR.

15. Iulii.

Qui vicerit dabo illi ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno ejus.

Apoc. 3. v. 21.

GEmmam Romanæ Coronæ unicam hic exhibeo HENRICUM. Genuêre Bojorum Duces, D. Wolffgangus educavit. Quidni ab his bonum Imperatorem ſperes? Certè imperium â ſe ipſo auſpicatus Virgo, idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc ſubacto, facilè alios imperii hoſtes omnes fudit, tum præſertim, cum Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius, &, cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelúſque præiverunt; Sed ò lepidam fortunæ faciem! tantus belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obſidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives ſive armati, ſive ſupplices in urbem repulſi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen, ſignum Crux præit? barritus unus omnium, idem Kyrie eleyſon auditur. Quid multis? primi pugnâ HENRICUS capitur & Urbs libertate potitur; Adhuc gravior ille conflictus fuit quem

quem mortuus cum acie inferna habuisse, Dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius. Calicem sibi donatum pro clypeo objiciens rem restituit. Id nisi more suo Dæmon confinxit, præsidentem esse oportet, cui cor non palpitat. *Ex DD. Bamberg. Iac. Gretseri.*

MEDITATIO.

De victorijs S. Henrici.

1. S. Henricus ut cæteros hostes faciliùs superaret, priùs in servitutem redegit hostem domesticum, duxitque carnis cupidinem in triumphum conjugatæ virginitatis. Ut victor evadas vitiorum tuorum illud præ omnibus aggredere quod tibi familiarius est, & ideò periculosius insidiatur. Examina quod ex vitiis tibi prædominetur, quibus mediis oppugnes? inter omnia videtur caro esse Goliath insolentior, hoc jugulato superabuntur Philistæi omnes, & facilem reportabis victoriam ab integro exercitu vitiorum, *Ego castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Epist. 1. Cor. 9. Cap.

2. Henricus fortissimus triumphator extitit quando victus est ab imbellibus pueris Apuleiæ urbis veniam deprecantibus ab offenso Imperatore. Ulciscendi nocendiqúe cupido magnos inhumanis pectoribus fluctus excitat: nunquam non sine tormento

sui violentus iste affectus est. Sen. l. 2. de ira, *non u in bene ficijs honestum est merita meritis repensare, ita injurias injuriis illic vinci turpe est: hic vincere inhumanum est.* & lib. 3. de ira. *Vltio doloris Confessio est. non est magnus animus quem incurvat injuria.*

3. S. Laurentius pro Henrico clypeum interposuit, adversus dæmonem, quis in ultimo agone tuo cum dæmone, quis Sanctorum ita abs te colitur in vita, ut defendi ab illo in morte merearis?

S. VITALIANUS EPISCOPVS.

16 Julii.

Spectaculum facti sumus huic mundo, Angelis, Deo, & hominibus. nos stulti propter Christum.

Ep. 1. Cor. cap. 4.

CApuæ natus VITALIANUS virtutis præmium â patria insulam tulit. Fuerunt tamen qui decus hoc inviderunt alieno capiti, suo quærerent. Et placuit insuper, cùm vel maximè seriò rem agerent, fabulam tamen dare. Dormienti vestes suas auferunt & in locum muliebres reponunt. Has, ad preces matutinas vocatus, imprudens induit & templum petit VITALIANUS. Enimverò ridentibus

dentibus aliis non riserunt scelerum factores. Meretricio habitu contemeratam Insulæ majestatem clamant. Proditam tandem histrionicam vel ab ipsa nocte Sanctitatem. Parùm fuisse cum mulieribus noctes, dies agere, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc Cives, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc Cives, an non rectiùs colum, quàm pedum mulieri committerent. Si viri essent non laturos sic stolatum Episcopum. Si expiare urbem vellent, monstrum (Episcopum fœminam) aquis sepulturos. Quid multis? dum patrona caret innocentia, in mare abjicitur, non jam eluente, sed faciente parricidium culeo. Sed quis innocentiam mergeret? Emersit more suo: & cœlum ingratis civibus aquas & cum his segetem negavit, dum VITALIANUM revocarent. Una igitur VITALIANUS & imber è cœlo missi exceptique. Sed ille non fidens honoribus, Deiparæ templum struxit, vivensque in hoc privatus, Invidiam sub virginis pallio impunè jam risit. *Ex Ferrario.*

MEDITATIO.

De innocentia & simplicitate.

1. FRequens est lusus impiorum cum piorum innocentia & simplicitate. *Circumveniamus justum* Sap. 1.

Sap. 2. (Observa causas) *quoniam inutilis est nobis & contrarius, est operibus nostris, improperat nobis peccata nostra, & c. & gravis est etiam nobis ad videndum.* Advertit Hilarius quod impiis aspectus piorum sit veluti onus malæ conscientiæ illorum. Ideo & Christo oculos velârunt Judæi, ut audaciûs percuterent. è quorum numero es?. an propter justitiam pateris? an justi patiuntur à te?

2. Veste muliebri, quam inimici substituerunt, non tam Vitaliani illusa fuit innocentia, quam tecta impiorum nequitia. *Omnis qui malè agit odit lucem.* Et pleraque vitia in hoc mundo palliantur ex eo tempore, quo Adam peccavit, suam nuditatem, foliis operiens. Quibus tu prætextibus coloratis malefacta tua involvis? quàm candidè agis in confessionali? Chrys. *Quid tunc fiet miseris cum omnia aperta erunt? Latere erit impossibile, appa ere intolerabile.*

3. Rectè Iob vir simplex & rectus ait: *Deridetur justi simplicitas*, Iob. 12. in hoc mundo. *Sed Deus non projiciet simplicem.* Iob. 8. Væ autem viris *duplici corde, & labiis sceleſtis!* Eccl. c. 2. Erit tempus, cùm vulpes orcinæ vulpinabuntur, & *tradentur in manus gladij.* ps. 62 in potestatem tormentorum infernalium, & *partes vulpium erunt* esto simplex & rectus.

S. ALEXIUS Confessor.

17. Julii.

Omnis qui reliquerit Domum vel fratres, aut sorores, aut patrem,

aut

aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam poſsidebit. Mat. cap. 19.

THeatrum eſt orbis, in quo ſæpius malè multi divitem, ſed benè pauperem egit ALEXIUS. Patrem Romæ habuit Ephemianum ſenatorii Ordinis, Sponſam regii ſanguinis. Sed qua nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, ſponſum non reperit. Nempe noctis beneficio elapſus Edeſſam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie Deiparæ, ad cujus templum aſſiduus excubabat, eſt proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patria domo feliciùs perſonam diſſimulavit. Hic, cùm è tanta hæreditate vix ultimum angulum ædium impetrâſſet, riſit ſcilicet, cùm domi ſe agentem quæri in alieno orbe videret, cùm parentes ſe orbos, ſponſa viduam ſe lamentarentur, cùm utrique præſentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim ſiccus ſuorum lacrymas, vivus ſuas exequias; appellabat patrem matrémque, nec filius audiebat; baſiabat ſervorum ſuorum manus & ab his

servilia multa patiebatur, jam pugnis cõtusus, jam sordibus perfusus. Sed demũ Mors sipariũ reduxit. Vox etenim humanâ major Romanũ & Pont. & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIUM prodiderunt vultus astro similis & literæ in manibus repertæ, quibus ipse fabulæ totius Argumentum descripserat. Et placuisse fabulam cœlum ostendit, cùm miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De vita Sancti Alexii.

1. S. Alexius conjuge, deliciis & amplioris fortunæ bonis abstinuit ut Castitati & paupertati se totum consecraret. non is es qui tot divitias, tot voluptates sperare possis, unde ergo non amplecteris geminam hanc virtutẽ? ac parum sollicitus de paradiso, & de inferno, totus es in terrenis! si dolores inferni & cœli gaudia considerares terrena despiceres. *Considéremus latiora & non desiderabimus viliora.* Tertull.

2. Alexius redit in domum paternam, ut impetu facto, non fugâ voluptatum & divitiarum libidinem in propriis castris profligaret: O difficillimum certamen! nunquam triumphâsset Alexius nisi Deus cujus instinctu tantum certamen iniverat ad victoriam vires

suppedi-

suppeditâssset. Tu qui versaris in mundo, si peccas, si minùs virtuti vaces noli causari tentationes, aut occasiones; quid enim tentationes tuæ ad tentationes Alexii? pudeat te ignaviæ.

3. Quàm hilaris erat Alexius in mente, quòd mundũ, carnẽ & dæmonẽ viciſſet; enim verò magis gaudebat, quod pauper, castus & inglorius vixiſſet, quàm si potitus fuiſſet ampliſſimis bonis. Cupis ita mori? implora auxilium hujus Sancti: mortẽ felicem impetrat invocantibus se: eum imitare: pium habe vivendi modum: pia vita, piâ morte clauditur. *Mala mors putanda non est, quam bonâ vitâ præcesserit.* Auguſt.

S. FRIDERICUS EPISC. MART.

18. Julii

Noli timere, sed loquere, & ne taceas. propter quod ego sum tecum.

Act. 18. cap. v. 10.

Si vis ad vivum depictam Joannis Baptistæ imaginem, Ectypon in FRIDERICO habes: qui in Ludovico Rege Herodem, in Juditha Herodiadem est expertus, explico tragicam scenam: Erat S. FRIDERICUS illustri prosapia in Frisia natus, à primis annis solitudinis, ut alter Joannes, amans, non nisi in sacris adolevit: jam tum Ludovico, Caroli magni fi-

lio

lio, Regio ob virtutem generisque splendorem, percharus, à quo etiam ad trajectensem insulam est evectus. Ea in dignitate FRIDERICUS, officii sui memor, ut verum se amicum probaret; quod aliorum ausus est nemo, animosè Regi, ob incestas cum Iuditha nuptias se opposuit, Ioannis illud. Non Licet, liberè contrà ingerens, Anathematis insuper minatus fulmen ni malè nuptam repudiaret. Id FRIDERICO fatale fuit; siquidem efferati inde Regis jussu, emptis ab Herodiade altera, Iuditha Regina sicariis ipso in templo, post peractum antè sacrum, pugionibus confossus est. At Martyr, vulnus, dum latrones moniti effugissent, cohibens, populo vale extremum dixit, Trajectique excidium vaticinatus, vivus sepulchrum suum subiit, & generoso viam permittens sanguini, defunctus est; qui tamen vel ex tumulo clamavit, donec incestorum regno per Daniæ Regem vastato, & sicariis repentina morte sublatis, cœlum audiens innocentiam Sancti vindicavit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De correctione proximi.

1. S. Fridericus ut verum amicum Regi se probaret, liberè corripuit eum, vox Caini est: *sum ne ego custos fratris mei?* Vox Apostolicæ charitatis est: *Corripien-*

Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem. Cor. 1. v. 27. S. Aug. l. 1. de civit. cap. 9. *Si neglexeris corripere pejor factus es eo, qui peccavit.*

2. Primas partes in corripiendo obtineat lenitas. Spiritus Evangelicus non est vindictæ aut iracundiæ, sed patientiæ & mansuetudinis. Ideo 3. Reg. 19. ad Eliam, non venit Dominus *in spiritu grandi & forti*, hoc est, superbo: *non in commotione*, hoc est, animi perturbatione: *non in igne*, in furore accenso: *sed in sibilo auræ tenuis*, id est, humili & mansueto. Cujus Spiritus est in corripiendo proximo tuo?

Si ex officio obligaris, monendi sunt potestatem habentes modestè & reverenter, exemplo Nathani inductâ parabolâ de ove, arguentis Davidem forti sed modestâ libertate dicendi. Magnatibus expedit, ut adeant frequenter curias mortuorum, id est, libros consulturi de agendis vel omittendis, hi enim loquuntur sine formidine, nec adulantur ne excidant gratiâ.

S. ARSENIUS Abbas.

19. Julii.

Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Luc. c. 9.

ARSENIVS bonis artibus & virtutibus juxta clarus, Arcadium & Honorium Theo-

Theodosii Augusti filios litteris imbuendos & pietate, accepit: quod muneris tanti pius Imper. fecit, ut eum non filiorum modo, sed suum etiam parentem dici voluerit. Quidè quòd ubi sedentes pro dignitate stans docuit, interveniens Theodosius stare imposterum filios & audire sedentem jussit, timendas imperii secures literatis scholæ fascibus submittens, quos cùm in gravius delinquentem Arcadium strinxisset Arsenius, necem ille Doctori inferre molitus est, penè Nero ex Arcadio factus. Adeò non jam primùm bonorum magistrorum didactron odia & insidiæ sunt discipulorum. Arsenio interim vox cœlo hæc accidit *fuge*, *tace*, *quiesce*, Fugit itaq; sed aulæ servitutem: tacuit Eremi discipulus, sed Doctorem Angelum habuit. Hic vana hominum studia illi depinxit primò in Æthiope, qui levando, cui impar erat, oneri, alia atque alia identidem ligna adjiciebat: Tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum ligno transverso angustam subire portam contendebant, è quibus primus peccantium, alter ambitiosorum, duo alii invidorum erant typus. Denique beatâ morte Arsenius quievit annos natus CXXI. & tunc etiam talisque mortem horruit.

horruit. Certè vivus semper cum strophio visus est, quod lacrymas biberet, quas mors exprimebat, expressura etiam nobis, si cum ARSENIO memoriæ impressam altiùs gestaremus. *Ex Metaphr:*

MEDITATIO.

De integro servitio Dei.

1. A Baulâ ad solitudinem avolat Arsenius: interrogatus unde tantùm amaret solitudinem? non possum inquit amorem meum dividere. oportet ut neglecto mundo, Deo me penitus tradam. Velles tu quidem Dei & mundi esse, sed hoc fieri nequit: eum elige qui te pluribus cumulet bonis, quid dubites? *Nemo potest in una & eadem re omnipotenti Deo servire, atq; ejus hostibus gratus existere, nam Deo amicum se pernegat, qui ejus placet inimico.* Gregor. in hom. super Ezechiel.

2. Veniant tibi in mentem stipendia quæ mundo militans meruisti. Salomon qui terrenis in bonis votorum summam adeptus erat, profitetur omnia vanitatem esse. Inquire in te ipsum, vide an non verum sit tibi bona omnia fastidio fuisse, cum iis potitus es, nec unquam habuisse te plenum gaudium. *O sæculum vanum! quid tanta promittis cum decipis?* Aug.

3. Si autem fateri velis quod res est, dices te nunquam lætiorem fuisse quàm post expletum pium aliquod opus. Jam verò si Christus vel in hoc mundo tam liberalis sit, quid daturus est in altero? si quas dæmon offert voluptates plurimo felle temperantur,

quanta

quanta erunt quæ parant tormenta? Deo te totum devove, diceſque cum Tertulliano. *Quæ major voluptas quam faſtidium voluptatis*

S. MARGARETHA V. & M.

20. Julii.

Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. 1. S. Petri cap. 5.

MARGARITAM in manus damus, vel cœlo judice pretioſam. Adoleſcentula clam parentibus Sacra noſtra edocta eſt, eam ob cauſam ad Olybrium Præſidem rapta ta fuit, ipſo (nefas!) parente filiam accuſante. Gravius etiam periculum cudebatur, quando judex à forma MARGARITÆ captus, amatorem induit, & mollibus armis, blanditiis pugnam movit. Eluſit tamen inſidias Virgo prudens & Præſes larva amoris poſita tyrannum prodidit. Virgis initio cæſa, tum uncis lacerata & in carcerem data. Ibi quoq; fatigatam recens hoſtis Orcus excepit, Draconis exuviis horrendus. Sed hunc objecto

ſcuto

scuto Crucis repulit, precúmque jaculis confixit. Victrici superi trophæum posuerunt crucem mirè splendentem, & è cujus apice columba solatia dedit, & omnibus vulneribus Medicinam. Triumphum hunc primum ornârunt XV. millia hominum in libertatem Christianam à Deorum servitute asserta. Non multò post iterum pugnatum, & in triumphum ducti ignis & aqua. Nam & faces ardentes pectori admotas in sancti Amoris flammas, & aquas, in quas abjecta erat, in baptismum vertit Deus. Iterum ergo triumphanti columba illa divina palam coronam imposuit. Invidit Olybrius, & caput laureatum gladio abstulit, Sed imprudens alteram coronam adjecit. *Ex Sur. & Lipp.*

MEDITATIO.

De tentationibus & ratione eas vincendi.

1. DEus patitur nos à dæmone tentari, tum ut nostram probet firmetque virtutem: tum ut copiosiùs nos remuneretur: non permittit tamen ut tentatio sit supra vires: diabolus pellicit, non cogit ad malum. Libertatis & gratiæ beneficio semper vincere possumus, *nam dæmon latrare potest, mordere non potest: non enim cogendo, sed suadendo movet, nec extorquet consensum, sed petit,* August.

2. Ipsi nosmetipsos tentamus nil non concedentes sensibus nostris, & corpus otio ac delitiis circumfluens delicatiùs tractantes. Alios item ad peccatum sollicitamus tum verbis, tum exemplis. Ipsi dæmoni tentationum occasiones suppeditamus, pravis rebus legendis, audiendis. *Cur liceat audire quæ facere flagitium est?* Tertull.

3. S. Petrus triplicem nobis suggerit vincendarum tentationum rationem, nimirum ut sobrii, vigilantes & fideles simus. Sobrietate omnis ferè libido restinguitur, Vigilantiâ & diligenti examine actionum eluduntur dæmonis insidiæ, fide demum omnes inimici profligantur. Non enim vinci potest qui sperat paradisum, & qui timet infernum.

S. DANIEL ABBAS.

21. Julii.

Habentes alimenta quibus tegamur his contenti simus, nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. 1. Tim. cap. 6. v. 9.

IMpetraverat à Deo Daniel hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat. Itaque hic, eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentiâ pronunciavit innocentia altera. Infans

fans nuper natus, qui jussus à DANIELE pâ-trem palam edicere, digito in verum paren-tem conjecto, hic, ajebat pater meus est, at-que ita simul patronum suum absolvit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub hæc, cum DANIEL Eulogium latomum cer-neret, in egentes præ aliis pium, precari apud Deum instituit, plures opes submitteret tam benè prodigo. Et annuere Deus est visus, si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi mo-rum integritati non futuras. Convenit, spo-pondit Daniel. Igitur Eulogius cum saxis thesaurum eruit, ad aulam abit, honores mercatur, struit palatia emit mancipia, splendidè ac lautè victitat. Adest DANIEL of-ficii sui amicum commonefacturus, sed sur-dam, ad pauperis vocem, januam reperit, verberibus pro stipe oneratus. Anxius proin-de, cùm à Christo crucifixo exsolvi vadimo-nio postularet, annuit Filii nomine Mater Magna, mox etiam ipse Filius eâ lege, ne si-mile posthac vadimonium faceret impru-dens. Interea Eulogius mortuo imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus exci-dens, in latomias suas postliminio devolvi-tur, mox cum paupertate pauperum amor, & unâ virtutes omnes ab exilio revocantur.

Tam malè, ò Divites, vitæ ſanctitáti cum divitiis, tam benè cum paupertate convenit *Ex Petr. de Nat.*

MEDITATIO.

De Copia & innopia.

1. EXpertus eſt Daniel in Eulogio ſuo quam periculoſum ſit in via ſalutis abundare. Divitiæ ſi affluant non appone cor, *quid ponimus cor in terra, cum videamus quia evertitur terra* S. Auguſt. Serm. 29. de verb. dom. Et ſinus Domini divitiarum. Nequæ divitiæ dominentur nobis, impedientes nobis liberum earum uſum. Non inhereamus. S. Wigo de tranquil. animi cap 9. *Scarabæus cuncta intuens non pulchrum eligit, ſed ſic ubi jacent ſtercora eis inſidet, ſic animus divitis negligit cælum & æterna & terrenis inhæret, quæ Paulus arbitratur ut ſtercora.*

2. Abundantia inducit oblivionem Dei, & expellit timorem; Id expertus eſt Daniel in Eulogio. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit. Incraſſatus impinguatus dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum.* Deut. 32. cap. v. 15. Res anguſta conſervat timorem Dei, gratitudinem pro pane quotidiano, avertit otium & luxûs vitia, *quia labores manuum tuarum manducabis, beatus, es, & bene tibi erit.* Pſ. 127. quomodo te geris vel in copiâ vel in tenuitate tuâ?

3. Diſce ex Boëtio Phil. lib. 2. proſa 4, ſorte tuâ à Deo data contentus vivere. *Quiſque cum fortuna ſua conditione concordet: ineſt enim ſingulis quod inexpertus ignorat, & expertus exhorreat.*

S. MA

S. MAR. MAGDALENA.

22. Julii.

Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. Luc. cap. 7.

MAGDALENA, quæ omnium in ſpem peccantium animos erigit, utinam etiam in pœnitentiam erigeret. Tantum lacrymarum potuit lavacrum, cùm aquas amor oculis deplueret à flammis ſuis calentes, cùm ingenioſus è capillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum malorum nuper hoſpitium, Chriſti fit hoſpita, hujus ſermonibus frui, & amoribus digna eſt; ab hoc apud Simonem de audacia, apud ſororem de otio, apud Judam de prodigalitate accuſata, defendi ſemper meretur; apud hunc Fratri defuncto vitam exorat hunc nardi odoribus recreat, miniſtra per Judæam ſequitur, & in crucem ſequitur, hic pedes lacrymis iterum lotos, iterum oſculis ſiccatos tumulo condit dolore plena, mox redivivos ambit gaudiis ebria, & lætiſſimi nuntii ad Apoſtolos nuntia. Quid? quod hunc etiam ipſa Apoſtoli vices functa, in ipſas uſque Gallias Maſſiliam portavit, & populos nova amoris magiſtra amare Crucifixum docuit.

cuit. Hunc illa inter sylvas maximè, & loca sola venabatur, & in nudo lectulo crucis, quam illic loci Angeli defixerant, indagabat. Audires jam saxa edocta & littora barbara JESVM suspirare, JESVM ingeminare, cùm interim sæpiculè hic ad dilectam è cœlo inviseret, illa sæpè sæpius ad dilectum ab Angelis in Aëra, tandem in cœlos etiam raperetur. *Ex Evang & Silv. Prierate.*

MEDITATIO.

De Lacrymis S. Mar. Magdalenæ.

1. PRimus Magdalenæ lacrymas elicit dolor peccatorum, quo perculsa Jesum quærit, invenit in domo publicani, peccata palam confitetur, voluptates valere jubet, & integram facit vitæ mutationem. Felices lacrymæ, quæ Magdalenæ omnia deleviſtis crimina! an ergo nunquam oculi mei delicta juventutis meæ lacrymis eluetis? quid differo meam conversionem? voluptates, honores, ultimum vale vobis dico jam tempus est, commissa deflendi peccata; *dimitte me paululum ut plangam.* Job.

2. Commiserationis ergo lacrymas tenere non potuit Magdalena, cum vidit Jesum à carnificibus accipi tam malè aduso; calvarium eum secuta; sub cruce lacrymas suas cum pretioso sanguine confudit: meum Cor! quotidiè Jesum in Cruce pendentem videmus, quotidie meditamur ejus passionem, unde ergo ne lacrymam quidem damus? ah! non tantâ pietate Iesum complectimur, quantâ Magdalena: 3. Præ

3. Præ desiderio quo Magdalena flagrabat Iesu videndi, à mortuis suscitati sepulchrum ejus lacrymis rigavit. Assiduis suspiriis & gemitibus antrum ejus resonabat, quòd prolongatus esset incolatus ejus, nec ipsi daretur dilecto suo jungi. Iacturæ vel leviſſimæ illacrymamur, at quotus quisque est qui amisso Iesu lacrymetur?

S. APOLLINARIS Episc.

23. Julii.

Rogamus autem, corrìpite infirmos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

ad Thess. 5.

SI Scipio à devicta Africa Africani encomium meruit, & alter à subacta Numantia Numantius vocatur, Sanctus noster ab Apollinis everso, per preces suas, fano, non immeritò APOLLINARIS nomen habet. Fuit hic præsul, Sanctus Petri Proto Apostoli discipulus, clarum exemplum ingrati mundi, qui beneficia tanti viri non nisi cruciatibus rependit. Ravennæ salutis viam docentem popœ pro minervali diris affecêre verberibus. Bonifacio, muto Nobili servatoris nostri prolato nomine linguam solvit, filiamque ejus à tar-

tareo liberavit inquilino: ob hæc virgis laceratus, aduſtus, urbe ejectus in exilium fuit. In Æmilia Ruffini demortuam prolem vitæ reddidit ejuſque familiam baptiſmatis ſacro flumine regeneravit: & ſolito à malis ſalario ſuſpenſus equuleo, laniatum corpus, contuſi dentes & in mare expulſus, ex quo naufragus cùm in Myſiam, Thraciam, & inde in Italiam reveniſſet, fanum ingreſſus, præſentia ſua ita infregit vires dæmonis, ut obmuteſcens præſtigiis dementare ex idolo pro more idololatras non valeret. Detectus ergo, prodente orco, APOLLINARIS, ab irritato populo templo & urbe expulſus, atque à perſequentibus adeò lethalibus plagis confectus eſt, ut ſeptimo exinde die, quantumvis à fidelibus interim ſuſtentatus, Martyr obierit: atque ita extrema, quæ moriens elocutus eſt verba, *Qui perſeveraverit usque in finem, ſalvus erit*, implevit & glorioſa morte obſignavit. *Ex Lippel.*

MEDITATIO.

De triplici affectu Charitatis in proximum.

1. CORripite *inquietos* quorum nimirum mores vel Sermones inſolentiores ſunt hos ſane oportet ex officio arguere, ſi tibi ſint ſubditi, ſin æquales ex charitate illos dehortare, dummodo id prudenter præſtare

stare possis. Ubi proximum tuum monueris, cætera Deo committe: ora Deum pro eo, & quidquid accidit noli contristari.

2. *Consolamini pusillanimes*, Christianam ipsis demonstra misericordiam consilio, gratia studio, quoquo demum modo potens es ipsis opitulare. Aderunt tibi quotidie occasiones miseris benignè faciendi in carceribus, in xenodochiis, in vicinis & in propriis ædibus. Charitas in miseros fortunas non imminuit: præmium auget. Esto consolator omnium, qui ad te suis in afflictionibus confugient. Amicitiæ est amicos, charitatis verò omnes consolari.

3. *Patientes estote ad omnes:* fer patienter mores & naturam omnium. Ut quis amicè & Christianè cum omnibus vivat, multa ipsi requiritur patientia; alii quippe malo, alii pio animo exercebunt ejus patientiam. Arripe occasiones ejusmodi, nam saluti tuæ plurimum conducunt; Avarus non curat ex qua fodina datum sibi aurum eruitur: tu quoque ne quæras quis hanc merendi occasionem tibi dederit, eâ duntaxat utere, & certo scias, patientiam malorum omnium esse Medicinam.

CHRISTINA Virg. & Mart.

24. Iulii.

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt JESU CHRISTI.

S. Paul. ad Phil. 2.

DIcite, quotquot Musas colitis, quid virgine felicius; si doctorem habere Angelũ meretur? Certè Virgo CHRISTINA habuit, & Christianæ doctrinæ rudimenta cùm ediſceret ab ore Angeli pependit. Nempe sic ipsis diis quoq; (quos argenteos aureosque parens habebat) rectè uti didicit, quando fractos in frustra pauperibus jussit cedere, docuitque, hos ipsos rectè denique mortalibus propitios esse: jam parentis furorem ut fortiter excepit? Alapæ, vincula, unci, rotæ, flammæ velitationis speciem præbuêre. Et in hac ipsa, cúm truncas corporis partes in vultum (hostis dicam, an parentis?) projiceret an non invito extorquere verecundiam potuit? Angeli deinde manu persanata, an non iterum provocare hostem? Sed tota ecce acie mors occurrit: In lacum vulsinum præceps agitur, molari collo apenso. Vincit videlicet mari etiam virtus, & gaudet CHRISTINA à Christo toto lacu nunc baptizari, quæ omni sanguine nuper. Quid quòd incolumis enatat? parens morte infelici stygiis undis mergitur. Quid ages, qui in officio pariter & odiis succedis Dion? quid Juliane? oleum iterum ardens affundis? cùm operam perdis, picem ingeris? Christo adhæret: fornacem paras?

ras? iterum cantus inter flammas audis: serpentes cogis? jam stygios vicit. Ubera resecas? non eget his Virgo: Sagittis denique petis? pennas addis in cœlum volanti. Si nescis, illa tibi, illi meta cœlum est. *Ex Matt. Rom. Adono & Pet. de Nat.*

MEDITATIO.

Omnes quærunt quæ sua sunt.

1. SUis quisque studet commodis. Avarus quærit divitias: superbus honores, voluptarius voluptates: hinc duo inferas oportet: primo fidendum esse paucis: paucos enim reperire est qui sua non quærunt Uni Deo confide, non te fallet. Secundò stupendam esse hominum cæcitatem, qui neglectis æternis bonis fragilia amplectantur: nonne tu quoque multis in actionibus tuæ potiùs quam divinæ gloriæ servis?

2 Sunt quàm pauciſſimi qui quærant quæ sunt Jesu Christi, ac ejus gloriæ consulant. Imo qui divinæ gloriæ videntur consecrati, ii sæpe numero vel gloriam vel commoda sua sequuntur. Quorsum spectant labores tui? frustra dicis te Deo laborare, nisi verbis facta respondeant, *Potes linguâ negasse, quod manu confiteris: verbo destruere quod facto struis.* Tertull.

3 Rectè sibi suisque commodis servit qui servit Deo; is quippe suam salutem negotiorum summam operatur. Quàm bonus es amantissime Deus! mihi laboro si laborem tibi, quàm malus ego! qui perire malim serviens peccatis, quam salvari obsequens.

Deus

Deus meus sine me felix es; at ego sine te infelix. *Deus nostrâ servitute non indiget, nos illius dominatione indigemus.* Augustin.

S. JACOBUS Apostolus.

25. Julii.

Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis, non turbetur cor vestrum neque formidet. Joh. cap. 14.

LAudes Jacobi scripturo pennam ultrò Jacobi volucres ingerunt. Audi juventus, & Patronum tuum mecum lauda. Ibant Conjuges pii Compostellam, & trahebant pietatis suæ comitem filium forma liberali juvenem. O ut periculosè Castitas peregrinaris! Hospitis filia oculis capta adolescentis, capere etiam ipsum nititur Evadit hic muliebris amoris laqueos, sed non odii, Subdola enim inter sarcinulas castissimi aureum craterem condit, & abeuntem de furto accusat. Damnatur, ducitur, & in crucem tollitur; sed non moritur innocentia. Dum enim mæsti parentes iter relegunt, dum ægrè & pedes trahunt & animas, senectutis scipione filio amisso

amisso, dum frui illos vel pendentis aspectu juvat, ecce ab infelici arbore filius: quid lacrymis vivo parentas Mater? vivo Dei Matre & Jacobo succollantibus, i, Judici dic, ne damnare pergat; quem mors absolvit. Vix hæc ille ad Matrem, cùm Mater hoc ad judicem mensæ accumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus vivit, quàm assus hic cum Gallina sua Gallus, qui lautus unctusque sepulchrum stomachum exspectat. Jam carpere parabat, cum Gallus & Gallina in vitam se erigunt, Innocentiæ victrici alis applaudunt. Gallus etiam pæana canit: Ergo damnat se ipsum judex, & innocentem missum facit, volucrum verò proles posthuma etiam hodie plumas suas cum laudibus Iacobi in omnem orbem spargit, nunquam omnes, licet tot quotidie vellicent evellendas. *Ex L. Mariano. l. 5. de red. Hisp. c. ult.*

MEDITATIO
In vitam S. Jacobi.

1. Simul ac S. Iacobus Iesu vocem audivit, naviculam, retia, patrem omnia denique reliquit. Jam dudum vocat te Iesus ad sanctiorem vivendi modum? at hujus mundi vinculis irretitus, cupiditatibus nimirum, divitiis & aliis id genus nugis, Iesum vocantem non sequeris. Age rumpe vincula, expedi te quam-

quamprimum negotiis quibus ligaris, ea enim minus decent hominem qui creatus est ad amandum unum Deum.

2. Is Apostolus multo cum labore ad animarum salutem incumbens, parum proficiebat; attamen voluntatem suam ad divinam accommodans non angebatur modico fructu; fac quod potes & debes ut demandatam tibi provinciam expleas. Si fructus labori respondent refer gratiam & gloriam Deo: sin minus ne doleas, à DEO quippe pendet felix rerum exitus. Si votorum fieres compos fortè, humanæ gloriæ ventis agitatus naufragium faceres.

3. S. Iacobus ingratam Ierusalem patriam suam repetiit, quæ illatâ nece labores ejus remuneravit. Exspectare debes mala ab iis quos bonis cumulasti. Deum quærentes nunquam deficiunt afflictiones, & tolerantiæ: at præsens infelicitas argumentum est futuræ felicitatis. *Quærunt tribulationes & necessitates justum, invenitur cui corona debetur.* Ambros.

S. ANNA MATER B. V. MARIAE.

26 Julii.

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Matt. cap. 7.

Nobili-

NObilitas arboris ex fructu cognoscitur: ex prole matris dignitas. Sancta Mater ANNA in Bethlehem nata, genere Sacerdotali, tribu Araonicâ, radice prophetica & regia: nupta hæc Ioachimo in Galilæa, juveni stirpis regiæ, & magnæ virtutis. Nobile par conjugum, sed infecundum. Cùm se steriles viderent, viginti annorum continentiâ ornavere connubium: opes & proventus annuos in pauperes, templum & usibus suis æquali sorte partiti. At post multum temporis, Ioachimo à sacrificio, cum convitio sterilitatis, rejecto, multis lacrymis, junctisque precibus petebat infamiæ remedium è cœlo, & ecce ANNA ab Angelo, & ab eodem Ioachimus ad connubium revocantur: auferendam virtute divina sterilitatis notam, filiamque ex iis generandam Sarâ & Rachele celebriorem. Credidere cœlesti genio, concepta sine macula Dei futura Mater, Gratiáque peperit Dominam, cùm ANNA genuit MARIAM, cæli terræque futuram Reginam. Ita ANNA cùm sanctissimam prolem primis infantiæ educâsset annis, Deo in templo reddidit trimulam, quam se divinitus accepisse agnovit. Tu Annam jam cœlo glorioſam, ut patronæ tuæ Matrem honora, ut aliquando moriturus audire possis, quod Beatissima Virgo cli-

enti cuidam suo in agone spopondit *Quia Matrem meam honorasti semper, infernum, ne illuc intres, occludemus, Lippoloo.*

MEDITATIO.

Quomodo orandum sit exemplo S. ANNÆ.

1. S. ANNA petiit à Domino ut probrosam sterilitatem cum fœcunditate mutaret; non priùs tamen Deum exoravit quam annos 20. in jejuniis & precibus consumpsisset. Noli spem abjicere si tibi Deus non statim concedat, quod ab eo petis. Persevera in oratione, tandem impetrabis, modo res bonas cum humilitate & fiducia petas. *Differt dare ut doceat petere; dissimulat audire petentem ut faciat perseverantem.* Anselm.

2. Protinus aut nihil ambigens credidit Angelo nunciantiipsam concepturam esse. Christus dixit accepturum te quidquid petieris: dubitas tamen? nec Deo dandi potestas deest cum sit omnipotens, nec voluntas cum ipse libentius gratias effundat, quam tu accipias Pete igitur sed cum vivâ fide & per merita Christi. Nunquid verum est ad Deum te duntaxat confugere, cum frustra adhibitâ humanâ ope ad extremas redactus es angustias? oportet primum omnium Deum invocare, & omnia tibi feliciter cadent.

3. S. Anna non immemor acceptæ gratiæ, Deo reddit quod acceperat à Deo, ipsique offert filiam suam. An te Deo memorem præstitisti tot gratiarum quas ab eo accepisti? fortè harum oblitus es, ve-

(quo-

(quod pejus est) usus es beneficiis ad contumeliam benefactoris: at memineris, *quòd accipiendis indignus est, qui de acceptis fuerit ingratus* Bernard.

S. PANTALEON M.

27. Julii.

Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Luc. 6. v. 19.

PANTALEON sive PANTALEEMON (namq; hoc illi nomen morituro cœlum fecit) adolescens medicinæ operam dedit. Sed compendium illi ad hanc artem rectiùs Hermolaus in Christi Schola ostendit, quando in hujus nomine latêre panaceam edocuit. Experimentum à puero sumptum, quem vipera morsu enecârat. Hunc uno Christi nomine vitæ reddidit, & succedaneam victimam morti vipera dedit. Eâdem medicinâ noctem oculis excœcari pepulit gemino miraculo, nam hoc tenebras etiam parentis animo discussit, fidemque fecit aspicere. Verum his rectè videntibus, oculi ipsis medicis cœperunt dolere, cùm æsculapium suum ad Christianos transisse viderent. Quin invidiâ excœcatus etiam Imperator Maximinia-

nus in medicum cœpit furere, cùm paralysi afflictum in pedes erexisset, quem in opem à sacrificulis vocatus Phœbus destituerat. Ferro igitur, & ignibus sævit, liquato oleo perfundit, ex equuleo suspendit, undis mergit, rotæ innectit, nequicquam ingeniosus in pœnas; cùm medici vulneribus medicinam Christus semper faceret, & diras omnes carnificum turbas averteret. Spiculator quoque ad primum ictum ferrum suum ceram esse, & collum martyris marmor deprehendit. Resectum denique caput lactis liquorem: & Oleaster ad quem victus Martyr steterat, subitas frondes dare visus est. Voluit Herculem suum coronare. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

Deus est medicus animarum

1. UT Christus animæ nostræ morbos curet, nobiscum agit ut medicus cum ægrotis; primùm jubet ut voluptatibus abstineamus, more medicorum, qui rejectis iis quæ palato arrident, diætam & amara præscribunt pharmaca. Unde fit repugnanti animo oblatam à Deo medicinam ad salutem animæ delibemus, amarulenta vero Pharmaca ad salutem corporis facilius exhauriamus?

2. Aperienda vena, & amputanda sunt interdum membra ut æger relevetur, eandem prorsus curationem Deus adhibet peccatori. Novit pecuniam, quæ in

inmundo est, quod in corpore sanguis, causam esse morborum, vel propter excessum, vel propter præposterum usum; sanguis corrumpetur: morieris, nisi effuderis illum in pauperes, ut in terreno, sic in cœlesti commercio, leve detrimentum gradus est ad lucrum maximum. *Etsi aliqua amisisti vitæ gaudia, negotiatio est aliqua amittere, ut majora lucreris.* Tertull.

3. Hæc duo potissimum curant ex morbo convalescentes. Primum certam habent vivendi rationem: alterum, salubri duntaxat cibo vescuntur, Rogatuæ conscientiæ moderatorem, ut doceat te rectum vivendi modum, à quo nunquam nec transversum unguem discedas: Angelorum cibo frequentiùs utere hoc cibo nutrieris, & in Jesum mutaberis.

S. NICETAS MART.

28. Julii.

Sic pugno, non quasi aërem verberans. 1. Cor. 9.

ÆGyptius hic juvenis, à pugna heroica Nicetæ insignitus nomine, Angelus ob puritatem videri potuisset, nisi sanguis ejus, pro integritate conservanda, fusus, hominem probasset. Scivit hic, non nocere sensum, ubi non est consensus: quia tamen mori maluit, quàm etiam innocens fœdari, majore & acerbiore sensu, sensum periculo-

sum frangere & propulsare aggressus in carne carnem superavit. Exposuit Angelicum juvenem Decii tyrannis omnibus sensuum illecebris. In molli lectulo depositus, inter rosarum & liliorum odores, fontium amænos strepitus, sericis captus fasciis, desolatus jacebat: jamque turpis lupa irruebat, blanda voce Syren, manu fœda Harpia, pudoris infesta prædatrix. Conclamatum videbatur de inermis & proditi innocentia. At, dejecto corpore, erectus NICETÆ animus, surrexit in pugnam, quique manu non poterat vinctus, ore adhuc solo libero pugnavit: præmordit dentibus linguam, inque effrontis prostibuli faciem exspuit. Ita, vulneris dolore, sequioris sensus amolitus periculum, fugavit insuper inprudens scortum, rubricâ sanguinis sui, velut stigmate notatum. Tu parthenie Sodalis, vel mutum hic monitorem audi, ne ultrò in talem necessitatem te conjicias, ubi periculosa pugna, rarissima verò victoria est. *Ex Hieron. & Niceph.*

MEDITATIO.

De propugnanda Castitate.

1. NIcetas elinguis docet horrorem peccati. *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Deum meum.* Dicit cum Iosepho Gen. 39. perpende I[n]

DEU[M]

DEUM MEUM factorē meū: Patrē meū& Iudicē meū: Loquitur cum Susanna Dan. 13. *Melius est mihi incidere in manus vestras*, carnificum, *quam peccare S.* Ansel. Episc. Cantua. *Si hinc peccati horrorem inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni illorum immergi deberem prius infernum quam peccatum appeterem.*

2. Docet elinguis Nicetas Deum habendum præ oculis in pugna carnis. *Pudicus adolescens Dei recordatione velut rore animum suum perfundebat, ne impij amoris, igne torreretur* ait S. Ephrem. de casto Iosepho; & nos de Niceta. NE dicas cum Senibus sceleratis Dan. 13. *Ostia clausa sunt & nemo nos videt.* Nonne? *renum quoq; testis est Deus.* Sap. 1.

3. Docet Nicetas ad resistendum peccato, superare volenti cum gratia DEI, nunquam non arma in promptu esse, & neminem vinci nisi ipse velit. Clamat Susanna; fugit Iosephus: orat Petrus *Salva nos perimus:* linguæ vulneri se defendit Nicetas. Et quid tu facis in pugna? *tantùm dixit diabolus ad Christum mitte te deorsum, ut intelligamus quod qui obedit diabolo, ipse se deponit.* Nil. Serm. 12. in Psal. qui habitant.

S. MARTHA VIRGO

29. Julii.

Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima, porro unum est necessarium. Luc. 10.

MARTHAM Magdalenæ & Lazari sororem quam post Christi necem persecuti Iudæi in exilium lacerâ navi ejecerunt, Massilia felix excepit. Illic triginta annis religiosis Deo Virginibus virgo præfuit, eo rigore, ut ab omni vino & carne semper abstinens, non nisi semel in die aliquid edulii caperet. Centies die quavis, totiesque singulis noctibus ad orationem genua submittebat, draconem illis locis infestum aquæ piacularis aspergine depulit, sicque pluribus famosa miraculis, suisque in omni virtute dux & magistra consenuit. Octava, ante mortem, die, Servator eam noster cum Matre Virgine & S. Magdalena invisere dignatus, jamjam se vices ei repensurum spopondit, recipiendo ad cœlestes æternum hospitam suam, quæ toties eum tam sollicita, excepisset, fovisset que domi suæ in terris. Subinde mortis edocta tempus, conspersa cinere, humi deponi à suis voluit supina, ut cœlum ei in conspectu esset, ad quod moriens properabat. Ita in osculo crucis, quò invitata erat, decessit, viam monstrans omnibus, qui ad mortem usque, in Communione sacra, servatorem nostrum, pari cum ea solicitudine religioso corde susceperint. *Ex Evang & Petro de natal. Ribadeneira.*

Medi-

MEDITATIO.

De uno & maximè necessario.

1. NUnquam non laboras in divitiis & honoribus ac scientiis acquirendis, hæc tamen omnia non admodum necessaria tibi sunt: siquidem sine divitiis, scientiis, & dignitatibus cœlo adscribi potes. Depone inutilem negotiorum laborem: nisi in eo quoque curæ tuæ invigilent, & cogitationes tuæ, ut salvus fias. Utinam! posses dicere cum Tertulliano: *Secessi de Populo, imò unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem.*

2. Salutis negotium cùm corpori tum animæ pernecessarium est. Immortalis hæc anima, neglectis corporis voluptatibus in tuto ac beato loco collocanda est, in quo corpus ipsum purioribus ac suavioribus voluptatibus fruetur. Honores deliciæ & mundana quæque, quorum cupidissimus es, prætereunt. Quod animæ tuæ paraveris hoc unicum manet. Vide quid adhuc feceris Dei causa? nec te pudoris & verecundiæ materies deficet.

3. Funditus periisti, nisi dum vivis, tuæ saluti vaces. Unum duntaxat corpus, unam animam, unam vitam habes. Semel homo moritur, ubi ceciderit arbor, ibi erit in æternum. Quomodo ad hunc usque diem operatus es salutem tuam? Heu! *rerum necessariarum nullam rationem, superfluorum & inanium plurimam habemus:* Chrysost.

SS. ABDON & SENNEN MATYRES.

30. Julii

Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi, Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci.
S. Paul. ad Philip.

CEnsebantur Abdon & Sennen, inter primos Persiæ purpuratos. & verò nisi cunæ in Patria, mors Romæ purpuram donâsset. Nam quod Christiano Principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum esse vespilones, suisque manibus terræ mandare horum corpora gauderent, vinctos Decius Romam adduxit. Ibi ad tyranni tribunal steterunt auro gemmisque splendidi rei; sed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ, quas nimiùm quantum glorioſi jactabant. Itaque, cùm munera ingentia promitteret tyrannus si ad Deos transierint, risêre scilicet, & ad omn iatormenta provocârunt. Plumbatis igitur tentati, contrà ferreos se præbuerunt. Inde in theatro feris objecti; sed plau-

plausum meruêre, & victa Martyribus colla leones submisêre, feræque cicures hominem contra feros homines visæ defendere. Reperti interim, qui necem inferrent, gladiatores. Sed & Martyres tales se probârunt, cùm jugulum fortiter gladio dederunt. Extincti triduum tumulo caruêre, dum Cyrinus plumbeis loculis clausum aurum defodit, quod iterum deinde erutum est in lucem, cùm Orbi Christiano Sol suus Constantinus luxit. *Ex actis S. Laurentij.*

MEDITATIO.

Servire Deo, suave, non mundo.

1. A Servis suis parùm requirit Deus, & illud parùm, jucundum, utile, atque honorificum est, glorioſum certè est Deo servire, quandoquidem vel hac in vita servi Dei singulari reverentiâ coluntur. Ad hæc utile est, sed utilitas tota nostra est. Cum bonorum nostrorum non indigeat Deus: Postremo jucundum, quòd virtus rationi apprimè congruat, & Deus cœlestibus gaudiis suos servos perfundat. Proba quæ dico, & brevi dices, nullum esse in divino obsequio laborem, si comparetur cum suavitate quæ in illo percipitur.

2. Si verò qui mundum colunt, intolerabilem serviunt servitutem: nunquid turpe est dæmonis & cupiditatum esse mancipium? nunquid vitæ solutioris homines sui similes, si minus palam, certè in corde

ſuo damnant? an is lætari poteſt, cujus animus premitur ſcelerum conſcientiâ, & cupiditatum procellis exagitatur? quid mundo ſervimus? quid mundum amamus? quandoquidem *laborioſior eſt hujus mundi amor, quam Dei.* Auguſtin.

3. Unde tamen tam multi mundo, tam pauci Deo ſerviunt? ex eo ſanè, quod neglectis evangelii placitis, mundum duntaxat audiant, quod mortua ſit multorum fides, quodque plerique pravam conſuetudinem non veritatem ſequantur. *Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit.* Tertull.

S. IGNATIUS LOJOLA CONFESSOR.

31. Julii.

Omnia in gloriam DEI facite.

S. Paul. 1 ad Cor. Cap 10.

IGNATIUS è Nobili milite Societatis Jeſu Dux, animi ſanitatem pedum debet vulneri, hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, Caſtitatis verò donum Virgini Magnæ, quæ cum filiolo ſuo ſpectandam illi ſe dedit. Ad hujus aram, cùm opima ſpolia (arma ſibi detracta) ſuſpendiſſet inter miros pænitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Aſceticum ſcripſit, quem ne libro ſatis laudes. Cùm ho-

ras

ras Virginis percurreret, ad arcanum SS. Triadis aspectum admissus est: ejusdem Sabbatho extra se raptus, nonnisi altero Sabbatho ad corpus rediit. Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui JESUS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major Dei Gloria*: perquam familiaris illa cum lacrymis vox: *heu quam sordet terra, cum cœlum aspicio!* Hoc obtinuit Anno M. D. LVI. Vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiæ bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus; frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque Orbis, ille Christo subactus, hic servatus, & quicquid in utroque filii & faciunt fortiter, vel patiuntur, id omne IGNATII est opus. De Sodalitatibus Virginis quid dicam? quisquis ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIUM patrem dices. *Ex vita.*

MEDITATIO.

De tribus gradibus ad perfectionem

1. S. Ignatius in suâ solitudine formam designavit Spiritualis ædificii, quod toto vitæ tempore ædifica-

dificaturus erat. In libello excercitiorum aperit viam perfectionis quam ipse secutus est, quamque alii sequi possunt, ut recta & compendiosa via perveniant ad veram perfectionem. Primò lacrymis, & acri pœnitentiâ expiavit peccata sua. Pœnitentia primus est ad perfectionem gradus, copiosis lacrymis delendasunt peccata: ita sancti omnes. An tu sanctos imitaris?

2. Secundus gradus ad perfectionem est imitatio Christi agentis, ac patientis, divinæ gloriæ & animarum salutis causâ: hanc Ignatius in exercitiis verbo docuit, & confirmavit exemplo. Omnino si quidem expressit illud prædestinatorum exemplar. Ut Jesus, quamdiu vixit: incubuit ad animarum salutem. Quamobrem injuriis appetitus carceri mandatus, & tantùm non occisus est. An imitaris patientiam & humilitatem Christi? S. Ignatii exemplo fac omnia ad majorem Dei gloriam.

3. Tertius gradus est humanæ voluntatis cum divinâ conjunctio; quâ S. Ignatius attigit apicem Sanctitatis, ad quam se ducem præbet in libello suo. Ut autem illuc pertingeret, omnibus valere jussis, adhæsit soli Deo: nos verò *omnia amamus, omnia colimus, solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* Salvianus.

AUGU-

AUGUSTUS.

S. FIDES, SPES, CHARITAS. Virg & Mart.

1. Augusti.

Sobrij simus, induti Loricam fidei, & charitatis, & galeam, spem Salutis. Thess. Epist. 1. cap. 5. v. 8.

FElix Roma, cui, quas nullus unquam pingere satis bellè pictor potuit, vivas spectare virtutes licuit, FIDEM inquam SPEM & CHARITATEM SOPHIÆ filias, Charitum Christianarum ipsissimam trigam. Ex his maxima XII. altera X. natu minima IX. omnes paucos annos, sed plurimas palmas numerant. Ecce enim virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet, sed matre duce & junctis copiis omnes vincunt. Igitur duello singulas aggredi Urbi præfectus statuit, & primò quidem Fidem. Contra hanc flagris pugnat, at tergum pro scuto objicit Fides. Sartaginem admovet ardentem ille, hæc ridet arietem. Ubera resecat gladius? gaudet fides ostentare

hæc

hæc cœlo vulnera. Caput reſcinditur, &coronatur ſcilicet. Ergo Spem aggreditur tortor, & nervos in virginem armat, at his ipſis fortior puella eſt. Jubetur proin ignis ſævire: ſed ad Virginem hic deficit, & in hoſtes ipſius pugnat, pice ardenti & bitumine perfunditur; nempe ad novam luctam inungitur. In hac ſororis mortuæ amplexibus inhærens, enſe vincit etiam ipſa, dum cadit enſe. Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus; ſuſpenditur Charitas ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter iviſſe in hoſtem credas, noveris in rogum ſuapte ſponte inſiliiſſe terebra poſt perfoſſam & gladio cæſam. Porrò mater magnanima Sophia, quæ & filias præſentiâ ſuâ & ſeſe filiarum virtute hucuſque animaverat, triduo pòſt inter funera ſua funus etiam ipſa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Romæ. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuiſſe Livio credam. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De Fide, Spe, Charitate.

1. *Sobrij ſimus induti loricam fidei.* Theſſ. c. 1. v. 8. ad reſiſtendum ſcilicet igneis ſuggeſtionum diaboli inquit Hyero. Plerique Chriſtianorum non credunt, vel

vel si credunt stultissimi sunt, quia vitam vivunt fidei contrariam. Quid dices si plus exigetur abs te, quia plus, quam alii, accepisti? quanta dona in baptismo; quantas gratias actuales? quam salubria edoctus es? *Omnino nihil prodest habere nomen Sanctum sine moribus.* Salvian. & S. Cyprian. *verè Christianus non dicitur, nisi qui Christo prout valet moribus coaequatur.*

2, *Et Charitatis &c. Fides operatur per Charitatem*, Gal. 5. si linguis hominum loquaris, aut Angelorum, si facultates tuas dederis pauperibus, si fidem habueris ut montes transferas, si dederis corpus tuum ut ardeat, teste Apostolo, & charitatem non habueris, nihil tibi prosunt omnia. Charitatis autem radix est gratia Igitur conare, ut opera tua procedant *ex corde puro & conscientia bona, & fide non fictâ.* 1. ad Tim. 1.

3. *Et Galeam spem salutis* quia Spes communit caput; id est cogitationes fines, & intentiones, operum. Spes facit ut ad Deum referamus omnia cogitata, dicta & facta nostra. Ut resistamus diabolo, ut aggrediamur ardua, roborati ad omnia dura, vel suscipienda cum Sanctis, vel toleranda. *Vivere verè mortalis, Spes est vitæ immortalis:* Aug. in ps. 3.

S. THEODOTE cum FILIIS. MM.

2. Augusti.

Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. Paul. 1. ad Tim. c. 4. Nu-

NUmerabat Theodote in viduo Thor
filios, quos è conjuge demortuo genu
erat, duos, quos verò Christi amore adopta
verat, vinctos ac captivos longe plurimos
Talem Diocletianus Leucadio, qui mirè ejus
nuptias ambiebat, tradit, quæ dum nullis
eam blanditiis capi videt, & domum ducer
jam desperat, vinculis certè captam ad Bithy-
niæ tribunal adduxit. Hic matris pectus pe
filiorum latus oppugnaturus Evodium pr
mo, tum minimum natu filium cuniculis ve
borum subruere annititur. His ubi nihil pro
ficere se videt, in apertam vim, verbera atr
cissima prorumpit. Sed plena animis verbe
quibus Mater ad constantiam suos firmabat
plus poterant apud filios, quàm verbera t
ranni. Interea Hyrtacus homo, non jam sc
leratus, sed scelus, pudicitiæ Matronali m
num afferre attentat. Sed qui pro hac tue
da excubabat Angelus, irruentem ita pugn
excepit, ut, quantumvis impudentis, vu
tum largo sanguine erubescere tamen facer
Post hæc præses matri geminam mortem m
natur, dum hunc sub oculis ejus filiis gem
nis intentat. Sed illa spartanâ voce hoc un
cum votum suum esse dicebat bis antè quà
semel mori, & filiorum prius oculos, quà
suc

ſuos claudere; ſcire ſe ad hoc filios genuiſſe, ut eſſent qui pro patria, Cœlo occumberent. Ergo in flammantem fornacem unà omnes injiciuntur. Et ecce continuò ſuperi probarunt & ad ſeſe rapuerunt aurum. *Ex act. S. Anaſt.*

MEDITATIO.

De pietate.

1. NOn potuit S. Theodote ſalubriora rudimenta dare filiis quàm pietatis. *Pietas ad omnia utilis.* Triplex autem eſt. Primò pii hominis eſt honorare Deum, à quo creatus eſt & conſervatur: quod officium adimpleveris ſi maximum honorem habeas omnibus quæ ſpectant ad cultum divinum, nimirum Sacerdotibus, templis, Ceremoniis, precibus Eccleſiæ. Quidquid eſt in palatiis regum, magnum eſt; magnum quoque & ſanctum eſt, quicquid eſt in domo Dei, etiam quæ parva videntur.

2. Pii hominis eſt parentes colere. Experta eſt hanc pietatem in prolibus pia mater Theodote. Deus præcipit & ratio docet hanc pietatem. Si jam mortui ſunt, ora Deum pro illis: hoc quidem ultimum, ſed ſaluberrimum eſt officium pietatis. Nunquid etiam tuus in illos amor nimis terrenus eſt? quoniam tam parum ſollicitus es de illorum ſalute?

3. Felicem ſe prædicabat Theodote quòd filios genuiſſet, qui pro patriâ cœlo occumberent. Hominis pii tertium officium eſt amare patriam ſuam. Recta autem erit Charitas erga patriam, ſi præluceas exemplo tuis civibus, & probitate tuâ ſias ornamen-

tum tuæ civitatis. Cede patriâ prompto ac libenti animo, si id Dei obsequium exegerit; quoniam orbis universus domus Dei est, & Patria christiani. *Non exilium metuo, domus omnibus una est.*

S. PETRUS Episcopus.

3. Augusti.

Scio opera tua quia nomen habes, quod vivas & mortuus es. Apoc. c. 3.

EX Principum Salernitanorum stirpe ajunt oriundum PETRUM. Sed ut in nobiliorem etiam familiam transiret D. Benedicti, non dubitavit purpuram cum cucullo mutare. Attulit tamen hic alteram illi purpuram, cùm Pont. Anagniæ ab Alex. Pont. Max. datus est. Sed nos illud multò pluris facimus, Cœlitibus tam familiarem PETRUM fuisse. Etenim cùm dubitatio suborta esset Agnanienſibus, num D. Magni ossa penès se haberent, eam ex omnium animo delevit ipse Magnus, & testis suus ipse verissimus fæminæ à paralysi afflictæ (excubare eam PETRUS ad tumbam Divi jusserat) sub noctem conspicuus suam præsentiam Episcopo, simul sanitatem ægræ nuntiavit. Idem D. Magnus PETRO oranti visus, iter illi Constantinopo-

lim

lim indixit, & simul itineris rationem edixit, ut quod valetudinem Imperatori allaturus, & invicem, quidquid postulâsset, esset ablaturus. Itur ergo Constantinopolim ad Michaëlem. Sed negat hic se vel Anagniam vel Medicum D. Magnum nôsse. Ut igitur nosceret, nocte insequenti cum morte luctanti Imper. spectandum se obtulit ipse Magnus & cum Magno VIRGO Maxima, monuitque PETRO crederet, medicinam morbo facturo. Accersitur igitur hic & valetudini restituitur Michaël. Rogat quâ medicinâ? Saluberrimo MARIÆ & Magni nomine. Pretium operæ porrò PETRUS suæ Anagniam hoc retulit, ut sumptus Imp. Michaël faceret in ædem maximam ædificandam suffecturos. Sed neque hæc licet magnifica explere oculos potuit PETRI. Ad cœli igitur templa abiit. Eodem tendis? per nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO.

De morbis peccatoris.

1. COEcus est Peccator, non videt bona Paradisi, non inferni supplicia, non mundi vanitatem: videt duntaxat splendorem auri, dignitatum fucum, & vanas deliciarum illecebras. Age verò peccator aperi oculos, vide deformitatem peccati, virtutis pulchritudinem, intuere brevitatem bonorum terrenorum, quæ ut somnia prætereunt.

2. Æger est peccator, ut ex humorum intemperie corpus, ita ex affectuum perturbatione animus ejus laborat; sic impeditur cupiditatibus, ut sursum tendere nequeat. Quære causam peccatorum tuorum, & sanè deprehendes omnia ex immoderatis affectibus promanare. Scrutare animum tuum, vide quid ames, desideres, odio habeas; & si quid tuis in affectibus effrenatum, aut minus rectum deprehendas, dic *Domine, quem amas infirmatur.*

3. Non solùm æger, sed etiam mortuus est peccator, cum gratiam amiserit, longè difficilior est peccatoris conversio quàm mortui suscitatio. O Amantissime Jesu? qui vitam profudisti, ut nos à morte liberares, suscita nos. Fac quod in te est, ut ad vitam gratiæ revoceris, & ora Deum ut tui misereatur. *Ægrotus sum, ad medicum clamo: cœcus sum ad lucem prospero: mortuus sum, ad vitam suspiro, tu es medicus, tu lux, tu vita Jesu Nazarene.* August.

S. DOMINICUS Confess.

4. Augusti.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Matt. c. 5.

ALterum ecce Orbis labantis columen DOMINICUM. Certè Innoc. Pont. Max. subji

ſubjicere humeros ruinam meditanti Lateranenſi Ædi vidit. Certè flagrantem à tergemino vitio orbem, totidem telis caſtigaturo FILIO MATER clypeum cum FRANCISCO DOMINICUM objecit; ut jam minus miret necdum natum ſive ore facem, ſive fronte ſtellam prætuliſſe. Et verò etiam hodie lucet in filiis, qui dum ſanctioribus roſis Lilium (Virginem) colunt, dignos ſe probant, quos (quemadmodum ipſe DOMINICUS habuit videre) velut pullos ſuos nunc pallii ſui alis foveat MAGNA MATER, nunc dormientes inviſat benè precabunda. Illud omnium bono ex *Virgine* Divus intellexit, toties advocationem pro nobis in Cœlis ad Filii pedes facere, quoties è terris ADVOCATAM ſolenni formula *clamamus*, ut qui rei non clamant, ſibi, non Advocatæ adſcribant, ſi pereant. Porrò DOMINICUS quatuor omninò infulas, quas alii tam ſtudioſè capiti quærunt, generoſo faſtu pedibus ipſe ſubdidit; ter noctu pœnas à tergo ſuo, pro ſe primùm, tum pro viventibus in graviori noxa, demum pro agentibus in igne piaculari Manibus expoſcit. Mitto in homines, dæmonas, adeoque Superos Imperium, quippe cùm toties jam hos exoraret, quos oraret. illud memorandum,

qui MARIÆ vixerat, non sine MARIA demor-
tuum esse. Affuit hæc, neque sola, sed inter
Filii & Cœlitum comitatum ad astra abdu-
xit. Viam inquiritis? per Rosaria ivit Do-
MINICUS. *Ex Vita.*

MEDITATIO.

In vitam S. Dominici.

1. UBi primum S. Dominicus baptizatus, stel-
apparuit in ejus fronte: quo Symbolo Dei
significare voluit, eum fore sidus fulgidissimum
cujus radiis universa Ecclesia illuminaretur. Mirur
quantùm ab ipsis incunabulis, pietatem, pœnite
tiam, aliásque virtutes adamârit! An Deo consecra
sti vitæ primitias? Ut S. DOMINICUS, ad quid refer
& in quo consumitur vitæ tuæ tempus? *Va tempori
quo non amavi te.* August.

2. Hoc sidus magnam radiorum copiam oriens e
miserat: Ast cum meridiem attigit emisit longè ma-
jorem, adeo ut universum terrarum orbem tum sui
tum fratrum sui ordinis concionibus illuminârit &
inflammârit. Si propter vitæ tuæ conditionem allo-
rum saluti vacare minùs potes, tuæ certè diligentiæ
vacare debes, & aliis bono prælucere exemplo.

3. Astra non extinguuntur, cum nostris ex oculis
subducunt sese; immò cum oriuntur & occidunt ni-
dem fulgent luminibus. S. DOMINICUS in Ecclesia sem-
per miro splendore præfulsit, & incredibili constan
tiâ ad DEI gloriam & animarum salutem ad mortem
usque incubuit. Labora pariter; castiga corpus tuum

Pœni

Pœnitnntiam age. Si quis velit tibi ſuadere ut operibus pœnitentiæ relictis oblectamentis indulgeas, *dic: Iſta felicibus: ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire.* Pacianus.

DEDICATIO S. MARIÆ AD NIVES.

5. Auguſti.

His qui vendebant columbas, dixit, auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Joh. 2.

ANnus agebatur Chriſtianus ſupra CCC LXV. quando Romæ civis fuit patricii ſanguinis & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto exſpectas Mariane, cùm IOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjuge ſuo, fuêre opes ingentes, ſed ſpes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cœlo adſciſco? & an explere dignioribus nominibus ceras poſſum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus eſt. Imò IOANNES non ſum, ſi hæredem MARIAM non ſcribo. Eja igitur Virgo, tu ſola

jam tabulas imple. Filio si careo, certè tu non cares, qui cum animum æternum oblectem. Audiit IOANNEM MARIA, & assemomnem in Montem Exquilinum conferre jussit templo exædificando eo in loco quem postero manè nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus, & faciliu utique grandinem quàm nives daturus. Adi tamen IOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pont. Max. in somno à Virgine monitus accedit & fundamenta templi jacit, quod per omnem orbem gerit. Miraris Sodalis Miraculum? laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego Virginis templa monstrabo. *Ex Brev.*

MEDITATIO.

Quomodo Deus in templis sit honorandus.

1. ADi sacras ædes, quàm poteris, sæpissimè: sunt domus DEI, ubi præsertim vult honorari, ibi gratias dabit DEUS, quas negabit alibi. Hic quære consilium, solatium à DOMINO. In afflictionibus, in necessitatibus templum sit refugium tuum. Huc si concesseris vivâ fide & humilitate non fictâ nihil non impetrabis. Sed proh dolor! *nos Ecclesiis ludicra antenimus nos altaria spernimus & theatra honoramus.* Salvian.

2. Noli

2. Noli facere domum DEI domum negotiationis: is autem in templo negotiatur, cujus animus cum orare deberet negotiis sæcularibus immergitur. Sathanas item in templo negotiatur, cum mentem hominum ad res vel turpes, vel certè hujus loci alienas allicit. in templum venisti Deum oraturus: Ora attentè & humiliter.

3. Attamen quælibet negotiatio in templo non prohibetur: ibi quippe licet terrenis bonis emere æterna, & cor suum Deo dare, ut cœlestibus flammis ardeat. Effunde lacrymas, & gratias profundet Spiritus sanctus. Pete veniam à Domino & veniam dabit. *Quoties in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem, cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* Cypr.

S. JUSTUS & PASTOR MARTYRES.

6. Augusti.

Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.

JUSTUM & PASTOREM Germanos Fratres duo sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi feliciori sorte unà uterque è cœlo adolescentiæ præluceret, involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, &

Complutum jam pervenerat; cùm hi pueruli, abjectis ultro tabellis, è ludo literario in campum prodire properârunt, factis ostensuri, quantum in Christiana Philosophia profeciſſent. Dixiſſes ad gremium matris currere, ita ad carnificum manipulos parili cursu contendebant. Dacianus ubi hæc inaudiit, virgis cædi imperavit. Sed illi ad imbellem scholæ metum ridere scilicet; supplicia hæc timidæ ætatis dicere, quæ sæpe nec pueris lacrymas excuterent. Alia itaque tormenta promeret, tyranno digna, & cum iis remibi cogitaret, qui prætextam cum superstitione jam posuiſſent. Et verò victoriam jamtum desperans Dacianus, non admiſſos educi extra urbem ad supplicium juſſit. Illi in amplexus ruere, novo more frater fratri mortem gratulari; hoc demum Christianæ Philosophiæ esse, mortem pro Christo contemnere; hoc Germani Fratris, Germano immori, nec satis disjungi, quos uterus matris junxiſſet. Ita animosi, & pleni, quæ in vultum etiam promicabat, lætitiâ, caput securi subdiderunt. Age nunc, quid ad hos discipulos Complutum: vel ipse cordubensis Philosophus? Certè Dacianus quamprimum aliò se contulit, non ausus porrò, cum viris

con-

congredi tam turpiter à pueris victus. *Ex Baron. & Lippeloo.*

MEDITATIO.

De Innocentia

1. *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum cælorum*, Inquit Christus. Parvuli innocentiam baptismi nondum fædârunt. Si tu maculâsti pœnitentiæ lacrymis lava animam tuam, nisi velis piacularibus ignibus purgari. Elige: Vide an pœnitentiam in hac vita vel ignes in altera malis. Si te lethalis peccati conscium mors occupet æterni te ignes manent, qui nunquam peccatum tuum purgabunt. duplici viâ itur ad Cœlum *in quod nihil coinquinatum intrabit.* Innocentiâ & Pœnitentiâ. *Primus felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere.* Cyprian.

2. Nihil debes agere, nihil dicere quod vitæ integritati ac innocentiæ repugnet. Locutio est cordis interpres, & ex abundantia cordis os loquitur: à corde itidem manat malitia cujuslibet actionis, Igitur serva cor tuum quia ex ipso vita & mors.

3. Lætare si quando innocens accusaris vel pateris, quòd Christo sis similis. Sustenta te rectè factorum conscientiâ conquerere cum Jesu de cruce pendente ut amicus cum amico, de facta injuria, dic: ah! nosti Domine falsum crimen mihi objici: sed alia commissi duriori supplicio digna.

S. ALBERTUS Confessor.

7. Augusti.

Propter

Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. Paul. 2. Cor. 3.

ETiam ALBERTI splendorem, brevia ab utero Matris lux indicavit. Et rectius Mariæ quàm hujus filium dixeris, quippe quam sterili ea lege illa dedit, ut bonâ fide suo servitio olim hæc redderet. Moram ipsis, quibus jungere se ALBERTUS parabat, Carmelitis quos vocant, interponentibus, graviter nihilominus Deipara parentes objurgavit. Nimirum furtum hoc esse cœlo dicatum terris velle mancipare, quid simiæ catulum amarent? parum interesse venere an amplexu partum enecarent: ut dare prolem, ita auferre cum luberet, superos posse. Audite parentes omnes: his monitis illi manum Deo, filium omnibus disciplinis excultũ, posthabitis etiam regiæ puellæ nuptiis, religioni dederunt, quoque magis jam Virgini sacrificium placeret, suismet manibus ad ejus aram candidissimam hostiam stiterunt. Hic ALBERTUS Orcum rivalem sponsæ vultum præ se ferentem, res sibi scilicet jussit suas habere. Subinde fatigatis obsidione & fame civibus tres cum commeatu triremes cœlo remige impetravit.

travit. Hebræos complures aquarũm vi abreptos in ſicco deſtituit, ſicco ipſe pede undas percurrens. Jam mortem quam cœleſti voce edoctus obiit Anno MCCXCII. æs campanũ an ſponte ſonans, integritatem corpuſculi odor ſuaviſſimus, beatitatem animi duo Angeli prodiderunt, qui dubiis an ut cœlitem colerent, an ut mortuum lugerent hominibus, ſub initium rei divinæ illa verba Os Justi præiverunt. Noſtras mortes ô quam rectè lugemus? *Ex Surio.*

MEDITATIO

De cauſis amandæ paupertatis.

1. COr noſtrum ut refert D. Paulus Dei templum eſt: at in eo Deus non habitabit, niſi vacuum ſit rebus profanis: itaque paupertatis eſt rejectis rebus crearis parare hoſpitium Creatori. Difficile eſt divitiis abundare, & divitias non amare: quamobrem tutius eſt omnia relinquere, & imitari Dominum Jeſum, qui nudus in cruce mortuus eſt. Beata paupertas cujus beneficio Deum poſſidemus? *nudum Chriſtum nudus ſequere: durum, grande, difficile! ſed magna ſunt præmia.* S. Hieron.

2. Si minùs divitiis, amore certè divitiarum careas: nullum ſcelus admitte, cupidine plura, ac plura ſemper acquirendi. Non cruciaberis bonorum amittendorũ metu: faciliùs eleemoſynam pauperibus erogabis. Bonorum cupiditas eſt radix omnium malorum.

Seru-

Scrutare animum, & perspicies antiquiorem tibi esse bonorum possessionem quam Dei.

3. Vera demum felicitas est parum habere nec plura desiderare. Unde tædia, anxietates, timores, assidui labores tum animi, tum corporis? nunquid ex divitiarum cupiditate: hæc enim cupiditas est implacabilis tyrannus, qui nullam finit carpere partem quietis. Ille nactus est felicitatem cui satis est quod habet. *Veræ divitiæ sunt, paupertas divitiarum.* Clemens Alexand.

S. MYRO EPISCOP.

8. Augusti.

Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Matt. 24. v. 45

NUllæ ceræ ornârunt MYRONEM, sed virtutes multæ, quas quidem neque numerare in hac pagella possumus, uti nec pauperes, quos pulchro ordine stantes per atria quotidie laudare nobilem ejus manum vidisset. Seminabat ille in hos, quidquid ager, quem colebat, dives dedisset, in fures etiam liberalis. Nam fortè ex his XII. in horreum se penetrârant MYRONIS. Ibi cum saccos frumento

mento, scelere animum onerâssent, injecit Deus furacibus manibus arcana vincula, crevitque facinoris pondus: ut ne humo jam tollere onus possint. Intervenit interea MYRO, cùm illi trepidi alia vincula sperarent, ille missionem dedit, & tergo improborum, non quod meruerant, patibulum, sed saccos, de quibus diximus, benè fartos suâ manu imposuit, emisitque gravi supplicio mactatos. Interea nihil decessit de MYRONIS opibus, quas ille scilicet eo loco, ad quem fures non adrepunt cœlo recondebat. Sub hæc virtus, sacerdotio, mox Episcopatu & miraculis est honorata. Nam & per medium fluvium Tritonem viam sibi fecit, & misso post, pro suo in illum imperio, scipione, coire iterum MOYSES noster jussit. Sed & Herculem in illo agnovisses, cùm ingens monstrum draconem clavâ, hoc est, oratione dejecit. Exinde reliquam vitam transegit tumulis Divorum exornandis, dum centenarius eundem honorem etiam ipse meruit. *Ex Menæis.*

MEDITATIO.

De fidelitate servorum Dei.

1. PRiorem ac potiorem fidem ducas erga Deum, quam divitias, honores, & ipsam vitam, ut malis carere his omnibus quam peccare. Fidelis est Deus

Deus in iis quæ ſponte promiſit, tu quoque fideli eſto in iis quæ Deo promiſiſti, quod ſi Deo datam in baptiſmo fidem fregiſti, Deus ſervabit ſuam, & e immittet mala quæ minatur in ſacris literis. *Da mih Domine ut amem te quantum debeo.* Aug.

2. Eſto fidelis etiam in minimis rebus: in iis ſiqui dem puriùs elucet amor Dei, timor arcet à lethalib peccatis, amor verò à venialibus: periculoſa ſunt il peccata quæ levia dicuntur, utpote quæ viam mun ant ad graviora ac plures in nos accerſant calamitat hæc enim morbis, afflictionibus plerumq; puniuntu in igne purgatorio ſenties gravitatem noxarum, qu leves duxiſti.

3. In omnibus demum eſto fidelis, ubique De ſerviendum eſt, cum ſit ubique terrarum, perſeve uſque ad mortem in fideli obſequio Dei: quia is dun taxat ſalvus erit qui perſeveraverit uſque ad finem Tibi liquidò conſtat honores, divitias, voluptate meram eſſe vanitatem, quid ergo iis in his negle cœleſtibus: *Omnia colit humanus error præter omnium Conditorem.* Tertull.

S. ROMANVS M.

9, Auguſti.

Qui crediderit & baptizatus fue rit, ſalvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Marc. 16

Levi

LEvita Laurentius bonum opus operatus est, non tantùm, cùm signo crucis cœcos illuminavit, sed cùm patientiæ suæ exemplo, Martyrem cœlo peperit. Miles hic erat, ROMANUS nomine, dum laminis candentibus semiustulatum Laurentium inter cruciatus ludentem aspiceret, capere non potuit, in tanto cruciatu, tantam vultûs serenitatem & lætitiam oris, ultrò testatus, nisi veri Numinis, roboratione constare, inter tam acerba supplicia, non posse portentosa hæc gaudia. Sic animatum confirmavit in sententia cœlestis genii intuitus, qui formosi juvenis sub persona, sudorem Laurentio abstergebat. Ita ROMANUS, reducto in carcerem Martyre, & ipse secutus, ingressusque ergastulum aquam obtulit, suppliceque genu baptismum à S. Levita petiit; non ut cordis æstum infuso fonte sopiret, sed ut velut in ustrina, laticis sacri aspergine, fortiùs cor igneſceret. Voto potitum fidei profitendæ novus S. ROMANUM invasit ardor, quo Valeriani tyranni succensa ira, jam non nisi Christianum se jactantem, gladio cæsum etiam Martyrem fecit. Ignem scilicet gladio fodicans.

Baron.

MEDITATIO.

De vita Christiana.

1. S. Hieronymus nobis præbet Argumentum hu-jus meditationis in Epist. ad Rusticum. Nihil (inquit) *Christiano felicius, cui promittitur regnum cœlorum*: hinc vera felicitas. Si sum Christianus, sum Filius Dei & hæres paradisi. O me divitem! ait Chry quoniam gratiam habens Deum habeo bonorum omnium fontem! Age anime mi! avola ad cœlum, c natus es: terram despice, utpote quæ curis tuis ind gna sit.

2. *Nihil laboriosius* dicit S. Hieron. Vitâ Christiani Ne nobis ipsi blandiamur: simus, non nascimur Chr stiani: militandum est non semel quidem: sed singu lis diebus, & ad ultimum usque spiritum, adversu mundum, carnem, & dæmonem. te sequar igitu domine! caput Spineæ coronæ, & humeros cru præfers, procul flores, procul deliciæ. An posse deliciis indulgere patiente domino meo? *fiunt non nascuntur Christiani* Tertull.

3. *Nihil fortius* (addit Hieron.) Christiano: q vincit diabolum, qui despicit mundum, & habet d vinum auxilium, quoties illud petit à domino. Vi quid passi sint martyres divinâ gratiâ freti. Quid ageres tu ipse, si tormentis probaretur fides tua? Christianus jugi mortificatione parare se debet ad martyrium. *Vita Christiani disciplina martyrij.* Tertull.

S. LA

S. LAURENTIUS M.

10. Augusti.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Joh. cap. 12.

DUcebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAURENTIUS expostulare cum hoc cœpit, non quòd ad præmia iret, sed quod sine filio iret. Enim verò qui ad aram socius fuerit, ad crucem se futurum. Ad hæc Sixtus: suum esse præire, Ministri sequi; suum, hæredem vitæ relinquere, cujus si fuisset, propediem etiam mortis futurum, thesauros interim Ecclesiæ Tyranni manibus subduceret. His lætior LAURENTIUS confestim opes omnes sacras in pauperum sinus abdit, hi cœlo condunt. Valerianum deinde hiantem & inhiantem ad templum ducit, & pauperum longo ordine de ponte gregem monstrans, hi, inquit, thesauri, quos orbis habet, sunt maximi; quin tu hos ambis avarus, hos foves, & si sapis, his tuum etiam jungis ærarium. Hic imperator virgas, flagra,

ignes inclamare, & hæc omnia continuò LAURENTIO carnifices admovere, ut jam abeuntem animam DEO martyr commendaret. Sed è Cœlitibus adfuit, qui ſudorem Athlethæ & ſanguinem linteo abſtergeret. Tyrannus interim os LAURENTII ſaxis, hic verò aures Tyranni verbis liberrimis pulſavit. Ad extremum craticulæ ſuper injectus, & lento igne toſtus, non tamen inſultare Valeriano deſtitit, ſed ſubinde arridens illi, *verte*, exclamavit, *& manduca*. At cœli, quos jam dudũ odor nobiliſſimi convivii exciverat, ad ſe tam nobile ferculũ rapuerunt, & convivas, ſi modò placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lippom. & Baron.*

MEDITATIO.

De S. Laurentio.

1 S. Laurentii pectus ſic amore divino æſtuabat, ut corpus ejus (ait S. Aug.) ſubjectas flammas non ſentiret. Quisquis ex animo Deum amat, is corpus, delicias, & vitam odit, adeò, ut continuò cupiat diſſolvi. Si ita eſt amantiſſime Deus! quàm parùm te amo! quàm malè utor tempore vitæ meæ? *Nam perdit quod vivit qui te non diligit.* Aug.

2. Mira prorſus eſt ejus patientia: non enim exſpectat ſed quærit tormenta & ut currum triumphalem ſic feralẽ craticulã aſcendit: imò ut acerbius eſſet ſup-

pli-

plicium, urget carnifices, ut verſent ipſius corpus in aliã partẽ. Si amaveris plus æquo corpus tuum, ſi mollius illud curaveris, te manent ignes inferni, vel certè purgatorii: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiaris incendium.* Aug.

3. S. Laurentius cœlos aſpicit & agit gratias Deo, quod holocauſtum ſuum admittere dignatus ſit in odorem ſuavitatis. Hæc duo imitare in afflictionibus, levatis oculis pete à Deo conſtantem patientiam, tum ipſi gratias age quod dignus habearis pro ipſo aliquid pati, & quod te flagellet, ut coronet. O Corporis mancipium! Deo gratias agis, dum conceſſis deliciis corpus tuum curat, & de Deo quereris? quando ſubinde afflictionibus curat animam tuam. Num anteponenda eſt cura animæ curæ corporis?

S. ALEXANDER EPISCOPVS.

11. Auguſti

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo Joh. Epiſt. 1. 2.

IN uno vultu & Philoſophum & Carbonarium & Epiſcopum & Chriſti Martyrem agnoſce. Poterat equidem ALEXANDER in-

ter sapientiæ candidatos facilè princeps esse, cùm ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiori ambitu sordidatus cœlum prensare, & inter sylvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea advenit Gregorius Pont (is qui à magnis mirisque factis nomen habet) Comanis præsulem daturus. Hic cùm omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectarent, unus Gregorius virtutẽ potiùs ait in solium extollendã, ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quin igitur (cum risu è turba nescio quis subdit) dictatorem ab aratro nobis aut certè à carbonibus suis ALEXANDRUM abduci imperas splendentemque jam antè à rogo suo infulâ insuper exornas? Enim verò Numine ita suggerente jubet abduci hominem Pontifex: mox indolem & modestiam altiùs æstimans, pro imperio vitæ ordinem sibi explicare; eâ intellectâ & sordibus absterstis mitrâ induì, indutum ad concionem dicere jubet. Tunc enim verò ALEXANDRUM præsulem suum cives jam non inviti salutarunt, finiitque cum plausu fabula. Ille cùm sanctè diu munus suum administrasset, à fidei hostibus demum igne exustus iterum carbones dedit, sed qui-

bus

bus Ecclesia hunc diem pulchriùs quàm gemmis suos olim Antiquitas signat. *Ex S. Greg. Thaum. & Virid. Rad.*

MEDITATIO.

De periculis mundi.

1. MUndi placita tantùm opponuntur placitis Christi, ut nemini mirum videri debeat, si in mundo spernatur virtus & vitium honoretur. *Vade & vende* (inquit Christus) *Omnia quæ habes & da pauperibus.* Vade [inquit mundus] & quoquo modo compara tibi ea quæ non habes, & indulge voluptatibus. Parcendum Christus; ulciscendum mundus clamat: perinde quasi humilioris sit animi qui parcendo Christum imitatur. Vide singula mundi placita & deprehendes omnia Christo adversari.

2. periculosis id genus placitis accedunt parva exempla: in mundo quippe studet quivis honoribus, divitiis & voluptatibus, & pauci admodum seriò suæ consulunt saluti in mundo volitat crimen propalam & sine rubore: ipsa verò virtus delitescit, metuens dicteria improborum, qui offenduntur ab iis, qui se Christi discipulos profitentur. *Malos quisquis non imitatur offendit.* Cyp.

3. Mundus obedit consuetudini, & non rationi aut Evangelio: illa consuetudo vitia celebrat, & virtutes dedecore aspergit. Attende ad tria hæc pericula. Vitam institue ex Evangelii præscripto non ex consuetudine: præsertim his noviſſimis temporibus, quibus, *præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt: quid est aliud omnis*

omnis cœtus Christianorum quam sentina vitiorum? Salvianus.

S. CLARA VIRGO

12. Augusti.

Dum Lucem habetis, credite in lucem ut filii lucis sitis. Luc. 12.

FRanciſci illuſtris partus Virgo CLARA eſt, mater eadem omnium Virginum, quæ Franciſci inſtitutum æmulantur, jam antè parenti ſuæ quàm naſceretur, à Chriſto è cruce laudata. Ergo unicum ſexûs ſui miraculum ea facere molles Virgunculas docuit, quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Aſperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem ſuum invexit, paupertatem cordi Deo eſſe, vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vaſe oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino Virginibus ſufficere. Neque erravero, puto, ſi Moyſi etiam fœminam æquiparavero. Certè obſidione gravi cùm Aſſiſium cingeretur precibus ante Euchariſticum Epulum CLARA depugnans omnes in fugam hoſtes egit, certiorque de victoria ab ipſomet ſponſo Chriſto eſt facta. Ab hoc aliàs nunc ad Naſcentis cunas

nas, nunc ad patientis tormenta spectanda cùm evocata esset, Crucis deinceps signo ita usa est, ut contra morbos Alexiteriarum, contra Orci minas Panopliæ vice esset. Jam moriens uti è terris cum purpurato senatu summum Pont. ita è cœlis cum candido Virginum agmine Virginum Reginam, & cum hac summum Numen ad se pertraxit; itaque in cœlo fuit, antequam fuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

In vitam S. Claræ.

1. S. Clara pingitur manu tenens Augustissimum Sacramentum, expressit illa virtutes Jesu Christi in hoc Sacramento delitescentis. Hic Christus pauperrimus est, omnibus siquidem thesauris & divinis attributis nudatus apparuit. S. Clara fuit quoque pauperrima: Ordinem monialium instituit quæ solis eleemosynis vitam suam sustentarent. Ut paupertatem Christus inveniret, de cœlo descendit: tu verò ut fugias eam, ad inferos præceps ruis. *Felicitas magna Christianorum quibus datum est, ut paupertate emant regnum cœlorum.* S. Aug.

2. Nihil castius Christo in Eucharistia, longè est à sensuum voluptatibus, quippe qui in eo sit mortui instar; S. Clara studio castitatis, usque adeo jejuniis & austeritatibus conficiebat se se, ut necesse fuerit S. Francisco ejus duriori vivendi instituto modum ponere. Quid ad hæc tu delicatule? quem terret vel so-

la cogitatio mortificationum, quas hæc virgo alacri animo quæsivit.

3. Admirabilis est obedientia Christi in Eucharistia. Obedit omnibus sacerdotibus, omni tempore & loco. Ita S. Clara obediebat S. Francisco: ita tu quoque debes obedire præpositis. Considera quomodo Christus obediat, & in Eucharistia, & in cruce, ut in posterum faciliùs obedias iis, qui vicem gerunt Jesu Christi.

S. CASSIANUS MART

13 Augusti.

Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus. Matt. 10.

PUlchrius longè CASSIANUS post Pontificatum, quem apud Brixentas gesserat, quàm post Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii exul aperuit, non ignarus has demum illas esse rasas tabulas, à quibus nec senectus mores expungat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu quoties juventus indignum tuis Doctoribus Minervâ ingrata persolvit?

solvit? Rapitur ecce ad Judices CASSIANVS, & impietatis in Deos damnatus pueris traditur excarnificandus. Nulla mora. Convolant velut ad terias literarias, pessimè feriati, & ad pœnas Magistrum nudum discipuli vocant. Pars tabulas capiti illidunt franguntque, pars graphiis, nunc punctim, nunc verso stylo cæsim invadunt, vulnera identidem conviciis interpolantes. Alii nunc demum sibi literarum videri Præceptorem, clamare alii; rogare, num rubrica hæc placeret? num amplus satis latusque stylus esset? sátne acutum foret epigramma, quod exararent? Alii denique hortari se mutuò, ne otiosi essent; hoc præceptoris semper unicum præceptum fuisse, nunquam stylum ponere, semper aliquid scriptitare. Et fortè unus è turba aliquis: ingrati non erimus CASSIANE Magister? multas fateot tibi debemus, sed, hem! quas accepimus, omnes reddimus, & cum fœnore, plagas. Quærebat interea,

per mille vulnera exitum ingens anima
nec reperiebat, usque dum omnia in unum confusa victrici
in cœlum viam fecerunt.

Ex Erudent.

ME-

MEDITATIO.

De Martyrijs Impiorum.

1. HAbet & mundus ſuos Martyres quos pungendo conficit & dæmoni immolat. Avarus pungitur ad mortem uſque curis divitiarum. Niſi enim divitiæ pungerent Salvator eas ſpinis non comparaſſet, habentem pungunt curis, ne amittat, non habentem pungunt, ut obtineat. *Tam deeſt avaro quod habet, quam quod non habet.* Si videt potentiorem ſe, timet raptorem. Si infirmiorem, ſuſpicatur furem. Quam felix qui ſe his ſpinis extricare poteſt.

2. Etiam voluptas habet Martyres, quos pungendo cruciat, & enecat. Nunquam guſtatum eſt melvoluptatis; & non continuò inhæſit mortis aculeus. *Modicum mellis guſtavi, & ecce morior* dixit Jonathas, ſed melius peccator dicet. *Ecce morior* mortis aculeus eſt, recordatio mali patrati. *Ecce morior* mors prima peccantis animæ eſt privatio gratiæ. *Sicut exſpirat corpus cum animam emittit, ita exſpirat anima cum Deum amittit.* S. Aug. Serm. de verb. Dom. *Et ecce morior. Pars illorum, erit in ſtagno ardenti igne & Sulphure, quod erit mors ſecunda.* Apoc. 21.

3. S. Caſſianum æquè puerorum ferrei ſtyli, quàm contumeliis & ſannis aculeatæ linguæ pupugerunt. S. Bern. *Levis quidem ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat, facile volat ideo facile charitatem violat.* Cave proximum aculeatis verbis pungere. Quod ſi ipſe te linguâ ſuâ configere auſus fuerit, cogita Chriſtum *poſitum in ſignum.*

S. EU-

S. EUSEBIUS PRESBYTER CONF.

14. Augusti.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij nominemur, & simus. Johan. Epist. cap. 1.

OBstupuit orbis Christianus, quòd videret se esse Arrianum, priusquam sentiret quod desineret esse verè Christianus. Adeo Constantius Imperator impietate suâ virus hoc grassari impunè fecerat & quamvis Ecclesia haberet medicos insignes, qui malo grassanti sese opponerent, pertinax tamen caput Imperatoris medicinam non admisit: Ille enim Episcopos non paucos, & Sacerdotes vel morte vel exilio mulctavit; quos inter Eusebius erat. Sacerdos Romanus, qui cum acriter Arrianis resisteret, nihil tam ægrè tulit Constantius, quam agnominem fidei Constantiam in Eusebio, pto eo, quòd veram fidem constanter ac liberè pugnaret, in tam arctum carcerem compingi jussit, ut vix movere se posset, quin potiùs, ut in vivis sepultus lateret. Solidum semestre sic tenuit virum

rũ ſanctũ, donec à Domino precibus aſſidu impetravit, ut ex carcere in libertatẽ filiorum Dei evolaret. Ejus tumulo hoc Epitaphium inſcripſerunt, Gregorius & Oroſius Presbyteri, qui ſanctas ejus exuvias ponè corpus S. Sixti ſummi Pontificis humaverunt. Hic JACET EUSEBIUS VIR DEI.

MEDITATIO.

Chriſtianus ſit HOMO DEI.

1. HOmo Dei es, quippe qui te creavit, conſe vavit, & innumeris tum communibus, tu ſpecialibus beneficiis cumulavit. Deus Dominus e Pater judex, omnia. *Nonne Deo ſubjecta erit anima m* à quo tanta accepi, & cujus ſum tot nominibus.

2. Quandoquidem es homo Dei, debes ad Deu referre actiones, verba, & cogitationes tuas. ad quem arbor pertinet, jure collegerit arboris fr ctus. O te felicem! qui poſſis tàm liberali domi laborare. Cui placet labor tuus, ut copioſam merc dem daturus ſit: Da operam ut corpus, anima, me moria, intellectus, voluntas, ſenſus denique omn Deo ſoli laborent.

3. Si non es Homo Dei, cujus es amabo? an dæ monis qui tuæ animæ exitium minatur? an mundi q te decipiet? cui ſervis ſi non ſervis Deo? an corpo quod corrumpitur? an honoribus qui prætereunt an divitiis, quæ morte relinquuntur? Age ſanè, quæ re Dominum, qui poteſtate, & bonitate Deum æ quet, & ſi quem nactus eris, ipſi ſervias: Si verò nul

lum

lum inveneris, revertere ad Dominum Deum tuum. *Si quis pietati studet Dei homo est, Si impiè agis, Diaboli est. Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.* S. Ignat Mart.

ASSUMPTIO B. M. V.

15 Augusti.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. cap. 20.

AGe penna, quid humi repis dum Virginem laudas? altiùs vola, & supra cœlos laudibus hodie merentem tolle. Sequimini Sodales, si Germani Mariæ pulli estis. Crescebant, & oculos; cœli multùm delectabant primi Ecclesiæ flosculi, cùm hos è cœlo Filius, in terris Mater foveret. Sed denique ille Matrem terris, hæc filium cœlis invidebat. Ergo iterum boni nuntii bajulus Gabriel adest, & ad suavissimum mortis somnum invitat. Adsunt interim divino nutu, qui toto orbe divisi erant Apostoli, & lectulum abiturientis ambiunt. Cerneres pro Virgine certantem cum cœlo terram. Hinc filii lacrymis retinent, & amplexu morantur; illinc suavissimi cœlitum moduli animam beatam proliciunt, trahuntque ah! sponte properantem. Suscipit proinde Matrem Filius, si-

num-

numque pro sinu rependens illuc evehit, unde unum illa Deum suspicit, alia omnia despicit. Solabatur terra luctus suos optimo spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cum, ita Numine volente, seriùs è XII. proceribus Thomas adveniisset, & amissam Matrem etiam in tumulo mœstus quæreret, præter lintea, tam magni thesauri nuper involucra, nihil reperit, quòd cœlum etiam corpus subduxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere: Nunc, si terram nauseas Virgo, scande cœlum. *Ex Brev. Rom. &c.*

MEDITATIO.

De Assumptione B. M. V.

1. MOritur Beatissima Virgo sine dolore, sine more, sed incredibili cum gaudio, præ desiderio quo flagrabat videndi filium. Amore dissolvetur Maria, ut sit cum Christo. Tu quoque moriris, sed quomodo? in mediis doloribus & timoribus. Roga Mariam, ut impetret tibi gratiam benè moriendi, quam Christus nulli servorum matris suæ negat, & cum aderit momentum illud terribile dic cum Justo Lipsio. *S. Maria adesto mihi cum tota æternitate decertanti.*

3. Resurgit Maria neque enim dicebat putrescere sacrum Mariæ corpus, in quo verbum caro factum erat. O! quantùm gaudeo, Virgo Augustissima, quod

quod tantum tibi beneficium collatum sit. Corpus meum! resurges, sed nescio utrum ad gloriam vel ad miseriam sempiternam: fallor, scio, manet me gloria si serviam Mariæ: *Nam cliens Mariæ nullus æternùm perit.*

3. Triumphat Maria, & cum admirabili apparatu cœlos ingreditur: occurrunt Angeli, Pater æternus eam suscipit ut filiam, ut matrem Christus, & Spiritus sanctus ut sponsam, atque plaudente curiâ cælesti ad filii sui dextram collocatur. Jo anime! omnia impetrabis intercessione B. M. Virginis, quia ut nunc omnia potest, sic omnia cupit tuâ causâ: At quibus adhuc officiis tibi Mariam conciliâsti? ut pro te intercedat.

S. ROCHVS Confessor.

16. Augusti.

Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia & fames, & terræ motus per loca.

Matt. 24.

NAscitur Rochus loco perillustri in Gallia, portentosâ Cruce à Matre rubens: ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit, ipse ditione suâ patruo commissâ. Italiam Religionis causâ petit. Hîc dum laborantibus peste servi-

tium ſuum addicit, magnâ omnium admira-
tione quàm plurimos ſanitati Crucis ſigno
reſtituit. Secundùm hæc divinitus edoctus,
quibus malis porrò exercendus eſſet, acutâ
primùm febri tentatur, mox ſagittâ coxam
trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in
patriam repedat, iterum æger ex itinere ſub
arbore decumbit, Annonam in dies ſingu-
los panem unum cane ſubminiſtrante. Re-
dux denique in ſuam ditionem, eandem do-
mi quàm foris fortunam, hoc eſt iniquam re-
perit. Graſſantibus enim per ea tempora ubi-
que bellis, pro exploratore habitus captus
que ab ipſo patruo hoſpitio publicitus, ho-
eſt, carcere excipitur. Hoc cùm mille modi
abſolvere ſe ipſum poſſet, quinque ipſos tu-
men annos delitescit. Tandem cùm nomen
tabulæ ſuum inſcripſiſſet, ſimul amplam
ſponſionem, quâ cœlum omnibus peſte co-
reptis medicinam Rochi interceſſionem fo-
re edixerat, peſte ipſe Medicus peſtiferorum
decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus e
gemino carcere evolaret. *Ex Lippeloo.*

MEDITATIO.

De flagellis Dei.

1. DEus ſolet tribus calamitatibus, peſte, bello &
fame punire peccata, & peccatores ad of-
ficium

ficium revocare. si flagellaris his, vel similibus ærumnis, utere verbis, quibus S. Lupus excepit Attilam qui se flagellum Dei nuncupabat. Bene habet, veni flagellum Dei, optatum advenis. *qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis* Salv.

2. Quos amat eos castigat Deus: flagellat filios suos morbo, dedecore, bonorum jacturâ. Nimirum ut rebus creatis minus adhæreant, utque probati igne tribulationis, tanquam aurum in fornace, non probentur igne purgatorio. An ego queror? quòd Deus mutet durissima supplicia in leviores labores?

3. Improbi verò bonis omnibus circumfluunt: voluptatibus, honoribus, divitiis redundant; diceres eorum fortunam famulam esse, sed ne invideas felicitati aliàs fortasse quædam præstiterunt operabona, quibus ab æquissimo Deo levis ac brevis merces conceditur: sed misera felicitas? *Illi namque irascitur Deus: quem peccantem non flagellat: nam quem flagellando non emendat, illum in futuro damnat.* Bern.

S. MAMMAS MART.

17. Augusti.

Eramus & nos in malitia & invidia agentes, odibiles odientes invicem; cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, secundum suam mi-

sericordiam salvos nos fecit
ad Titum cap. 3.

QUi puerum MAMMANTEM Martyrem miraris, noveris, Lac Martyris bibiſſe in carcere quippe natus primas cunas vincul habuit, primùm ridere inter utrumque parentem mortuum viſus eſt, cùm pater ante ejus ortum, Mater non multò poſt obiiſſent. Talem Matronæ commendavit Angelus educandum. Mox, cùm annum ageret quintum decimum, virum jam ſe tyranno, & contra verbera Spartanum, contra ignes Romanum præbuit. Undis deinde ſuffocando iterum Genius Tutelaris adfuit, actisque in fugam tortoribus, Martyrem in montem duxit. Hîc generoſus puer tot jam penè nutrices quot ſylva feras numeravit; cùm hæ ultrò divi mulgentis manum ambirent, iiſdemque deliciis & famem nobilem & ſitim pellerent. Atque hujus miraculi fama, cùm aures præſidis pulsâſſet, equites miſit, qui MAMMANTEM ſiſterent. Excepit MAMMAS ignaros, primumque lacte & caſeo, tum ipſe ferarum ſpectaculo recreatos in urbem eſt ſecutus. Iterum ergo plagis ſævitum; ſed quas interideret MAMMAS, iterum fornax ſuccenſa

ſed
cere
ſus
ban
mo
que
extr
chri
1. C
agni
ris,
Cav
creſ
rata
Qu
in n
adu
mo
2
tud
bui
tate
nen
næv
Aff
& c
ſe

sed in qua quartum puerum Babylon agnoscceret. Feris quoque cum objectus esset, Ursus Pardúsque sudorem Athlethæ absterge-bant, leone interim, qui comes Martyri è monte iverat, in carnifices grassante. Denique tridente confossus MAMMAS, ilia effusa extra urbem extulit, & moriturus ipse sepulchrum speluncam subiit. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.
De Humanitate.

1. S. Mammas velut alter *David lusit cum Leonibus quasi cum agnis, & cum ursis similiter fecit sicut cum agnis in juventute sua* Eccl 47 Conversando cum feris, feras reddidit humanas, hic lusus fuit Innocentiæ. Cave sis ne tu colludendo passionibus tuis tinas illas crescere & adolescere tecum, ut consuetudine roboratæ te humanitate privent & in belluam transmutent. Quomodo tractas brutales passiones tuas? dominare in medio illarum, ne dominentur tibi, consuetudine adultæ. *Desinit esse locus remedio, ubi quæ fuerunt* vitia *mores fiunt.* Sen. Epist. 39.

2. S. Mammas quam expertus est à feris mansuetudinem & liberalitatem, iterum suis hostibus exhibuit. Revoca tantisper ad lydium lapidem humanitatem tuam. Humanitas amat omnes, nocere cupit nemini, prodesse studet omnibus. Tolerat aliorum nævos & infirmitates. Juvat consilio, juvat & opere. Affabilis est & comis erga omnes. Quid habes ex his? & quantum non habes?

3. S. Mammantis curator fuit Angelus, Tam humani sunt Angeli erga clientes suos quorum tamen nec mores nec naturam habent, Et quam facilè tu averseris illorum familiaritatem qui tibi moribus vel affectu contrarii videntur? *Conservare humanitatem quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit, & idem quod nos sumus.* Lact. lib. 6. cap. 11.

S. HELENA IMPERATRIX.

18. Augusti.

Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Luc. cap. 42.

PLerique filii Matribus debent meliorem vitam quam iis cum lacte piè instillant, at HELENA à magno filio Constantino, cui corpus dederat animæ creditur recepisse splendorem: siquidem, quam de cœlo doctus erat religionem filius, tam largè piâ adhortatione & exemplis communicavit Matri, ut in pietatis Christianæ officiis cum filio deinceps decertaret. Plurimæ ejus dote à fundamentis erectæ vero Deo sacræ ædes, nullæ, quas visebat, non regia liberalitate donatæ: viva veri Dei templa pauperes, milites captivos, & qualicunque demum calamitate oppressos sublevabat largitionibus, atque etiam ditabat. Palmare est, quo ejus religione quæsit

& inventa SS. Servatoris noſtri Crux fuit, primaque veneratione adorata: & pars triumphi erat, cùm convocatis, quæ Hieroſolymis erant, omnibus Deo dicatis virginibus, ancillari Imperatrix habitu aquam affundit, ciboſque & potum regiis porrexit miniſtra manibus in lætitiæ ſcilicet ſignum & Servatoris noſtri imitamentum, Sic merita optimè de Chriſtiano orbe præſente Imperatore filio, octuagenaria defuncta, cœlum ingreſſa eſt, ad quod clave Crucis, quàm ante ſedula invenerat, viam ſibi aperuit. *Lippeloo. ex Euſebio.*

MEDITATIO.

Crux conſolatio Chriſtianorum.

1. Nihil tam conſolatur Chriſtianum, quam ſanctæ crucis aſpectus: ea docet quam fortiter exemplo chriſti adverſa pati debeat. Crux fidem vivificat, ſpem confirmat, & accendit charitatem: calumniæ, paupertas, omnia denique mala jucunda ſunt intuenti Ieſum de cruce pendentem. Quiſquis te aſpicit Amantiſſime Jeſu exaltatum à terra, vel ſanatur vel certè dulceſcunt dolores ejus. *Non interroges quæ pateris, ſed quæ Chriſtus paſſus eſt.* S. Bern.

2. Quàm ſuave eſt chriſtiano! imminente morte crucẽ intueri, mori in ejus amplexu. Ah! quantum illo momento confidet cruci! quantum ſanguini, quem Jeſus in cruce pro eo fudit, nihil jucundius, nihil tutius quàm in cruce mori. *Contemnenda tibi mors eſt, cui Chriſtus occiſus eſt ante oculos.* Cyprian.

3.

3. Quanto gaudio afficientur veri Christiani cum supremo judici die videbunt signum crucis. At quanto dolore cruciabuntur improbi, cum idem signum, quod tanto odio habuerunt, contemplabuntur! lamentabuntur illi quod levem & momentaneam crucem deposuerint, ut graviſſimâ & æternâ cruce sine spe, sine consolatione opprimantur.

S. LVDOVICVS Episcop

19. Augusti.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus Paul. ad Philip. 4.

LUDOVICUM Caroli Regis Siciliæ primò, pòst S. Franciſci filium tenes. Puerulus somnum statis humi precationibus interpellavit. Caponem quo pauperum præda esset, pio furto è mensa ablatum, cùm parens id subodoraretur, in rosas vertit. Arma ludicra tractantem cùm equus abjeciſſet, viciſſim mundum ludibrio habiturus arma ipse & equos abjecit. Quare quo die Soror in manum hominis convenit, ipse sacris initiatur Virginitatem Deo despondit, dæmonemque sub fele insidiantem signo Crucis elusit. Æger voto ad D. Virginem facto è morbo surrexit, & in D. Franciſci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolosanum evectus est. Virginem

uti

uti in omni vita, ita in morte frequentissimè salutavit. Causam rogatus id solum respondit. *Morientem illa juvabit me.* Neque falsus est visus inter Angelorum manus in cœlos evolare, auditæque ejusmodi voces: *Sic fit servienti Deo in munditie & puritate.* A morte multi propitium mortales habuêre. Inter hos Dionysium Lusitanorum regem numerant, quem ursus ex equo in ultimum periculum dejecerat. Sed in tempore Ludovicus è cœlo adfuit, monstravitque Dionysio, qui pugione mortem à se in ursum averteret: hoc Beneficium Ludovici gratumque Dionysij animum, Ædes sacra extructa & in Æde Epigraphe hæc (Ludovico Servatori) loquitur. *Ex Lipeloo.*

MEDITATIO.

De Modestia.

1. HÆc Virtus, quæ moderatrix est exterioris hominis, maximè decet Christianum, qui, cum sit imago & exemplar Jesu Christi, & modestè agere, & modestè loqui debet. Ubique Deus, ubique Angelus tuus te videt, homines porrò plerumque te observant. Nunquid hæc sufficiunt, ut sedulo amplectaris egregiam hanc virtutem, quæ Deum honorat, & homines allicit ad sanctitatem. *Quàm pulchrum est, si videaris & prosis!* Ambros.

2. Ad usum modestiæ, ratio habenda est ætatis, vi-

tæ, conditionis, loci, occasionis; hæc virtus oculos, manus, linguam, omnem denique hominem sic moderatur, ut qui vident Christianum, dicant: ita Christus incedebat, ita loquebatur, ita agebat cum hominibus. An de te hæc dici possunt? *qui dicit se in Christum credere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hieron.

3. Exterior modestia ab interiore omnino pendet, facies est interpres cordis, si domitas haberes cupiditates si semper Deum præsentem cogitares, facile ad modum esses modestus, nec animus tuus extra se quæreret quietem, quam in se inveniret. *Animus in corporis gestu apparet, & species corporis simulachrum est mentis figuraq; probitatis.* Isidor.

S. BERNARDUS ABBAS.

20. Augusti.

Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est.

Matt. 12.

BERNARDVS est, ille (invidete Mariani) Dei collactaneus, quem mater cum utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesia latraturum. Puero Puer Christus nocte Natalitia visus est, nobilius omni die spectaculum. Adolescens quòd oculum in fæminam defixisset,

xisset, in rigentes aquas insiliit incendia aquis præventurus. Alias cùm ejus pudori insidias hospita strueret, *latrones*, *latrones* iterum iterumque clamavit, ratus diriſſimos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cistercienſe Monasterium XXX. secum ſocios traxit. Hos inter cùm fratres omnes Bernardi præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter valedicendum dixisset: *Eja frater, te unum jam hæreditas paterna ſpectat*; supra omnes senes doctè puerulus respondit: *pulchrè verò assem dividitis: vobis cœlũ habetis, mihi terram reliquam facitis; at hoc fide profectò minimè germanâ.* Mox cùm per ætatem licuit, fratres secutus litem de cœlo illis non ingratam fecit. Eruditionem Bernardi loquuntur ejus volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cùm de mellea Virgine sermo est; ut meritò ex hujus uberibus hausisse hoc nectar credamus. Sed & nobis iidem fontes essent, si eadem cum Bernardo sitis esset. *Ex vita ejusdem.*

MEDITATIO.

De S. Bernardo.

1. LIquet S. Bernardum filium esse Mariæ, cum eum lactârit: S. Bernardus tantæ gratiæ memor, ubique

ubiq; promovit cultum matris suæ, ex Mariæ laudibus, quibus renident ejus opera, apparet quantum eam amaverit. Uti Bernardus, sic esto filius Mariæ; Ah! materno amore me complecteris Maria? ipse verò vix te amo! sum degener filius, ubi enim puritas, ubi reliquæ virtutes? quibus Matri meæ similis esse deberem.

2. Ad hæc S. Bernardus frater est Jesu Christi. sugxit idem lac, & eosdem mores exprimere conatus est. De superiori loco verba faciens, tam vivis coloribus mundi vanitatem pingebat, ut adolescentes quàm plurimi, spreto mundo ad monasterium convolarent. Ejus oculis perpetuò obversabatur passio Jesu Christi. An nos Jesu Christi? an facimus semper quæ placita sunt Deo patri?

3. Quatuor hæc S. Bernadi verba altius hæreant animo. 1. Terribile est Deum exinaniri, & vermem gloriari. 2. Quo majorem quæremus in creatis consolationem, eò minorem reperiemus in Deo. 3. Sæpius se interrogans, *Bernarde* (ajebat) *ad quid venisti?* nunquid ut sanctus fieres? 4. *Singulis horis cogitare debemus, quò singulis properamus.* S. Bernardus.

S. BASSA Cum FF. MM.

21. Augusti.

Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam

filiam adversus matrem suam, & inimici hominis domestici ejus.
Matt. 10 cap.

BASSA non tam tergemino filiorum partu, quàm morte felix vixit sub ea tempora, quibus Maximiani ferro longè plurimi Martyres vixerunt. Dæmonum sacrificulo, hoc est, agna lupo juncta. Sed & filii matrem vultu, non patrem retulerunt, utpote omnes Christiani. Eam ob rem unà in jus iniquissimum rapti, accusante ipso filios patre, & uxorem marito damnante. Primùm ex equuleo pendere viderunt cœli & laudârunt THEOGNIVM membris lacerum, animo integerrimum. Alterum AGAPIVM virgæ non puerum sed virum probârunt, & sine cute jam sua fortiorem quàm in alienis exuviis Herculem. Alia item tormenta tertium fratrem sanè Germanum probarunt. Omnes igitur eodem gladio cæsi, eâdem palmâ coronati. Ad quem nuncium BASSA plus aliquantò exsiliit gaudio, quàm si uno die vicisse, omnes in Olympicis audiisset. Interea hanc carcere & fame vexatam Angeli cibo suo recrearunt, ut suum terræ jam minimè inviderent BASSA. E carceribus ubi prodiit, ignem

nem, aquas, lapidantium manus & Deos ipsos humi dejectos fœmina triumphavit. Triumphum splendidiorem feræ immissæ reddiderunt, quas cicurare Virtus potuit, non tyrannum, qui toto mari obruere triumphum BASSÆ voluit. Sed in fluctus abjectam matrem glorioſi è cœlo filii naviculâ excepêre, & ad portum incolumem deduxêre. Verùm illa potiùs cœleſte littus ſpectabat. Atque ad hoc octiduo pòſt etſi cruribus fractis & ſine capite, enatavit tamen per ſanguinem ſuum. *Ex Men.*

MEDITATIO
De fortitudine Chriſtiana.

1. QUia ad certandum inunctus eſt Chriſtianus, opus eſt generoſo animo, ut fortiter tueatur quæ ſunt Jeſu Chriſti, & propugnet illius gloriam. Imò vitam profundere paratus ſit, ſi ita expedit gloriæ divinæ & animarum ſaluti. Sed nunquid ferveat animus, quando tuus, vel regis tui honos appetitur? & unde friget cum tuæ ſaluti conſulere, & Dei partes tueri debes?

2. quia nihil tam emollit quàm caro, & ſanguis, ideo homini Chriſtiano fortiter omnis affectus immoderatus erga carne & ſanguine conjunctos procul deponendus eſt, ſed quem multos illaqueat hic amor! nunquid & te impedit? quoties ſtudio placendi aliis, negligis ea, quæ Jeſu Chriſti ſunt? & curas quæ

quæ hominis sunt? an æquè? & ex quibus rebus argui potest tuus in Deum amor? quam amore, quo erga alios afficeris. *Utinam saperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt.* S. Bernardns.

3. Fortitudinis Christianæ comes est fiducia in Deum. Non petit à nobis appellari Rex noster, sed pater, vult ut singulari fiducia confugiamus ad se tanquam ad patrem, si nos mundus ex odio Dei persequitur. Quàm fiducialiter agis cum Deo? *quis ei de sæculo est timor, cui Deus in hoc sæculo est tutor.* S. Cypri. de Ser. Dom. & S. August. ait, *non timeat anima quæ amat, sed paveat, quæ non amat.*

S. SYMPHORIANUS M.

22. Augusti.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matt. 18.

ANno post Deum hominem CCXXIII. SYMPHORIANVS Juventutis Augustoduni in Gallia princeps, quòd cultum Diis negâsset, jussu Heraclii, qui pro Valeriano illic furebat, in vincula est abreptus, sed quæ ille digna nobilitate Christianâ monilia putavit. Pugnabat in fortissimum juvenem gemina acie tyrannus: hinc agmen, minæ, verbera,

bera, flagra, illinc blanditiæ, munera ac pro
missa ducebant, perrupit tamen Martyr u
trumque cornu, & illud constantiâ, hoc
etiam risu vicit fuditque. Sed victorem pes
simus Judex ad gladium damnavit. At SYM
PHORIANVS præferri sibi secures non i
supplicium, sed triumphum putavit, quem
augustissimum mater triumphantis fecit
dum his vocibus è tecto & ipsa triumphans
acclamavit. Io! fili, triumpha. Io! tecum
Mater triumpho! quid enim? Certè victo
rem filium, præferri secures, & sequi victum
Tyrannum video, sed cur sine purpura
fallor; an tuus hanc cruor dabit? Et cur sine
corona? iterum fallor: cœlum hanc dabit
nec è mortali lauro dabit, Superi! filio jam
supervivere matrem juvat, juvat oculos clau
dere. Audite votum novum sidera & tu fili
i, sanguine subscribe. Hæc aut similia mater
filius interim cœleste jam capitolium victo
tenebat. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

De vitæ brevitate.

1. SYmphorianus Juvenis annis sed vix fortibus se
ctis. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*
Vita momento labitur, dies, menses, anni, tempesta
tes, ætatestam rapido cursu sibi succedunt, ut morta
mu

mur, cùm vix vivere cœperimus. Quò florens juventus fugit non reparabilis! ah! si datum tibi tempus meliùs collocasses, tunc præmium ingens tibi maneret. *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus.* Senec.

3. Non modò brevis est vita nostra, sed redundat miseriis, cœlum vel maximè serenum nube non caret. Contendo te nullis unquā mundi voluptatibus potitū fuisse, quin fuerint felle aliquo permixtæ. Ah! amaræ sunt deliciæ, quid dolores, quid gemitus, quid lacrymæ inferni? Rectè igitur. Augustin. *Vita dulcis stultis amara sapientibus, qui te amat, non te cognoscit, qui te contemnunt, te intelligunt.*

3. Ne sis sollicitus de longa vita, improbo semper longior est, probo verò satis longa & quantumlibet videatur brevis, sufficit ad sanctificationem. Labora æternitati, vita quippe Patriarcharum punctum est ad æternitatem. Itaque ne perperam abutaris momento vitæ tuæ; ab eo siquidem pendet æternitas. *Vitâ si scias uti, longa est.* Seneca.

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS, NEON. MM.

23. Augusti.

Christo confixus sum Cruci. Galat. 2. vers. 19.

POtest Ægea hodie invidiam Romæ facere, & tergeminos fratres & ipsa suos jactare, Horatiis vel ideò fortiores, quod vi-

vus è pugna nullus abierit, omnes ceciderin
Victores. Illis nomina sunt CLAVDIVS
ASTERIVS & NEON, dissimilia vocabula
cæterùm virtus sub pectore eadem planè &
& constantia. Primò singuli, tum totâ fra
ternâ acie pugnarunt; nec in tres solùm ho
stes, sed in totas carnificum cohortes. Videl
cet ad servilem metum, Virgas, cederen
Christi milites? Risum hæ non gemitum e
pressêre. Jam unci ferrei & ungulæ bubul
que nervi in lacerato corpore integrum an
mum prodiderunt. Prunis & cum pruni
Tyranno insultârunt etiam. Tædas corpo
admotas fortior ignis extinxit Dei Amor. E
Equuleo verò velut è Cathedra, pulcherri
ma & dignissima Philosophiâ Christianâ ora
cula ediderunt. Post tot igitur pugnas mer
tò denique in cruce triumphavit Nobilis fra
trum ternio. Neque obfuit triumpho huic
quòd corpora feris avibus præda cederent
cùm nobilissimam eorum partem animam
beatiores jam volucres abstulissent. *Ex Lippelo*

MEDITATIO.

De Cruce triplici.

1. TErnio Crucifixorum fratrum tres cruces qui
bus affigimur in hoc mundo significare potest
Prima crux est observatio legis. *Jugum Christi suave e*
om

onus ejus leve. Nisi timore Dei fixus fueris, facilè descendes ab hac cruce. Quamvis servanti legem, tum vivere, tum mori in hac cruce, suavius sit quàm descendere. *Si Filius Dei es descende* dixerunt ad Jesum crucifixũ inimici. Si Filius Dei, persevera in hac cruce usq; ad mortem, dogma Christianum est, ut dicas aliquando *consummatum est* cum Christo moriente. Sed & cum vivente, dic in omnibus. *Non mea, sed tua voluntas fiat* Luc. 22.

2. Crux altera est, cui te affigit proximus tuus. Christus qui se permisit portari à Dæmone, etiam passus ab impiis dæmonis ministris sese crucifigi, & patitur quotidie à peccatoribus malè se tractari imò iterum crucifigi, quid renuis ab uno potiùs crucem acceptare, quàm ab altero? affigâre patienter huic cruci. Vis ut tua vitia patiantur alii, patere vicissim ab aliis. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gal. 6.

3. Quisque sibi ipsi crux est inseparabilis. Muta locum quoties, & quocunque, & ad quos volueris, te ipsum portabis tecum, & tibi tua crux semper eris, & tua passio, tibi tuus tortor erit. Tu tibi tua sarcina es, & nemo tibi temet gravior.

S. BARTHOLOMÆUS.

24 Augusti.

Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.

2. Cor. Cap. 5. 12 Sunt,

SUnt, qui BARTHOLOMÆUM in purpur narum velint. Sanè obiisse purpuratum nemo negaverit. Ut Deum in vota sua flecte ret, genua centies die, toties noctu fertu flexisse. Cùm inde orbis XII. Viris totidem provincias cessisset, subigendis Christo po pulis, diu coliega Philippo fuit; post hujus verò triumphum, in Indiam & Armeniam majorem movit. Hic loci ad ejus facundiam continuò malorum dæmonum simulachr obmutuerunt, & torqueri se immaniter BARTHOLOMÆO clamitârunt. Proinde Or larvas è cive, itemque Regis Polymii filiâ fa cilè abegit. Eam ob rem cùm Rex onustos il auro gemmisque Camelos transmisisset, re missis omnibus, eidem significare jussit, mi nimè harum rerum mercatorem se agere, se animarum, quas si cœlo intulisset, tum de mùm lucrum ingens se fecisse existimaturum. Hic igitur Rex permotus non difficulter ma nus illi dedit, à quo ipsi Dii victos se esse fate rentur; traxitque suo exemplo cùm liberi Regni benè magnâ partem. At Astyages Re gis frater nimium quantum hoc nuntio exa cerbatus, pellem vivo detraxit BARTHOLO MÆO, & capite truncavit. Quid ad hæc vos qui pellem lautè ac nitidè habetis, qui aqua-

liculo

liculo fulcitis? necdum anguſtam ad cœli atria portam creditis? *Ex Brev. Petro de Natal & Lippeloo.*

MEDITATIO.

De S. Bartholomæo.

1. UT quis verus ſit Apoſtolus, hoc eſt legatus Jeſu chriſti, fidelis ſit, neceſſe eſt, adeò ut quærant non quæ ſua ſunt, ſed quæ Domini ſui. Ita S. Bartholomæus, voluptatum, bonorum, vitæ, omnium denique detrimentum fecit, ut Jeſum ſequeretur, multoſque per Evangelium chriſto lucrifaceret. Quid ratione divinæ gloriæ & animarum ſalutis præſtas? Deo nihil eſt gratius ſtudio animarum.

2. Legatus debet apprimè ſcire voluntatem Principis, ut ipſam exequatur: Orat Bartholomæus centies quotidie, ut ſciat voluntatem Jeſu chriſti, ab eoque conſilium & auxilium impetret. Labora quantum volueris, teris tempus, operam ludis, ſi declines à Dei voluntate. Domine fiat in me voluntas tua. Quoties in die, & quomodo Deum oras?

3. Prudentia legato neceſſaria eſt, ut commiſſa ſibi provincia recta ac pro dignitate fungatur: neceſſaria item fortitudo, ut hoſtibus reſiſtat, atque, ſi expediat, adeat vitæ diſcrimen. S. Bartholomæus præditus fuit duabus his virtutibus quæ fortè in te deſiderantur. Heu! prudentiſſimus es in mundi rebus: at in rebus tuæ ſalutis penè repueraſcis quàm rari ſunt noviſſimis his temporibus veri operarii Evangelici: *Quò abiit Spiritus Apoſtolicus, quo humilitas, labores zelus primitivæ eccleſiæ?* Bernardus.

S. LU-

S. LUDOVICUS REX CONFESSOR.

25. Augusti.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO

Matt. 22.

VItam omnem Ludovici noveris, si legis noveris, quas sibi primò, tum deinc filio dixit. Harum capita habe.

I. Deum præ omnibus amato. II. Peccatum mortiferum ceu anguem fugito. III. Adver sis ne deprimitor. IV. Néve prosperis extol litor. V. animæ plagas spirituali medico cre brò nudato, & medicinam quamvis asperam nullam respuito. VI. In precandi studio assi duus esto. VII. Animum in miseros pium & liberalem gerito. VIII. Cùm animo mal est, in consilium quam mox virum, bonum adhibeto. IX. Boni tibi nunquam non ad sunto, mali semper exsunto. X. Bonum o mne amplectitor: malũ omne detestator. XI De Deo loquentibus aures lubenter dato. XII Obtrectationibus verò obserato. XIII. Deum Divósque impunè, te Rege, nulli lacessun

to

to. XIV. Gratus Deo imprimis, sed & hominibus esse memento. XV. Pro tribunali æquus esto, & pauperum queremonias ne negligito. XVI. In causa tua, dum res non liquet, contra testato. XVII. Aliena ocyùs restituito, Clero & religiosis pro scuto esto. XVIII. Parentibus amorem deferto. XIX. Bella, si contra Principes Christianos gerere necessitas suadet, sacris parcito. XX. Lites pro virili dirimito. XXI. In Magistratus sedulò inquirito. XXII. Pont. Max. ut par est, reveretor. XXIII. impensæ modestiam ne excedunto, XXIV. Prome, ubi obiero, sacra fieri curato, *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De S. Ludovico.

1. S. Ludovicus merito Rex dicendus est, utpote qui victis cupiditatibus corpus rationi, rationem vero Deo subjecerit. Is verè regnat, qui sibi imperat; nunquid autem is sibi imperat, qui jejunio ac cilicio macerat corpus? qui castam in mediis aulæ deliciis vitam ducit, quasi foret in solitudine? considera virtutes S. Ludovici, vide utrum illas imiteris, & appetitus tui pareant rationi: *Quid enim tam regium est, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem.* S. Leo.

2. S. Ludovicus fuit pater populi, amabat omnes, non amicos tantùm sed & inimicos, detestabatur ob-

tractatores: pauperum lites ipse componebat, idque curabat potissimum ut Sanctos subditos haberet. Habe Deo gratias, si quibus obtemperas ii prædit sint virtutibus S. Ludovici; sin autem tu ipse alij præes, memento Patrem te esse subditorum tuorum.

3. Serviat Deo necesse est, qui rectè voluerit re gnare, serit. Si quis consideravit S. Ludovici vitã, b nè dixerit sanctũhunc regiæ majestatis oblitũ esse, q se probaret servum Jesu Christi. Terræ principes! n si Deo servieritis; quid proderunt omnia, ? Nond cet Christus Euge princeps! Euge Rex! Imperato &c. Sed dicet: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudiu Domini tui.*

S. VICTOR MART

26 Augusti.

Vincenti dabo manna absconditum & calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.
Apoc. c. 5. v. 27.

EXpeditiùs plerumque in opus exit, quod cogitatum diu est. VICTOR toto septennio in solitudine se macerans præparabat ad acerbiora toleranda jamque prædicandæ fidei ardore incensus, divino prodibat ex spelunca impulsu in publicum, ut incendium in

Mau-

Mauros spargeret, qui fidei destituti luce in tenebris idololatriæ rigebant. Vix discolor hospes Mauris apparuit, cum, indicio facto, advocatus in aulam est; & faustissimus fuit cum rege congressus. VICTORIS quippe primo intuitu, fœdissima in Regis corpore lepra omnis evanuit; at pejor animæ lepra, ingrati animi vitium, veræque fidei odium prævaluêre: siquidem ubi cognovit Rex, prodigiosum suæ lepræ depulsorem, Æthiopas suo sacro velle lavare latice, suffocari quamprimùm, impiè ingratus jussit sospitatorem suum. At de mortis causa tam glorioſa lætatus S. Apostolus, exoravit carnifices, ut lentiùs cruciaretur: quò plus pro Christo pateretur, & ut de cruce suspenderetur Impetravit, in qua cum triduo integro velut è cathedra peroraſſet, & ut Medicus miraculo corpora animosque persanâſſet, caput sibi amputatum sui ipsius vespillo, manibus in urbem detulit, locóque sepulturæ à se designato cum trunco corporis deposuit. Epigramma esto. *Hic jacet* VICTOR, *qui ad Mauros venit, vidit, & in cruce vicit.*

MEDITATIO.

De præmijs mundi Victoribus promißis.

1. *Vincenti dabo Manna absconditum.* Apoc. 2. id est multitudine dulcedinis meæ & consolationum mearum experieris, in te: Vince modo heroicè tentationem aliquam, pusillanimitatem, infirmitatem, aut contemptum, & senties infallibiliter magnam animi consolationem, & prægustum quasi, obventuræ tibi per hoc æternæ felicitatis: sicut econtra gustata voluptas peccati animam affligit, & continuò quasi prægustum affert æternæ pœnæ quam meruisti. *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te.* Psalm. 30.

2. *Vincenti dabo calculum candidum.* Ap. 2. Calculus candidus, est signum faustitatit. 2. Est signum absolutionis in judicio. 3. Est signum electionis. Hæc tria venient illi, qui vicerit mundum. 1. In judicio particulari & universali non condemnabitur, sed laudabitur à judice. 2. Inter electos numerabitur, 3. In glorioso corpore æternùm lætificabitur.

3. *Vincenti dabo nomen novum*: Ut sit & dicatur filius & hæres Dei. Hoc est inquit Bernardus *illud centuplum*: *Adoptio filiorum Dei*. quæ pericula non spernit, miles generosus? ut ducis aut militaris præfecturæ insignibus & nomine decoretur? Christus te filium & hæredem suum constituet, si viceris, & adeo ignavus es?

S. PÆMON EREMITA

27. Augusti.

Qua

Quâ mensurâ mensi fueritis remetietur vobis. Math. 7.

PÆMON, communi per Thebaidem calculo sanctus Eremita, à belluis tamen laceratus & devoratus ferali tumulo & sepultus. Hujus exitus ipse triennio ante vates, edixit alteri Eremicolæ, qui ad eum divertens mirabatur, leonem mediâ hyeme speluncam senis ingredi, ejusdemque rigentia frigore membra, ut calefaceret, corporis sui acclinatione fovere. Noli, inquit, frater id adscribere meis immeritis meritis visum à te leonis obsequium, membra mea innato sibi calore foventis: peccator enim sum, inque delictorum justissimam pœnam, feris bestiisque pabulum ero. Et verò, ajebat hospes, tam diræ pœnæ ab Optimo DEO, quæ causa? quanta eam culpa meruit? Imò verò respondit, juventutis meæ delictum, & grande illud, sic paternè plectere statutum Numini. Cùm oves in Adolescentia pascerem, in viatorem, fortè innoxiè transeuntem, barbarâ petulantiâ molossos, gregis mei custodes, incitavi, qui miserum, nequicquam ejulantem, in frusta laceratum peremêre, me cùm possem facilè, malum avertere crudeliter negligente, atque

atque ita immanis lanienæ reus, talionem exspecto. Sic ille. Tu verò, inter Sodales quamvis, qui tot petulantiæ illiciis animas innocentum ad lapsum præcipitâsti, si feras non times, cave, ne inferis pabulum fias. *Barri, ex Rosveido de vitis PP.*

MEDITATIO.

De punitione peccatorum.

1. S. PÆMON jam pridem lacrymis diluerat juvenile delictum, non tamen snpplicium peccati: restabant pro illo pœnæ temporariæ luendæ. Quid ad hæc cogitas, qui tam parùm solicitus es de satisfactione? frustrà non orat Vir ille Secundum Cor Dei: *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et tu nec de peccatis juventutis, nec vitæ tuæ adultæ cogitas, ut pro iis fructus dignos pœnitentiæ feras? quare non clamas cum S. Augustino: *hîc ure, hîc seca O Domine! modo ibi parcas.* Et quare diligentiam non adhibes indulgentiis lucrandis? tam facili medio alterius vitæ pœnas evitandi?

2. S. Pæmon agnovit pœnam suam delicto congruam & promeritam. An te quoque multo plurium reum humiliter agnoscis? *dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur: quia tantò quisque ferramentum medici patientius tolerat, quantò magis putridum conspicit esse, quod secat* Greg. lib. 10. moral. illud tecum frequenter recole, per quæ quis peccat per eadem punietur. Plerumque pœna correspondet delicto.

3. Semel molossos juvenili petulantiâ Pæmon incitavit

tavit in viatorem, & ideo meruit ut laniena fieret feratum. Quid si tu malo exemplo vel suasione aliquando homines induxeris in peccatum grave. *Væ homini illi per quem scandalum*. Ubi væ! ibi non levis pœna.

S. AUGUSTINUS EPISCOPUS.

28 Augusti.

Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit.

1. Cor. c. 5.

AUGUSTINUS ubi manus Deo & D. Ambrosio dedit, in Africam redux & Sacerdos primùm mox Pontifex Hipponensis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpiùs evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducerent sese, quique non Deo loqui in templo, sed hominibus confabulari consuêssent, Mensa ejus, quæ frugalis erat & vasis vel ligneis vel testaceis superba, quoslibet hospites admittebat, si illos excipias, quos ascripti hi versiculi proscribebant.

Quis-

Quisquis amat dictis alienam rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Supremum æger Davidis Carmina, quæ pœnitentia nomen habent, parietibus cubiculi inscribi voluit, intérque earum commentationes mortem sanctissimè obivit, Ecclesiæ hæreditatem amplissimam eloquentiam suam & profundissimam Doctrinam reliquit; illud puto Juventuti legavit, quod lib. XXII. de civit. DEI cap. 8. narrat; Matrem scilicet filios immorigeros diris devovisse; vota cœlũ audisse; & illos vagos horrendo omnium membrorũ concussione tremebundos orbẽ penetrâsse; ex his deniq; duos ad aram Divi Stephani sibi redditos esse. Superi! si improba mater in filios tantùm potuit, eheu Mariani quid in immorigeros MARIA Mater poterit? *Ex vita & ipsius D. Augustini libris.*

MEDITATIO.

In vitam S. Augustini.

1. HIc sanctus toto juventutis suæ tempore divinæ gratiæ, ac sacris ejus motibus restitit. Num quid ego pariter plerumque restiti ejus gratiæ? quomodo fluxit tempus adolescentiæ meæ? an tandem cœpi ex animo Deum amare? heu quàm sæpè obdu ravi cor? & secretiorem ejus vocem neglexi! num anime mi! audi: *quære: ama Deum tuum. ah! serò te amavi domine! bonitas tam antiqua! & tam nova! ah! serò te amavi.* S. Augustt.

2. Post longum & anxium certamen tandem gratiæ manus dedit Augustinus, exuit se laqueis errorum, & vitiorum, & ad extremum usque spiritum amicum & filium gratiæ probavit se se. Si peccantem Augustinum imitatus fuerim, quare non imitor pœnitentem? quid expecto? moriendum est, & dignitatibus divitiisque vale dicendum. Heu! quid me fiet, si, cum Deus me vocabit ad reddendam rationem vitæ meæ, fuero gratia destitutus? *Omnibus laboribus nostris quò ambimus pervenire? quid quærimus?* S. Aug.

3. S. Augustinus fuit quoque Doctor gratiæ, cujus partes acriter suscepit adversus hæreticos; docuitque naturam & mirabiles effectus ejus. Doce alios qua ratione possint Dei gratiæ reconciliari. Esto gratiæ discipulus, si Doctor esse non potes. Audi quid loquatur in te Dominus: *Si non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia.* S. August.

DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

29. Augusti.

Herodes misso Spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Marc. c. 6.

NAtalitias hoc die herodes epulas dedit, quas rectiùs funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condivit.

divit. Nam cùm ad reliquas mensæ illecebr
filia etiam accessisset, & saltu leviculo terra
plausisset, ecce tibi præmium pedes cap
Maximi vatis JOANNIS abstulerunt. Nec sa
erat, per mensam tam delicatum ferculu
ambulare, & oculorum gulæ facere satis. E
traxit conjux adultera palato suo linguam (
lam gratissimam Suadæ sedem) & mille nu
conviciis, nunc acu mille locis fodit scelest
Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nu
quam enim magis viva etiam crudelitate
Regis, quàm tunc fuit locuta, & meritò d
inde Divinum Verbum loqui tyranno renu
cujus vocem decollaverat. Ipsa saltatricu
pœnas si seras, serias certè luit, quando ast
ctas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedib
impiis glacie, abscindendũ crustis caput ded
etiam tunc portentosum in modum subs
liens, & choreas, quibus viva asslueverat, mo
tua etiam continuans, manifestum omnib
mortalibus documentum, quàm non mult
saltu opus sit, ut in orcum devolvamur. A
dicet non nemo, ergone odiosã pede calca
terram non liceat? imò verò calcanda illa es
& pede utroque, sed graviore, & cui
cœlum non orcus arrideat.

Ex Baron. & Martyr.

ME

MEDITATIO.

S. Joannes Martyr Castitatis Charitatis & Veritatis.

1. S. Joannes vivens & moriens probavit se Martyrem castitatis, quam ut illibatam servaret, tertio ætatis suæ anno fugit in solitudinem, ubi duro austeritatum Martyrio corpus suum maceraverit. Si perspecta tibi esset virtutis pulchritudo, eam studiosiùs conservares; non in frequenti hominum turba hunc florem invenies: fuge in solitudinem; stude mortificationi. Si minus possis ut Joannes mori pro castitate, potes certè vivere in castitate. *Et majus est vivere in castitate, quàm pro ea mori.* Tertull.

2. S. Joannes fuit Martyr Charitatis. Etenim propter animarum studium reliquit solitudinem: venit ad Herodem, omni ope conatus est eum ab iniquitate & turpitudine revocare, tametsi prævideret mortem fore præmium laborum. O te felicem! si ut Joannes sanguinem profundere posses pro salute proximi: si hoc præstare nequeas, saltem illacrymare alienis peccatis, & profusis liberali manu divitiis, peccatorum conversionem promove.

3. Fuit quoque Martyr veritatis, quam nimirum vitæ suæ antepositit, fidenter Herodem increpans, quod adulterium patraret. Tu nec unquam committas ut ignavo assentationis obsequio blandiaris vitiis aliorum, maximè cum tuum est eos corrigere. *Amant homines veritatem lucentem, oderunt redarguentem.* Aug.

S. BONONIUS ABBAS.

30 Augusti.

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.

1. Joan. 2.

OPtima Philosophiæ pars est mortis meditatio; hæc BONONIVM puerum Mundo mori docuit, qua quidam morte ad vitam nihil est salubrius. Hinc Ægypti deserta petiit, tantamque sanctiorum civium frequentiam invexit, ut in solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceres migrâsse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoque longè plurimos jungebat mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis, post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Obid cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi tectum cœlum, cubile terra, culcitra cilicium cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potiùs quàm indormiebat; quò molliùs tamen jaceret, lectulum hunc suum lachrymis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam

atenam à Petro Vercellensi Antistite, cui unà cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regem exoraverat. Cœnobitis Lacedensibus præesse jussus est, dum vitâ simul & munere est functus. Porrò quem adgenicularì ad tumulum Divi cernis, fraternæ cædis reus est. Hunc cùm supplicem Sacerdos quidem, sed non Conscientia absolveret, annos plures à domesticis furiis agitatus, malaciam tandem animo apud cineres BONONII reperit. Veniam nunciarunt ruptæ ultro manicæ, quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio induxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pulchrius tamen suspensæ tumulo BONONIUM ornant: quàm Manliani, quos olim adjecerat, torques facturi fuissent? *Ex Gabr. Palaoto.*

MEDITATIO.

De contemptu mundi.

1: OMne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, inquit S. Joannes. Et quid est caro, nisi sperma fætidum, saccus stercorum, cibus vermium? è contrà quid est anima tua? spiritualis; immortalis? Deo-simillima substantia, & Deo desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis; & corpus tam fœdum sterquilinium curas; animam verò negligis? *Si animam negligis, nec corpus salvare poteris, nec*

enim anima pro corpore; Sed corpus pro anima factum est. S. Bern.

2. *Omne quod est in mundo; est concupiscentia oculorum:* O stolida divitiarum concupiscentia. Quæ affligit laboriosis desideriis acquirendi, Cruciat cupidine agendi, & angit metu amittendi. Immò ne decrescat cumulus, abstinent à partis multo sudore divitiis, atque ita *bonis temperalibus non utuntur, nec utentur æternis.* Eucherius.

3. *Omne quod est in mundo, est superbia vitæ.* Doctrina S. Chrysostomi est: propter gloriam greges famulorum, equos auro opertos, argenteas mensas & ædificia splendida expetunt homines, ut glorioſi videantur. Sed ubi sunt glorioſi illi, qui ante pauca tempora adhuc erant nobiscum? *Memoria illorum fortasse superest? hæc autem quid prodest? si ubi sunt, torquentur, & ubi non sunt, laudantur* Chrys.

S. AIDANUS Episcopus.

31. Augusti.

Estote parati, quia quâ nescitis horâ filius hominis venturus est. Math. 24.

HIc ille AIDANVS est Lindisfarnensis Pontifex, Quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum, purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) suprà diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna

dives

dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga. Cæterùm AIDANVS uti multùm Regibus, ita plùs aliquantò familiaris mendicabulis fuit. Ex his cùm uni æquum donâsset phaleris regiis superbum, & Oswini (frater is erat Regis) nobile donum, succensuit nonnihil Oswaldus & objurgavit AIDANVM. At cùm hic pauca pro se dixisset, atque in tantùm quæsivisset ex Oswaldo, plúsne equum hominis mancipium, quàm in paupere homine Dominum Christum adamaret? continuò in se se primò Rex, mox deinde in genua coram AIDANO descendit, & à Pontificia tiara veniam regiæ coronæ rogavit. Et abstulit non hanc tantùm, sed mortis etiam beatæ nuntium, cùm modestissimo Rege non digna jam esse superba regna dictitaret AIDANVS. Porrò cùm hic in iratum mare oleum immisisset, oleo mitius etiam mare vidisses. Flammas quoque, quas tyrannus Penda urbi injicere parabat, in suas partes traxit & aversas ab urbe in hostes armavit. Ita victore vita abiit non sine triumpho, quem divus Cuthbertus tunc puer ducere illum in cœlum vidit multo lumine nobilem. O triumphum tuum AIDANE sequi etiam nos pileati olim possimus!

Ex V. Bedæ hist. Eccl. lib. 3.

MEDITATIO.

De præparatione ad mortem.

1. S. Aidanus monuit Oſwaldum ut ad mortem ſeſe compararet. Optime præparamus nos, ſi bona opera præmittimus, quamdiu ſumus in via. *Lucernæ*, inquit Dominus, *ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum.* Lux bonorum operum luceat ante vos. Multi differunt bene facere, dum vivunt. Volunt modò benefieri pro ſe ab aliis poſt mortem, interim illi ſine lucernâ ardente, quæ eſt charitas, & ſine comitatu bonorum operum, ambulant in tenebris, & ruunt in interitum. *Ante obitum tuum operare juſtitiam: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum.* Eccleſ. 9.

2. Optima præparatio eſt prævidere mortem. Peccator morte imminente illuminabitur duobus luminibus. Rationis beneficio agnoſcet ſtultiſſimũ ſe fuiſſe, quod in acquirendis fragilibus & momentaneis bonis laboravit: fidei lumine videbit ſupplicia, quæ ſuis criminibus promeruit. Sed heu! ſeriùs videt quæ longè antè videre debuerat. Peccator, *dormit, & oculos aperit, quia cum carne moritur, anima ejus videre cogitur, quod prævidere contempſit.* Greg.

2. Optima præparatio ad bonam & ſanctam mortem, eſt bene ac ſanctè vivere. Mors Echo vitæ eſt.

Heu! quid faciam? vivere erubeſco quia parum proficio; mori timeo quia non ſum paratus.

Bernardus.

SEP-

SEPTEMBER.

S. ÆGIDIUS CONFESS.

1. Septembris.

Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.
Luc. 14.

STemma in ÆGIDIO regium indoles munifica prodidit. Nam puer prætextam exuit, ut pauperem ægrum indueret. Et hic quidem morbum cum centonibus posuit, ac ille nudus cætera, ut virtutum miraculum saltem regeret, ablatam sibi vestem à nescio quo non satis noto homine pie commentus est. Eodem scilicet furto assem omnem paternum abstulerunt egeni, quando Gallias ÆGIDIVS petiit, & post multa prodigia eadem cum cerva latebras habitavit. Atque, ut qui Matrem deseritis, alia cœlo ubera esse sciatis, hæc famelico eadem cerva præbuit. Exclamare hic Roma potuisset: ecce! fera hominis hospes: ecce! homo feræ Asylon. Etenim cum nutricem frequens Venatorum corona cingeret, tutelam sinum

ÆGIDII & preces habuit, quibus ad teli ja. ctum damnati canes allatrare prædam potue. runt non prehendere. Ipse Rex Clodoveus li. bertatem cervæ, ÆGIDIO fortuitâ sagitti tunc vulnerato cœnobium, cœnobio dotem regiam donavit, sibi unam erroris veniam oravit. Et verò non hujus modo sed gravio. iis etiam sceleris impetravit, quod quidē stu. diosè ille occultavit, sed ÆGIDIUS, sub divini schedâ annotatum è cœlo accepit, nunquam delendum, nisi stylum Rex vertisset, Divus porrò noster satis jam à terra lactatus ad pe. rennes beatitatis fontes contendit, quos a. deò appetivisse quid mirum est? à Nutrice sua Cerva sitim hanc bibit. *Ex Lippeloo, & Pet. de Natal.*

MEDITATIO

De cognitione Vilitatis humanæ.

1. COnsidera te summâ Dei bonitate ex nihilo e. ductum esse, & te dignum esse peccatis tuis qui perpetuis ignibus damneris: & jam iis ignibus cruciareris, nisi Deus misertus esset tui. Quid ergo quereris, si quos honores ambis, ii tibi denegentur? an tibi fit injuria? O homo! nosce te ipsum, nosce vilitatem, nosce malitiam tuam, nam *omnium disciplinarum pulcherrima est, se ipsum nosse: si quis se ipsum norit, Deum cognoscet.* Clemens Alex.

2. Ex his duobus Principiis quæ solida sunt veræ humilitatis fundamenta, hæc duo inferas oportet,

alterum gaudendum tibi esse, si quando ab aliis nihili pendaris, pluris siquidem non vales, alterum ægrè admittendos esse honores, cum clarè nôris iis indignum te esse, nullam itaque honoris adipiscendi venêris occasionem. Ne respicias virtutem tuam, egregias dotes? recte facta: sed considera nihilum tuum, & peccata tua. *Soli electi bona sua non vident, quæ in se vivenda omnibus ad exemplum præbent.* Gregor.

3. Cum demum te (ut dictum est) depresseris, cave putes grande quidpiam feciſſe; etenim quidquid dixeris ad tuam depressionem, veritatem attigisti, non explêsti, quidquid feceris, vix tuo functus eris officio, erisque semper servus inutilis.

S. JUSTUS EPISC. CONF.

2. Septembris.

Qui justus est justificetur: & sanctus sanctificetur adhuc. Apoc. cap. 22.

MUlti JUSTI nomen habent, rem non habent. Hic in infantia JUSTUS fuit, cùm parentem injustè adulterii suspectam, defendit, mox ab ortu suo, prodigiosè loquendo, testatus, comitem Andegavensem, matris suæ legitimum conjugem, patrem suum esse. Et hæc crediderim origo est, unde omnes, ex illustrissima comitum Turnensium familia, ab hoc JUSTO, JUSTI cognomen

men retinent. Sed facta ſancti ſpectemus. Lugduni cùm Epiſcopus præeſſet, rabioſus quidam, qui multos furioſè læſerat, ut persequentes evaderet, in templum confugit, à cujus aſylo, cùm eum extrahere non auderent Adverſarii, multis, quamvis fictis, impunitatis ſponſionibus inſtitêre apud JUSTUM præſulem, ut è templo eum profugum emitteret, qui, ut bonæ mentes alios ſuo pede metiuntur, quia credidit, reo exitum ſecuritatis factâ fiduciâ, facilè perſuaſit, at vix limina egreſſum perfidi vulneribus confoderent. Hinc tantus, licet innocentem præſulem, pervaſit dolor, et velut infulâ indignus homicidiique reus, Maſſiliam primò, inde in Ægyptum transfugerit, rigidiſſimâ in deſerto vitâ, noxam expiaturus, ibidemque ad mortem uſque cremiticam profeſſus ſanctè obiit: pluſquam JUSTUS: qui ſe ultroneam pro alieno peccato victimam Deo immolavit.

Suffrenus ex Mart. Gallico Suſaij.

MEDITATIO.

De Juſtitia.

1. TIme divinam juſtitiam, utpote quæ terribilis futura ſit in altera vita, in præſenti quidem misericordia temperatur; tunc verò mera juſtitia. Quid me fiet æquiſſimè? ſi intraveris in judicium cum ſervo tuo?

tuo? nunc anima mea! esto tui judex & tortor: nunc patere corpus, nam *in quantum non pepercerit tibi, in tantum tibi Deus (crede) parcet.* Tertull.

2. Si quando Sermo fit de aliis æquiorem te illis præbeas, eorum de rebus loquere perinde ac si tuæ essent. Si te audiamus, quidquid agis, est perfectissimum, imperfectum verò, quidquid agunt alii parum æquitatis & multum superbiæ est in hoc judicio. Si plus Deum & proximum, minùs verò te amares, nunquam malè de proximo tuo loquereris. Omnes intelligant esse te hominem rectum & justum.

3. Labora ut indies Justior & Sanctior fias. Immemor bonorum operum, & peccatorum tuorum memor agere pœnitentiam, ut tua possis luere peccata. Vide quàm parùm Christum & Sanctos imiteris. Compara vitam tuam cum tot piorum hominum, quorum virtus tibi perspecta est & erubesces, quòd adhuc tam grandis tibi restet via ad Sanctitatem. Progredere, non est hic quieti locus. *In via vitæ non progredi regredi est, cum nihil in eodem statu remaneat.* Bern.

S. SERAPIA V. M.

3. Septembris.

Opus suum probet unusquisque & sic in semetipso tantam gloriam habebit, & non in altero. Paul. ad Galat. 6.

Ille

ILle neget Amazonas militares fæminas esse, aut dicat effeminatas esse milites, qui Serapiæ non legit triumphos. Qualibuscunque machinis crudelitatis hanc Virginem tyrannus oppugnaret, non potuit evincere, ut vel fidei propugnaculum, aut arcem Virginitatis dederet. Immisit invasores lenones, leonibus efferatiores, duos dissolutæ vitæ adolescentes, qui reluctanrem cogerent, & Virginitatis thesaurum diriperent, sed facile erat propugnatoribus quondam Angelis, qui Heliodorum thesauros templi diripientem flagellârunt, horum quoque Juvenum procaciam castigare. Corruerunt exanimes ante pedes SERAPIÆ ambo impudici cupidines. Quæ ideò à maleficis venefica judicata. Mox tamen beneficam se ostendit, quando utrumque ad vitam revocavit. Ferro nihilominus adjudicavit tyrannus, ceu Saga esset, quæ non in Sago sed in purpura verecundiæ vicerat. Parcere debuisset judex iniquus ferri supplicio, nisi ipse ferro obstinatior fuisset. Igitur variis cruciatibus lacerata est, pro eo quod integritatem violari non passa fuerit, & tandem obtruncata lac fudit & sanguinem, ut ostenderet, quâ viâ properaret ad spnsum animæ suæ CANDIDVM & RVBICVNDVM.

pur-

Purpura & candor sunt patrueles colores: Virginitas & verecundia consanguineæ virtutes sunt.

MEDITATIO.

De Puritate conscientiæ

1. Conscientia nostra speculum est. In illo facilè animæ tuæ vitia reprehendes. Diligenter observas corporis tui nævos, ut eos si potes quamprimùm emendes; quare animæ tuæ vitia quæ toti displicent cælesti curiæ tam parum curas? ora Deum ut gratiam impertiat ea dignoscendi: revertere ad Deum tuum dissipabit tibi omnes tenebras, quibus conscientiam tuam obscurasti. *Quantascunq; tenebras tuo facto superstruxeris Deus lumen est.* Tertull.

2. Ne similis sit tua conscientia quibusdam speculis quæ objecta majora vel minora falsò referunt, sed ea referat ut reverà sunt. Ne sit adeò laxa, ut graviora crimina quasi leviores culpas ducat; nec sit nimis stricta &, ut ajunt, scrupulosa; duo hæc devita? modum tenebis si prudenti moderatori, cui conscientiæ tuæ penetralia aperias, obtemperaveris. Vide an sit laxior tua conscientia.

3. Quas speculum indicat maculas, eas eluis; elue pariter vitia, quorum te conscientia remordet: neque exemplo deformium mulierum abjicias speculum, quod tuam tibi prodat deformitatem. Quotidiè intuere vitam tuam in hoc speculo quantumvis fastidioso, & cave maculis deletis iterum fædêris. *Novum siquidem monstri genus est, eadem penè omnes jugiter facere, quæ fecisse se plangunt.* Salvian.

S. RO-

S. ROSALIA VIRGO

4. Septembris.

Considerate Lilia agri, quomodo crescunt. Matt. 6.

ROSALIA, à fundo gentilitio, qui Rosa dicebatur, quòd mensibus illic singulis vernent rosæ, nomen sortita, ex principe patre, Panormi in Sicilia nata Caroli Magni de stirpe, & Siciliæ regum propinqua sanguine, nobilissimis ob formam jam destinata nuptiis, palatia, opes, honores, splendorem generis, omnesque mundi illecebras, quas tanti ambiunt, fastidiens, ad obviam profugit speluncam, illic illi fontana pro nectare: herbæ & radices præ condimentis, preces præ Musica, jejunium & asperrima saxa præ plumis & lectulo nec viror arborum, flores pratorum, saliares fontes, siderum flammæ recrebant, cùm solius crucifixi aspectu & amplexu se oblectaret. Angelis doctoribus decurrebat Marianas salutes, quas rosarium vocant, quod ut bullam mortua in pectore sulpensum retinuit. Morienti cum matre DEI filius, cumque Angelis Apostolorum principes adfuêre: cœlestesque genji, ut paranymphi,

phi, sponsam ROSALIAM, contexto de rosis serto, coronatam deduxêre ad divinum Sponsum. Sic dudum vixit, à mundo deserta, cœli habitatrix ROSALIÆ anima; at corpus rosis coronatum, in crucifixi amplexu, Anno Christi M. DCXXV. cristallina in tumba repertum, sive illam paravêre Angeli, sive quadringentis annis superfusa aqua in cristallum artifice natura induruit, clarè tamen nobis exhibuit ROSALIAM, inter Divos contra pestem in Sicilia sospitatores, patronam. Tu quod tumulo ejus inscriptum legis *Amore Domini mei*, tibi scriptum crede & fac omnia amore Domini tui ut æternùm floreas. *Ferrarius & Simon Martinus in vita.*

MEDITATIO.

De sancta Rosalia.

1. ROsaliæ virtutes in lilio considerabamus. Primum quod lilia commendat, est exterfitas. S. Bernardus vocat *Lilia eminentia in floribus terræ*: talis erat in Rosalia celsitudo animi quâ mundum generosâ fugâ supergressa est. Deus *Os homini sublime dedit cœlumque videre*, sed quid juvat erecto in cœlum vultu, & corpore celso incedere, si curvis animis terræ inhæremus? quis tibi effectus inest ad cælestia? nunquid & tibi *sordet terra cum cœlum aspicis* cum S. Ignatio, vel è converso præ amore terrenorum sordent cœlestia?

2. Color liliorum est candor & intus flavedo, ARGEN-

GENTO COPULAT AURUM. Candor argenteus, c puritas Rosaliæ. Si manibus conteritur lilium patit jacturam candoris ita Virginitas renuit attactus: T *ctus, joci, risus, fibili morituræ Virginitatis solent esse pr cipia.* S Rosalia, ut floreret illæsa, fugit in solitudine Quomodo tu fugis principia morituræ castitatis? reus color interior lilii est charitas. Pretiosa auri c argento conjunctio est quam amat sponsus Virgin quomodo conjungis?

5. Odor liliorum allicit apes, & serpentes fug S. Rosalia virtutum fragrantia attraxit in obsequi purissimos Angelos: & Oratione sua avertit venen patrona contra pestem. Tu quoque *Christi esto bon odor* Exemplo tuo.

S. BERTINVS Abba

5 Septembris.

Si vis ad vitam ingredi serva ma data. Matt. 19.

QUam rigidè superi animadversuri sin in sacrarum benedictionum derisore documento sit severa pœna, quâ, sola, ea non petentis: oblivio mulctata est, ut gest S. BERTINI referunt. Erat hic Sanctus natu Constantiæ in Germania, in Luxovienſi dein cœnobio, in Burgundia, Monachum induit eique monasterio, postquam Abbas LVII annis præfuit, depositâ gubernatione, ad sanctam

sanctam usque mortem, animæ suæ soli, Deóque servivit. Huic, Abbati adhuc, comes Walbertus de Arques conscientiæ noxas confiteri solitus, sumptis Sacramentis, nunquam, nisi petita & accepta ab Abbate fausta prece, à monasterio ad suos revertebatur; id cùm una vice, immemor boni moris, petere neglexisset, infausto equi casu, corpore malè attrito, & fracto crure, domum ægrè revenit; neque adhibita læso remedia profecêre, donec ipsa vexatio dedit intellectum, subiitque animum neglectæ benedictionis memoria, interpretatus ergo in pœnam se torqueri, protinus ad Bertinum Abbatem mittit per quem se de oblivionis tam noxiæ culpa accusat, proque afflicti corporis remedio vinum sibi sacra prece benedictum transmitti rogat. S. Abbas vini à proxima Missa superstitis Reliquias (quæ cum modicæ essent, divinitus auctæ sunt) bene ægro precatus, transmisit. Has ut primùm hausit, sanitatem bibit, & ne ingratus esset sospitatori Deo, suum comitatum omnem in dotem monasterii transscripsit, & ipse deinceps Monachus. Quid ad hæc bibuli? qui sanitatem propinantes, mortem sæpè bibunt.

Ex M. Antonio Benalio Buzelinus in Mart. Bened.

MEDITATIO.

De mandatis Dei.

1. S. Bertinus quoad vixit monachos suos, propositis Dei mandatis, ad perfectam eorum observationem hortabatur. Ne Paradisum speres, si vni uni mandatorum Dei parere nolueris. Deus Dominus est, potest imperare, nos servi debemus obedire. Honos, fides, & obsequium debentur principibus à subditis, & Deo ab hominibus: his tribus officiis functus eris, si observaveris Dei mandata, an observas? memineris non posse te duobus Dominis servire, mundo scilicet & Christo.

2. Nemo immunis est ab observatione mandatorum Dei, quæ facilia sunt, nedum impossibilia. Deus ut supremus Dominus potuit omnes alligare legibus; ut sapientissimus nihil impossibile, ut optimus nihil grave potuit præscribere. Tot homines cujuslibet ætatis, sexûs, conditionis ea observârunt mandata. Quid, Dei gratiâ adjutrice, *non poteris: quod isti & istæ?*

3. Omnibus igitur mandatis pareas, etenim qui vel in uno peccat, factus est omnium reus, eumque manet æternus ignis: pareas statim ne morte opprimaris, priusquàm parueris: pareas alacriter: cui servis potentissimus Rex & suavissimus Dominus est: pareas fortiter, *nam ferenda magis omnis necessitas, quam perpetranda aliqua iniquitas.* August.

S. ELEVTHERIVS Conf.

6. Septembris.

Non

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum: Multi dicent mihi in illa die Domine? nonne in nomine tuo Prophetavimus? & in nomine tuo dæmonia ejecimus? sed & nunc confitebor illis quia non novi vos. Matt 7.

MInimam laudem à noſtro calamo ELEUTHERIUS accipiet, qui maximam jam olim à Magno Gregorio accepit. Summa eſt, D. Gregorium ſub ultimum Verni jejunii diem, inediæ, ob imbecilliorem ſtomachum, ſuccubiturum fuiſſe, niſi pulpam latranti ELEUTHERIUS preces ſuas objeciſſet. Id beneficium Gregorius non modò ſtylo, ſed facundâ etiam picturâ in templo locutus eſt. Quin & mortuum ajunt ab ELEUTHERIO precibus denuo animatum; ſed nos dæmoni ereptam prædam laudamus. Fortè ex itinere Divus ad ſacrum Virginum Aſceteriũ diverterat, in quo puer agebat atri Genii obſes. Non auſus eſt eâ nocte malus hoſpes puerum torquere, ſanctiorem hoſpitem veritus; itaque

ille domum patronum suum sequitur. Hic etiam pacem crederes: sed induciæ tantùm erant. Dum enim ELEUTHERIUS alieni Cœnobii vires elevat, suas laudat, redux velut ex insidiis hostis, solo adolescentulum affligit miserisque modis discruciat. Sed obfuit provocasse ELEUTHERIUM. Neque enim hic prius cum suis pugnare precibus desiit, quàm penitus statione non suâ Orcum pepulisset. Nunc similes pugnas cur non spectamus? anne quos dæmon timeat, ELEUTERII, an quos agitet, pueri desunt? *Ex Grasio.*

MEDITATIO.

De nimia salutis suæ confidentia.

1. QUia S. Eleutherius jactabat se coram monachis suis quod dæmonem ejecerit è puero, dæmon iterum pueri corpus subiit. Sic inest in multis vana quædam de salute fiducia. Paucis quibusdam operibus nostris confidimus: nunc tamen credere potius deberemus etiamsi *omnia fecerimus, nos servos inutiles esse.* Quare ergo cum Pharisæo tam sæpe blandimur nobis ipsis. *Gratias tibi ago quia non sum sicuti cæteri homines; jejuno bis in Sabbatho, do decimas &c.* Luc. 18.

2. Quid amabo? & quo titulo speras te Paradisi gaudiis potiturum? an tuis piè factis? quid adhuc boni egisti? an meritis Christi? sine ullo opere tuo redemit quidem Christus, *sed non Salvabit te sine te*, Augustin. Igitur tantùm confidis divinæ bonitati, &

hac bonitate fretus parum christianam vitam vivis? *Ab nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est; toties delinquendo, quoties ignoscit.* Tertull.

3. Plerique sanctorum vitam durissimam egerunt, & tamen morte imminente tremuerunt, tu verò nihil times? unde hoc? non ex fortitudine, sed ex modica fide. *Formido exire* inquit Bernardus, *& in ipso portûs ingressu contremisco, dum non confido propè existere qui excipiat exeuntem.*

S. STEPHANVS EPISCOPVS CONFESSOR.

7. Septembris.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Joan. 7.

ASpera & inculta terrarum habitare D. Brunonem ajunt. Viridaria rectiùs dicerent, quæ tam nobiles nobis flosculos submittunt. Atque hem tibi ex his STEPHANUM Lugduni Galliarum nobili Familiâ satum! Hic vitæ reliquæ in ipsis cunis bullâque præludens, quem diem patienti Christo dicamus, materni lactis abstinentiâ sanctum habuit. Amorem suum Christum sub pane latentem quoties contemplatus fuit, putasses æstu ab-

sumendum, nisi lacrymis, quibus diffluebat, hunc temperâsset, dixisses Crucifixo immortuum, nisi vitam suspiria prodidissent; denique existimâsses cœlo precabundum interesse, nisi hoc descendere ad Stephanum vidisses, Angelo misso. Jam tempestates fugatas, desperabundos cœlo, ægros sanitati, mortuos vitæ redditos taceo, unum idque utile juventæ, quod Pontifex jam Diensis edidit, facinus narrabo. Dixerat gravitas in omnia vitia, illud præsertim, quo festos Divorum dies aleis, choreis & id genus ludicris vulgus amat profanare. Cùm aures necquicquam diu pulsasset, dæmoni deniqua malo, qui ad eas nugas impellere animas adsolet, pro concione imperavit, positâ larvâ palàm sese ostenderet. Enimverò paruit tam horribilis, ut jam Magistri sui puderet in ludos discipulos, faciléque cum illo etiam hunc damnarent. Sed, ô superi, invenit hodie iterum discipulos pessimus Doctor. Juvat chartas minimè doctâ pictas manu crepare, juvat aleam (vel salutis) jacere; juvat terram plaudere, & ne serò pereamus, ad Orcum non jam imus; currimus, saltamus. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

De frequenti usu Eucharistiæ.

S. STE-

1. S. Stephanus non alium habuit amorem in terris, quàm Jesum pendentem in cruce & latentem in Eucharistia. In hoc Sacramento est Deus totius consolationis spem confirmat, cùm sit pignus divini amoris & immortalitatis. Perficit Charitatem in Deum & proximum: quomodo enim fieri potest, ut non ames amantissimum Jesum, qui propter tuum amorem totum se tibi dedit? & quomodo fieri posset, ut non diligeres proximum, tecum cœlesti pabulo toties saturatum:

2. Quotiescunque accipis hoc Sacramentum, toties copiosâ gratiâ donaris: adde quod pro ratione pietatis & præperationis tuæ singularibus etiam gratiis cumularis. Mirum quantum valet hic Angelorum cibus, hoc vinum germinans Virgines, ad coërcendas carnis cupiditates. *Qui amat hanc carnem, non erit amicus suæ carnis.*

3. Accede ad sacrum convivium: si in Jesum sit amor remissior, accendetur sumptione Sacramenti: fons enim est amoris ac pietatis. Nihil est quod timeas ne familiaritas generet contemptum. Nam novam semper in suavissimo Jesu deprehendes pulchritudinem, ideoque magis ac magis ejus amore deflagrabis: Adde quod animi rectè præparati **Omnis hoc remedio morbus extinguitur.** Chrysost.

NATIVITAS B. M. V.

8 Septembris.

Beatus Venter qui te portavit & Ubera quæ suxisti. Luc. 11. Po-

POtuit denique post longissimæ noctis tenebras solem hoc die Tellus! sperare, quando tot votis jam olim exoptatam Nasci AURORAM vidit, MARIAM inquam, quæ Joachimo atque Anna prognata lucem primò vidit, dicam? an videndam Orbi propinavit hodie. Certè festum agere hunc diem multis jam retro seculis Christianus Orbis instituit, idque cœlo auctore. Nam ferunt Anachoreten hac ipsa luce quot annis audire cœlestes illos Amphiones solitasse, qui lætissimis modulis omnem latè Aërem exhilararent; sed & Paulum quendam annis permultis sub eam noctem, quæ diem VIRGINIS Natalem præit, vidisse sidus ingens cœlo se demittere, & festivis ignibus Ædem Lateranam exornare: utrumque porrò Angelis Doctoribus didicisse, id ob *Cunarum Virgineum* memoriam superos factitare. Echo itaq; solum est omnis hodie mortalium plausus, quam cœlum suis concentibus provocat, utinam vel ad ultima hujus vota responsura! scintilla est, ab æthere in animos hominum illapsa, utinam in incendia abitura! Bene profectò Innoc. IV. quòd à morte Cælestini IV. Pont. Max. creatio, quàm Frideric. II. Imperator turbare nitebatur, VIRGINIS

ope

ope feliciter ſuceſſiſſet, Patronæ cunas omnibus annis dies VIII. celebrari juſſit. Sed hoc etiam parum eſſe, audacter dico. Felices illæ cunæ, illæ linguæ, in quibus quotidie MARIA cũ Aurora naſcitur, cum Sole vivit, & neque cum die emoritur. *Ex Duran. Beleth. Vinc. Turſell.*

MEDITATIO.

De Nativitate B. V. Mariæ.

1. MEditare quibus ornamentis hodie decoretur Maria. Pater æternus dat filiæ ſuæ præclarum nomen, & ſupremo ejus imperio cœlum & terram, angelos & homines ſubjicit. Verbum æternum eam eligit in matrem, & hominem quemlibet facit adoptivum ejus filium, cum ampliſſima poteſtate, filios non degeneres immortali hæreditate remunerandi. Omnibus demum gratiis ſponſam ſuam ornat Spiritus ſanctus. Gratulare Mariæ quòd tot bonis cumuletur.

2. Tot gratiarum haud immemor fuit Maria. Singulari beneficio jamtum rationis compos, Deum Patrem adorat, fatetur indignam ſe eſſe, quæ pariat æternum Patris Verbum: offert cor Spiritui ſancto, ſponſo ſuo. Hodie facias, quod ipſa fecit ſtatim poſt Nativitatem: Adora Patrem æternum, deprimete coram Filio & trade cor tuum Spiritui ſancto.

3. Quid in honorem Nativitatis Mariæ facturus es? cole Mariam, quia poteſt tibi laboranti adeſſe, cum ipſi data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ama Mariam quia & tua & Jeſu Mater eſt, confide

Mariæ, parens est prædestinatorum. Esto constans & fidelis servus ejus, ut ipsa constans & fidelis fuit sponsa Spiritus sancti. *Oportet inter fluctus seculi confugere ad Mariam, & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere.* S. Epiphanius.

S. AUDOMARUS EPISC. CONFESS.

9. Septembris.

Bonum est mihi cum uno oculo in vitam ingredi, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Matt. 18.

COepit Audomarus tunc vivere, cùm desijt Mater, quando nimirum à morte hujus cum patre mori mundo inter Asceras occepit. Jucundum credo videre cœlo erat, Patrem una & filium in eadem virtutis schola discere, miraculo eo majori, quod ad hanc filius Patrem duxerat. Quid jam mirum, si mira alia quàm plurima patravit Audomarus, si radiare è ligno ctucem, si exsurgere è lectulis ægros, è vinculis captivos jussit? Nos duo tantùm scribemus, quorum pueri unum, alterum bis pueri senes legant. Episcopus jam Morinensis adolescenti interdixerat, ne

ne cymba in aquis luderet. Risit ille, & lusit. Sed in obsequentem venti fluctúsque in altum, inde è Gallia in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immorigerum conjurasse cum aquis terram agnosceret, latrones in littore venientem præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer Nauta? Nempe remi preces, vela Divi apud DEUM AUDOMARI merita fuerunt. His ille in patrium portum invectus Naulum Navarcho suo obsequiũ dehinc persolvit. Hic cùm amissos senio oculos ad D. Vedasti tumulũ recepisset, mox facti pœnitens cùm nõ videret, an ex te animi esset videre, precatus est Deum, iterum eriperet, si noceret, lumen. Eripuit & in cœlum abituro Duces Angelos misit. Ibi ille cœcus nunc Deum videt. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

De Cæcitate utili ad salutem & noxia.

1. S. Audomarus visui præelegit oculorum cæcitatem. Est virtutum cæcitas quædam sancta. Sic cæca est sanctorum obedientia: sæpe puer regit cæcum virum, ita sancti facilè obtemperant. Justitia quoq; cæca: non enim respicit personã. Humilitas etiam ambulat cæcè pro suis defectibus censendis habet oculos Argi: Defectus aliorum vel non videt, vel

vel dissimulat, vel tegit si potest vel excusat: *Nonne tu festucam vides in oculo fratris tui, & in tuo non vides trabem?* Castitas quoque cæca est; claudit enim oculos, *ne mors intret per fenestras.*

2. Est cæcitas vituperabilis affectuum amoris & iræ. Cæcè amamus: nimis multi sunt exoculati Sampsones; Nec prævident suam infamiam, nec animæ ruinam. Excæcant etiam amor consanguineorum & auri cupido: clama cũ cæco. *O Domine ut Videam.* Luc. 18. Iræ quoque affectus obscurat rationem, ut cæco furore multa agamus: igitur ne statuas quidquam si iratus fueris. *Jam te* (inquiebat Architas Tarent) *occiderem nisi iratus essem.*

3. Est cæcitas execrabilis peccatorum, qui amisso per peccatum lumine divinæ gratiæ *tota nocte laborantes nihil capiunt*: O quanta cæcitas! *Si omnia egero, & charitatem non habuero nihil sum, & nihil mihi prodest.* S. Paul.

S. NICOLAUS TOLENTIN. CONF.

10. Septembris.

Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare, & in omnibus institutus sum. Paul. ad Philip. cap. 4.

Sep.

SEptennis NICOLAVS solenne deinceps habuit, tres in hebdomade dies, intérque eos illum etiam, quem Virgini dicamus, pane cibario & fontanâ victitare. In Canonicorum deinde collegium ascitus, cùm illa pro concione D. Joannis audisset (*Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt*) quasi uni illi dictum esset, extemplò ad eos Anachoretas abijt: qui D. Augustinum æmulantur. Ibi facilè ostendit, quàm Mundum Mundique omnia odisset. Sacerdos ubi primùm litare cœpit, è piacularibus flammis umbra adfuit, abduxitque ad immania tormentorum ergastula. Ibi simul hæc, simul sociæ umbræ omnes patronum sibi NICOLAUM legerunt; pro quibus cùm ille ad aram aliquoties dixisset, partem longè maximam à suppliciis absolvit. Sub hæc cùm eum aliquis à Religionis amore abducere & mundo iterum conciliare pessimè conciliatus adniteretur, surdum scilicet reperit. At faciles aures invenerunt è cœlo vates, qui obiturum feliciter NICOLAUM Tolentini cecinerunt. Eò enim ocyus abiit, stellâ duce, quæ ibi demum constitit, ubi tumulatus postea fuit. Morituro jamjam Christus cum Matre & D. Augustino obvius venit, cùm sex ante mortem mensibus quotidie

tidie sub noctem Angelorum concentus audisset, manifesto indicio, quàm non longè à cœlo abesset. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Modus in quolibet vitæ genere feliciter vivendi.

1. IN qua vocatione vocatus es in ea hilaris permane. Noli imitari quosdam miserioris naturæ homines, qui suas calamitates fucatæ aliorum felicitati assiduè comparant. Voluit Deus ut hunc vitæ statum amplecterereris. Tua tibi sors placeat: acquiesce Divinæ voluntati; lætare in Domino semper. *Cognovi* inquit Salomon *quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Eccles.

2. Ne plura concupiscas aut naturæ aut fortunæ munera, quàm habeas: Deus bonorum est largitor æquissimus, forsan acutius ingenium, robustius corpus, pinguius patrimonium exitio tibi fuisset, non opes, non scientiæ, non dignitates, & alia id genus vitæ præsentis bona hominem felicem efficiunt, sed possessio Dei, in quo solo sunt vera bona. *Non divitiæ, sed Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia.* August.

3. Esto contentus tibi concessis in statu gratiæ bonis, neque plura cupias anxio & perturbato animo: datis utere & Deo feceris satis. In primis ut contentus vivas, memento peccata tua infernum meruisse, & assiduis fletibus elue delicta tuæ juventutis: nam vera compunctio gratiam & lætitiam parit, & pœni-

tentiam

tentiam lacrymæ peccatorum voluptatibus sunt longè suaviores.

S. THEODORA POENITENS.

11. Septembris.

Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem qui non indigent pœnitentiâ. Luc. 15. cap.

Virum an fœminam spectâsse te, Lector autumas? utrumque, si mihi credis. Nam fœmina, puto, fuit THEODORA, cùm lapsa est, vir, cùm surrexit. Id te vita docebit. Tenebat illa matronas inter Alexandriæ principem locum. Sed ex hoc Lena eademque Venefica turpiter dejecit, cùm quæ sol occidens non spectat scelera, impunè perpetrari suasit, itaque adulterium persuasit: ac si unũ solummodo cœlum oculũ haberet & media etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa THEODORA crimẽ, cùm primùm Lux animo oborta est, & quò ruborẽ absconderet, cœnobio se abdidit utq; viros effugeret, inter viros virum

virum se venditavit. Et jam lacrymas, quibus facinus piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso innoxiam per fluctus tulit; jam sylvæ, per quas invidi monachi intempestâ nocte miserant à feris devorandam, virum & ipsæ crediderant; cùm loco pellens Dæmon malus aggressus, non quidem virum negavit THEODORAM, sed tamen infamis mulierculæ opera patrē mentitus est. Poterat se ipsam absolvere THEODORA sexū fatendo. Sed maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cœli hominumque injurijs exposita. Denique cæteri miracula, morientis apud cœlites gloria cœnobiarchæ ostensa, adductusque eodem temporis articulo maritus, Mors ipsa denique palàm orbi fecerunt fœminam fuisse THEODORAM, sed quam viri imitarentur.

MEDITATIO.

De triplici ratione pœnitentiæ.

1. NEcesse est ut pœnitentia interior sit: oportet ut peccator offerat Deo cor contritum & humiliatum, æquóque & lubenti animo accipiat afflictiones, quas Deus immiserit in peccatorum pœnam. Acerbum nihil est consideranti, momentaneis tribulationibus æternos ignes extingui: attribue pec-

peccatis tuis quidquid tibi calamitatis acciderit. *Nam ipse sibi parat peccator, quod patitur; nihil itaque de calamitatibus nostris imputare Deo possumus, nos calamitatum nostrarum auctores sumus.* Salv.

2. Pœnitentiæ causâ abstine quantum poteris, licitis voluptatibus: qui Creatorem offendit, indiguus est, qui rebus creatis ad delicias utatur. Licitis fruantur justi delitiis, at pœnitentiam agant peccatores, quibus nimirum ad pœnitentiam vita prorogatur.

3. Ad hæc susceptis ultro laboribus macera corpus tuum;, ut perceptam indelitiis voluptatem luat. Ita sancti in quorum vita toties mentio fit de vigiliis, jejuniis, ciliciis, verberibus, an credimus iisnos esse nocentes minus? ut illis, sic nobis arcta via ad vitam est. Ne nos ipsi decipiamus, agamus pœnitentiam, ne in eadem crimina relabamur, nam *ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia necessariò vana.* Terttull.

S. GUIDO CONFESSOR.

12. Septembris.

Quamdiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. 2. Cor. 5.

ETiam Guidonem humili genere natum ad Astra virtus evexit, tutissima eorum scala, qui generosi humi obrepere detrectant. Natalem terram Brabantia dedit. Puer non priùs animo hilari esse nunquam potuit, quàm aut prece DEO, aut egeno stipem de-

disset, quam ubi non habuit, ipse scilicet coëgit, mendicorum mendicabulum. Adolescens VIRGINIS templo operam suam ædituus addixit, gnarus cœli portam esse, quam curaret. A tam sancto munere cùm à mercatore persuasus mare conscendisset, & ventos & superos adversos sensit, quin remo manum tam diu eximere non potuit, quousque hanc redux Virginis aræ supplicem tetendit, manifesto in hujus transfugas exemplo. Sanctius postmodum iter instituit, cùm Romam & Hierosolymas aliosque Christianis vestigiis nobiles locos petiit, septémque ipsos annos talem se, quales omnes sumus peregrinum vendidit. Hinc cum fesso DEUS quietem donare vellet, in lectulum dejecit. Hoc cùm æger Anderlaci decumberet, columba è cœlo multo lumine coruscа advolavit, simul vox audita est, quæ *ad coronam Dilectum* invitavit. Enimverò lubens paruit. Orbe scilicet pererrato, restabat ut astra viseret, quam viam an illi Juvenes insistant, qui Gallias nunc & Italias petunt, tibi qui hæc legis, Judicium esto. *Ex Surio.*

MEDITATIO

Quomodo in hac vita peregrinandum ad cœlum.

1. UT imiteris S. Guidonem Peregrinantem in terris, moveare adinstar Circini qui non movetur in orbem, nisi ad voluntatem illius qui gerit in manu. Ita voluntas hominis Christiani omnes motus suos conformet voluntati divinæ, dicat in omnibus: *non mea sed tua voluntas fiat.* Sicut circinus fixo uno pede immobiliter in centro, altero circumeundo perficit orbem, ita tu extende te ad curas & negotia vitæ tuæ, corpore per varias occupationes, vagando, sed animo semper Deo, insistens. Nam Christus ipse dicit. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,* Joh. 15.

2. Imitare in peregrinatione hujus vitæ evagationes prædabundæ per prata, & hortos apiculæ, quæ non redit in alveare nisi onusta. Ita quotidie aliquid boni collige & reconde pro æternitate felice tibi præparandâ. *Charitas* inquit S. Chrysost. hom. 33 Epist. 1. ad Cor. *Veluti frugi quædam apicula, bona omnia undiq; collecta, in amantis animam importat.* Quomodo colligis quotidie?

3. Imitare motum navis. Ita innitere fluxis, ut obtineas portum. Vela semper pande in altum spe gratiæ. Fortiter obnitere fluctibus fortunæ adversæ, quos superabis efficaciâ gratiæ. Secundo cursu utere cum moderatione, ne te præcipitem rapiat fortuna. Tuorum consiliorum gubernatrix sit mens divina.

S. AMATUS ABBAS.

13 Septembris.

Qui fidelis est in minimo, etiam in majori fidelis est. Luc. 16.

GRatianopoli AMATVS natus à Patre Theodoro DEO devotus est. Tam sanctis initiis respondit sanctior vita, quam, in Augunensi Cœnobio, annis triginta religiosè, in solitudine postea rigidissimè exegit. Aquam & panem, quæ in triduum ex monasterio accipere solitus erat, invidit dæmon, qui in corvi forma, aquam, eversâ hydriâ, sæpe effudit panemque abstulit, gratulanti sibi Sancto, quod sic longiore jejunio DEI amore se macerare posset. Cùm ei struenda cellula, errore fabri, ligna mensuram non attingebant; ea, AMATVS oratione sua, ut apta essent, extendit; fontem, ne adferre porrò undas necesse esset, post preces scipione ad ipsam speluncam elicuit. Otio sibi exoso, ne locum daret, terram pro semente effodit: unde cùm hordeum messuisset, suus ipse molitor, & pistor, atque etiam cocus deinceps fuit. Saxum ingens, ab alto rupis in cellulam ruens, crucis opposito signo, stitit, & rupi ut adhæresceret sine fulcro obtinuit. Non nisi dominicis ad sacra egressus cellâ est, lectus ei perpetuus cilicium cinere conspersum

sum, cujus edacitate ad ossa usque caro ejus erosa est. Defunctus cùm esset in Catholicæ fidei professione, triduo pòst Fratribus Monasterii felicitatis obtentæ testis glorioſus apparuit. Sic, ais, itur ad astra. At per aspera. Cave ergo ne mollia sectéris: nam sic properatur ad orcum. *Lippeloo.*

MEDITATIO.

De vitandis noxis venialibus.

1. PEccata venialia diligenter vitanda sunt. Utpote quibus ad mortalia sensim descenditur: nemo derepente fit pessimus, sed levis noxa via est ad scelus. Uti leviſſimo morbo diligenter occurris, ita peccato cuilibet occurrendum: non te defendet levitatis excusatio: *Nam nunquam excusatur, quod Deus damnat.* Tertull.

2. Peccatum veniale quantumlibet parvum videatur, maximum est: Deum quippe offendit. An exploratum tibi est, quid sibi velint verba hæc quæ interdum jactas? modò nullum peccatum mortale admittam, de venialibus parum curo: hoc est, nolo quidem Dominum Jesum Crucifigere & occidere, sed volo duntaxat capiti ejus spineam coronam imponere, corpus ejus flagellis cædere, faciem sputis & alapis deturpare, & nisi gehennæ timor deterreret lethali peccato eum rursus occiderem. Impie! crudelis! en germanum verborum tuorum sensum!

3. Nisi lacrymis venalia peccata hîc deleantur, in purgatorio igne purgabuntur. At quàm acres sunt

ignes illi! quàm horrendus purgatorii carcer! infernus temporaneus est, alteri non dissimilis, si pœnarum æternitatem, & incolarum impietatem excipias. An est tanti in peccato percepta voluptas, ut ea atrocibus suppliciis ematur? *Hunc transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.*

EXALTATIO S. CRVCIS

14. Septembris.

Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum. Joan. cap. 15.

SI minus bellare feliciter, certè prædari novit Cosrhoas, qui cùm captam totius Hierosolymam ipse etiam cepisset: prædam nimium quantum magnam Crucem Servatoris in Persidem asportavit. Doluit Christianus Imper. Heraclius spolia hæc Christianis detracta esse, & cœlo auctore armis commune omnibus Christianis dedecus aggressus abolere, ternas copias Cosrhoæ totidémque Duces felici Marte devicit, fortissimè Christianis utpotè pro signis suis dimicantibus. Cosrhoas dum fugâ Tigrim trajicit, socium regni filium minorem Mardesam sibi adsciscit. Id maximus natu Syroës impatien-

ter

ter ferens, gemino patricidio & fratrē & parentem sustulit, pactúsq; regnum cum Heraclio pro Cruce stultissimus Mercator. Hanc porrò Heraclius cùm imperatorio habitu fulgens eò ferre vellet, quò primò Servator tulerat, nec tamen occultâ vi gradum morante progredi jam posset, monuit Præsul Zacharias fastum poneret & aurum nimis animo onerosum; nescire crucem purpuram, nisi quæ de Christi sanguine ruberet, sed neque coronam nôsse, quam spinæ non ornarent. Aliter ergò triumphandum sibi esse intelligens Heraclius, nudus pedes & plebeiam togam indutus facilè jam pedē promovit, & sublimē crucem loco suo & honori restituit. Hæc EXALTATÆ CRVCIS festa initia ajunt. Nego ego, & cum bona pace Heraclii, ea Christo primitus adscribo. *Ex Brev. & Baron.*

MEDITATIO.

De exaltatione S. Crucis.

1. AMans crucis supra omnes res creatas exaltatur, tutus ab injuriis fortunæ. Non timet morbum, paupertatem, dedecus aliásque calamitates. Nullis vitæ hujus ærumnis affligitur, utpote quas desiderat, eásque Christi causâ hilari animo patitur. Quæ tibi sunt dolori & timori, ea sunt illi voluptati, & tunc felicissimus est, cùm tibi miserrimus videtur, *Christianus miser videri potest, inveniri non potest.* Minut.

2. Amans crucis se ipso altiùs extollitur: hominem non crederes: cupiditatibus non accenditur, non pungitur concupiscentiâ, deliciis non emollitur: amat laborem: horret quietem: & quoniam in hac miseriarum valle occasiones patiendi, eum non deficiunt, semper lætus est, ac hilaris, quia voti compos.

3. Amans crucis eò usque evehitur, ut Christo de cruce pendenti similis, mundo crucifixus, & sibi mortuus sit. Ah Domine cuci tuæ affigar, quantumvis reluctetur caro, quoniam tibi redemptori meo corpus & animam meam debeo: crucifigar; coronet spinis; sit simile meum corpus tuo corpori, quod pro me Patri æterno obtulisti. *Si ob hoc caput tuum Christo debes, tale, si potes, ei repende, quale suum pro tuo obtulit.* Tertull.

S. MATERNUS EPISC

15. Septembris.

Resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Luc. 7.

POrtentum in orbe MATERNVS est, cui simile nullum: huic enim soli ter vita, ter mori obtigit. Natus in urbe Naim Galileæ, atque adolescens cum matris orbæ extremo dolore iterum denatus, cùm jam efferretur, ad Christi miserentis imperium vitæ & matri redditus est. A Servatoris nostri gloriosa Anastasi, S. Petro discipulus adhæsit,

à quo

à quo cum aliis ad Rhenum prædicaturus cùm iret, in itinere iterum vitâ functus, post XL. dies, ex ipso tumulo, egestâ terrâ, cùm mortuo S. Petri baculus impositus esset, tertiò in vitam miraculo prodiit. Germaniæ deinceps Apostolus, defunctis S. Euchario & S. Valerio prædicationis sociis, cùm Colonienses & Tungrenses ab Idolis convertisset, Trevirensibus Episcopus præfuit, ubi notabili prodigio festa aliquando Natali Christi nocte tria sacra tribus dissitissimis locis, Angelo transferente Tungris, Coloniæ, & Treviris, in Cathedrali sua, dixit. Ibidem tertiâ vice, antequam moreretur, præmonitus est à defunctis sociis, qui coronati apparentes, coronam ostendêre tertiam, triduo pòst eidem apud Superos imponendam. Jam jacet, non nisi Angeli tuba in universali Anastasi tertiò resuscitandus. Tibi satis sit, si bene vivas, bene semel mori. *Ex Lippeloo.*

MEDITATIO.

De triplice morte S. Materni.

1. TRiplici morte obiit S. Maternus, terque eodem die Sacrificium obtulit in dissitissimis locis, ope Angelorum transportatus. Poteris & tu triplici morte occumbendo triplex Deo tuo Sacrificium offerre. Primò moriatur in te homo animalis in suis cupiditati-

diditatibus; abstine non solùm illicitis sed etiam licitis deliciis. Parvis in rebus si contraire assuescas tuis concupiscentiis, non laborabis in magnis. Domine ad crucem tuam provolutus tibi offero in sacrificium & immolo omnes meos Spiritui rebelles appetitus, & in specie quidem, hos.

2. Moriatur in te homo spiritualis per immolationem propriæ voluntatis: quæ fons est omnium malorum. Id tantùm velis, quod vult Deus, & ij qui vicem Dei gerunt. Repugna semper propriæ voluntati. Glorioſior nulla victoria est, quàm de se ipso. Domine Sacrificium meum ne rejicias, idem velle ac nolle meum, tecum habere volo, & hoc erit Sacrificium vespertinum quod Christus obtulit in cruce *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

3. Mortuus etiam est jam pridem in te vetus homo quando in aqua baptismi submersum est peccatum veteris Adami. Sed an Christum quem in baptismo induisti usque ad huc retinuisti? Si vivis adhuc virâ primæ gratiæ in baptismo datæ, grtias age Deo: si mortuus es semel, fac ut recuperes vitam.

S. EDITHA VIRGO.

4. Septembris.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. 1. Cor. 15. 53.

Ferax

FErax olim Divorum tellus Anglia, quàm heu! degeneraſti, ſponte tuas ferebas fructus olim, quos jam non niſi gladiis ſulcata, & ſanguine rigata donas. Illos inter EDITHA numeratur Edgari Regis filia & Chriſti ſponſa, cui amores ſuos primis annis devovit, paranymphos novo more leproſos diligens, quos, quò deformiores aſpectu erant, hòc formoſiores & digniores ſe putabat; ut jam cœlo id muneris ambiente, non dubitaret Angelus pauperem præferre. Porrò in deliciis EDITHÆ Crux fuit, quam cùm pingere toties manu Dunſtanus Antiſtes vidiſſet, pollicem prehendens nunquam tabe obnoxium eſſe juſſit. Id quod poſtea factum vidit Anglia, cùm à morte (quæ ut ſuavis eſſet, cantu ſuo Angeli fecerunt) trigeſimo die Matri, tum anno tertio decimo Dunſtano ſpectandam ſe dedit, monuitque, corpuſculum tolleret integrum tunc etiam, Si membra, quibus in molli ætate ad levitatem abuſa eſſet, excideret. Itum & inſpectum monumentum eſt, fidemque fecerunt præter oculos, pedes & manus, omnia reliqua à tabo immunia membra. Sed & in dextra pollex à putredine fuit eximius. Quid? quod cùm miraculum Canutus Rex rediret, reſerato iterum loculo media

dia sepulchro se extulit, manúmque injicens improbo paravit? Supplicem tamen & ingratiam recepit, & inter undas postea servavit. Magni hæc olim Anglia miracula faciebat, pluris ego Angliam, si in vitam nobis Editha revocaret. *Ex Graf.*

MEDITATIO.

De S. Editha.

1. CRux Christi S. Edithæ ita fuit in deliciis, ut pollex Ille quo pingere solebat cruces, incorruptus permanserit. Ita amor crucis servat pios; odio autem crucis computrescunt impii. Sunt enim Christiani, qui in afflictionibus suis damnant providentiam Dei, & justitiam Dei arguunt. Heu miseri! quos Crux & afflictio ita corrumpit, qui castigati non resipiscunt! *Urimur & secamur, nec ferri defectione, nec cauteriorum adustione sanamur, imò quod gravius est, curâ ipsâ deteriores sumus.* Salvian.

2. S. Editha Angelos comites habuit, in cœlum abiens post mortem: habebis eosdem tutores in via, & ductores ad patriam, si cum Editha imitatus fueris Angelorum virtutes. Primò tua charitas more Angelorum se extendat æquè ad egenos, quàm divites: tua obedientia sit velox more Angelorum ad mandata Dei & superiorum tuorum: Tua justitia sit sine acceptione personarum: Tua cogitatio sit continua præsentia Dei: Tua castitas sit ab omni corruptionis fœtore immmunis. Sic Angelus eris. *Christus factus est homo, ut posset Christianus esse Angelus.* S. Aug.

3.

3; Decimo tertio anno post mortem Edithæ inventa sunt membra immunia à tabo præter oculos, pedes, & manus, quibus membris in molli ætate abusa est ad levitatem. Quis tibi usus est horum membrorum? *an non scandalizat te oculus tuus, vel pes, vel manus?*

S. HILDEGARDIS V.

17. Septembris.

Tristatur aliquis vestrum? oret S. Jacob. Ep. c. 5.

NEscio quid de HILDEGARDE sentiendum, mundúmne deseruerit, an potiùs nunquam fuerit in mundo: quippe IIX. annorum virguncula inter Virgines sacras adlecta. Cœlestia ab ipsis cunis videre habuit, nutúque hæc prodidit, quando sermone non potuit. Litteras, quas nunquam didicit, scripsit tamen, eásque non suâ linguâ: atque ut cantaturam scires olim, quod canere alii desperabant, carmen, jam tunc absque Doctore scitissimè modulabatur. Vatum etiam sacrorum oracula fideiúque nostræ volumina legebat & explicabat puella, ut ipsissimam sæculi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eugenius PP. probaret. Cæterum visa cœlestia morbus comitabatur ferè continuus, qui castigabat scilicet timidam,

dam, quoties prodere hominibus moni
cœlo data negligeret; fuitque, cum lecto af
fixam ita undique oppugnarunt dolores, u
cedere anima & velle deditionem facere jam
jam videretur. Sed præsidio Angeli venerun
è Primipili Michaëlis cohorte; qui atros Ge
nios unáque morbos omnes in fugam ege
runt. Dum porrò vixit, mira egit innume
ra, linceóque vultu ipsas cordis latebras in
spexit, sensáque animi obtutu suo deprehen
dit. Funus illustravit, Iris gemina in cœlo
visa, hanc lux coronabat Lunæ circulum re
ferens, quem itidem crux ornabat, multipli
ci mox incremento innumera. Id miraculum
super defunctæ domum descendit. Et ascen
dere nos dubitamus tam familiariter invitati.
Ex Surio.

MEDITATIO.

De modis tristitiam vincendi.

1 S. Hildegardis quanquam ferè nunquam sine morbo esset, semper tamen dulcedine quadam cœlesti delectabatur: disce modos vincendi tristitiam. *Tristatur aliquis vestrum,* inquit S. Jacobus; *oret.* Cum Deo veluti cum amico doloris nostri cura communicanda, ille consulendus, & secretiori voce respondebit. *Memor fui Dei, & delectatus sum,* ait David in tribulationibus suis.

2. Ut hæc, quâ obruimur, tristitia citò abstergatur

con-

consideremus esse complures nobis infeliciores. Tot pauperes in xenodochiis, tot ægroti in lectis suis, tot captivi apud Barbaros multò duriora patiuntur. Longè etiam majora sunt tormenta animarum quæ purgatoriis aut æternis ignibus cremantur: hos ignes cum meruerimus peccatis nostris, pœnitentiæ nomine hunc mœrorem pacatè feramus.

3. perpende tristitiam Christi Jesu, quâ tantùm non in horto mortuus est. Vide quid pro te in cruce passus sit, & dic cum Jesu: Pater fiat voluntas tua, calicem passionis bibam toto vitæ tempore, si ita placitum sit ante te. Deniqne cùm Christus ipse & sancti omnes opprobriis & mœroribus saturati fuerint, nequicquam speremus nos fore perpetuò felices. *Timenda sunt Christianis præsentis sæculi gaudia & optanda pro devotione mæstitia.* Chrys.

S. THOMAS à VILLA NOVA.

18. Septembris.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Luc. 6.

EDucatio quid efficiat, ingens in pauperes misericordia THOMÆ convincit. Hausit hanc à parentibus, qui, ut ipsi liberales parvulo obtrusêre nummos, unde ditaret pauperes, & laudabant, cùm sine pallio & pileo,

leo, imò, vestito paupere, cùm nudum re currere filium domum videre. Aucta hæc ſan cta est prodigalitas, cùm religioso S. Augu stini Ordine, in quo persanctè vixerat, en tractus, & invitus infulâ coronatus est. Va lentiæ enim Episcopus, beneficii proventu omnes pauperum fecit, &, ut plus dare po set per eleemosynam, vacuata horrea mira culo replevit Deus: ita abundantibus suo be neficio egentium compluribus, lætabatur scilicet, cùm in extremo morbo, ita, omni bus expensis, nudatus est, ut in alieno lectul (nam quo jacebat commodato utebatur) mo reretur, suo dudum pauperibus donato. Atq pauperũ patri, cùm in morte deficerēt omnia, post mortem præco virtutis deesset, pue mortuus ad ejus tumulum revixit, præque omni eloquentia fuere pauperum lamenta. Ipse nunc dives Gloriâ, ridet scilicet tenaces divites qui vestiti hic duplicibus, nudi coram judice cogentur erubescere. *Brev.*

MEDITATIO.

De Misericordia divina.

1. BOnus est Deus, imo ipsamet bonitas, & ideo cuilibet mitem ac misericordem se præbet. Hac in re imitare Deum: cuiq; benignè, facsed divini amoris causâ, si enim liberalitate & beneficentia lauden

huma

humanam quæras, paratam tibi à Deo mercedem non accipies. Domine! ut aliquatenus misericordiam tuam imiter, pro tenuitate meâ aliorum miseriis subveniam.

2. Deus misericors est adversùs amicos suos, quos ab æternitate prædestinavit; ejus beneficio illis omnia cooperantur in bonũ: Et si quandoq; leviter peccant, eos à se non repellit. Imò gratiis quasi stimulis urget, ut his vinculis se se expediant. An es amicus Dei? interroga conscientiam tuam; labora ut hanc amicitiam tibi concilies: Amari à Deo nihil facilius. *Vide* (inquit S. Chrysostom.) *si labor est, ubi velle satis est.*

3 Deus non minori misericordiâ complectitur peccatores, quos sanguine suo redemit, nullum est peccatum, quantum quantum sit, quod ipsis non sit condonaturus, modo pœnitentiam agant expectat, urget, gratiis prævenit. Amantissime Deus! quanta est tua misericordia! hanc autem *noli contemnere Dei misericordiam, si non vis sentire justitiam.* Bern.

JANVARIVS Cum SOC. MARTYRIBVS.

19. Septembris.

Nescio vos unde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium.

Luc. cap. 13.

Vidit Januarius Beneventanus Pont. flammam cœlo lapsam caput Sosij Diaconi lambere. Eo prodigio excitatus accurrit, Sosiúmque osculis & amplexu impertitum Martyrem salutavit, Martyr etiam ipse futurus. Etenim ad Annum Christi CCCXLV. à Timotheo in furnum tertio jam die successum conjectus est. Nimirum qui puerorum olim inter flammas modulos mirati sunt, magis nunc inter easdem senem Cygnum Januarium obstupuissent, cui, ut omnibus numeris suis constaret Musica, voces suas Angeli junxerunt. Innoxium itaque ex equuleo suspendi Tyrannus imperat. Sed velo mnibus laceratis nervis fortis tamen paruit. Jam cùm victorem victus ante currum Puteolos egisset, bravium scilicet speravit Januarius. A cursu ad carceres reductus familiarem suum illic Sosium reperit. Mox ad bestias damnatus virtute suâ omnes cicuravit, præter proconsul. qui cùm capitis sententiam in Divum pronunciasset, oculis repentè orbatus tunc demum errorem suum vidit, jamque propitium Numen sibi à Januario oravit. Sed diceres omnem, quam bestiæ posuerant feritatem, in unum judicem coisse. Vix enim Januarius lumen ingrato reddidit,

cùm

cùm hic gladio illi abstulit. Aspexêre tamen fidei lucem; quam videns videre respuit Timotheus, quinque millia hominum. *Ex Baron.*

MEDITATIO.

Triplex inferni consideratio.

1. S. Januario illæso redeunte ex furno ardente, *Vivus descende in infernum*, ut Salvus evadas in æternũ. In inferno sunt omnia omnino mala, nullo vel minimo bono temperata. Obversentur animo tuo omnia Martyrum supplicia, omnésque dolores, quibus ægroti quilibet cruciantur, & ubi hæc cogitando perceperis, dic sine erroris metu. Nihil sunt ad infernum, qui est. *Ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus.* Tertull.

2. Finge tibi animo incolas inferni: vide quàm horrendis modis crucientur; audi querelas, ejulatus, blasphemias: odorare Pædorem & fœtorem æterni hujus carceris; gusta fel, quo sitis eorum accenditur; ignes experire, quibus concremantur: Heu! fortè propter breviſſimam voluptatem his ignibus æternis addicti sunt. *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*

3. Memoria damnatorum cruciabitur recordatione tum voluptatum, quibus ad dolores pervenerunt, tum temporis, quod malè consumpserunt. Tunc demum capiet eorum intellectus amissi boni præstantiam, & inflicti mali gravitatem: eorum verò voluntas malum pertinaciter complectetur: Tunc eos peccâsse pœnitebit, sed erit intempestiva eorum pœni-

tentia. *Tardè nobis displicebimus in conspectu ignis inferni, qui interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras.* Eus. Emiss.

S. EUSTACHIUS Mart.

20. Septembris.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.

EUSTACHIUS olim Placidus (cujus vel nomen Romani Imperii hostes debellabat) dum feras sectatur, Christum inter Cervi cornua conspicuum habet, domúmque nobile venationis spolium Fidem portat. Ab eo tempore etiam Christiani Jobum suum habuerunt. Nam opes & familiam eversam mitto. Ab exilio exordior. In hoc conjugem impurus nauta sub oculis avehit, mox ipsos oculos (filios geminos) illum quidem leo, hunc lupus rapit. Jam ille tantorum nuper exercituum Imper. pecoris fit Dictator, classicum bubus canit, dux oves præit, baculo in lupos pugnat. Sed proditus demum à cicatrice, ad Trajanum iterum, ad excercitum ab aratro abducitur. Et vide mihi sis fortunæ ludum. Merent sub illo Agapitus & Theopistus, quos dentibus ferarum Opiliones olim excusserant, ipsissimi filii EUSTACHII; hi dum

alter

alter alteri puericiam ſuam narrant, & repentè fratres ſe mutuò ſalutant, audit hæc è vicino mater (cujus impudicitiæ Deus conſuluit, impio nautâ extincto) & utrumque ad Ducem rapit, petitque, filios ſibi vindicet. Hic inſperato Eustachius pro ſe pronunciat, agnituſque & uxorem & filios ſibi addicit. Victor deinde Romam ingreſſus ipſos in Triumphum Deos ducit. Dum enim his ſacrificare renuit, ad beſtias cum ſuis damnatur, innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipſum alii credebant, ſed ille fortunam ridebat. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Semper lætandum eſt.

1. S. Euſtachius in ipſa delectatione venationis invenit Dominum. Lætos ac hilares ſervos cupit Deus, poſſunt illi gaudere ſemper, ſed in Domino, invenis Dominum in ipſa lætitia, ſi inter gaudia ſubcat etiam mentem triſtitia Jeſu Chriſti. Et cave, ne voluptatibus illicitis illum rurſus crucifigas. *Nunquid lætari & ridere non poßumus? niſi riſum noſtrum, atq; lætitiam, ſcelus eſſe faciamus.* Salvian.

2. Lætare etiam in mediis afflictionibus exemplo S. Euſtachii, qui hilari ac pacato animo tulit uxoris, filiorum ac bonorum omnium jacturam, quoniam hæc erat voluntas Dei. Quantùm levat ægritudinem hæc cogitatio! quod patior, placet Deo: cedit

ejus gloriæ, cedit meæ utilitati. Gaudeo Domine, sempérque gaudebo, quod fiat in me voluntas tua. Si doloribus affectum corpus gemuerit, anima certè acquiescit in divina voluntate tua, in eáque faciendâ semper gaudebit.

3. Si quas olim delicias Deus in oratione concessit, eas in præsentia deneget, id tuæ pravitati adscribe. Cave omittas solita pietatis officia, recedit Deus ut probet virtutem, vel animum tumentem deprimat. Te Domine in orationibus non consolationes quæro. *Quare faciem tuam avertis? gaudium per quod gaudeo? ubi es absconditus Pulcher quem desidero.* S. August.

S. MATTHÆUS Apost.

21. Septembris.

Cùm transiret inde Jesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine & ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.

Matt cap. 9.

VIdit Judæa hodie clarum inter pauca Miraculum: Camelum scilicet per Angustias Acûs se penetrantem. MATTHÆUS fuit, è prædivite Publicano impiger CHRISTI sectator, cujus etiam vitam literis descriptam reliquit, maximam posteris hæreditatem,

tatem. In Æthiopia multa illi lucta cum Magis fuit, qui geminos aliquando in Divum Dracones emiserunt, sed quos ille quàm mox cicures in loca sola amandavit. Cum his monstris etiam perfidia exulavit. Nam cùm insuper filium Regis demortuum ad vitam revocâsset, permota hujuscemodi miris Regni longè maxima pars CHRISTUM amplexa est. Sed cùm regnum adiisset, qui Iphigeniam jam olim Deo desponsam copulare sibi sacrilegus pertentaret. MATTHÆUS quòd palàm impium procum damnaret, dum ad aram facit, securi cæsus ipse victima sacerdos cadit. Continuò Iphigenia Virginitatis Patrono templum ponit. Hic Rex non Amore jam modò, sed irâ etiam ardens, ignes Virginis ædibus subjicit. Sed iterum pro pudore Angelo è cœlis & D. MATTHÆO pugnantibus, flamma ad tyranni tecta evolans vix locum dedit, ut cum filio se subduceret. Nimirum mors illi minimè sicca debebatur. Sui ipsius carnifex suum denique hausit sanguinem, qui alienum semper sitiverat, regnumque Iphigeniæ germano reliquit, sub quo (utpote Christiano) liberè jam colere Æthiopia MATTHÆUM cœpit, cui quidem nos illud palmarium dicimus, quòd à purioribus undis

dis primus non fruſtrà Æthiopes laverit. Ex *Lippeloo.*

MEDITATIO.

De S. Matthæo.

1. S. Matthæus à Chriſto electus fuit Apoſtolus, cùm Chriſtus tranſiret & videret ſedentem in telonio. Tranſit Jeſus, nos videt, nos vocat; vocantem & tranſeuntem ſequamur, ne, fortè cùm tranſierit, non ſit eum inveniendi locus, ſurgamus & generoſo promptóque animo è vitiis noſtris omnino emergamus. Jam pridem vocat Chriſtus, Sed quæ noſtra ignavia eſt, à voluptatibus avelli non poſſumus!

3. S. Matthæus fuit etiam Evangeliſta: mirum prorſus Evangelium nobis reliquit, & Æthiopes docuit, quæ viderat & ſcripſerat. Non ſunt tuæ partes, Evangelium ſcribere, at potes & debes Evangelio obedire. Hoc credis; cura igitur ut facta tua fidei tuæ reſpondeant. Scrutare conſcientiam: vide quam teneas vitæ rationem: namque *id agendum eſt, ut vita noſtra Evangelio reſpondeat.* Chryſ.

3. S. Matthæus fuit Martyr, & jure vocari poteſt victima caſtitatis. Oportet ut vita tua ſit juge Martyrium: oportet ut ſuavioribus deliciis abſtineas, ac tibi ipſi moriaris, ſenſuum videlicet, cupiditatum, ac propriæ voluntatis mortificatione. Durum eſt hoc verbum: ſed erunt illa duriora: *Ite maledicti in ignem æternum.*

S. MAU-

S. MAURITIUS CUM SOCIIS MM.

22. Septembris.

Regnum meum non est de hoc mundo; si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Joan. 18.

VOcaverat ex Thebæa legione jam semel iterumque ad supplicium decimum quemque Maximianus, cùm ita ad reliquos Dux MAURITIUS. Libavimus milites hodie sanguinem nostrum, nondum litavimus. Sed bonum factum! litabimus, ubi nostrum cum Sociorum cruore miscebimus. Illos è cœlo jam spectare vos, è cœlo audiri credite. Quid enim? erubescite. Primus è nobis cœlum subiit, quisquis decimus cecidit. Proinde si viri estis, uni semper novem invidetis. Me non Ducem putate, nisi ad mortem moriendo vos duxero; vos modò mortem triumphalem portam credite. Nimirum uno jam

ore omnes Maximianum incusare; quid tam parcè biberet, quem tam sitiret, sanguinem indulgeret improbæ siti, quando sibi tantundem sanguinis in divite vena ac sociis bulliret. Si crimen esset Diis non sacrificare, crimen hoc omnium esse, cur pauci luerent, quod omnes peccâssent? Itaque cingit omnis exercitus fortissimam Phalangē, mactátq; omni; cùm ecce veteranus supervenit, clamat, frustrà veteranum se dici, si præmia Juvenes præripiant; frustra tot stipendia numerare, si nullam Martyrii palmam; per emeritam denique senectam orat, sequi saltem triumphantes in cœlum Thebæos liceret, quos præire tarda ætas prohibuisset. Et annuit etiam huic Maximianus, in hoc uno adversus Christi cultores liberalis. Et profectò in nullis puto canis tam pulchrè vel sanguis rubuit, vel laurus viruit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Plus Christo militandum quàm regnis mundi.

1. QUid mundo militas? qui si blanditiis te allicit ad castra sua. Tyrannus est, nam mentitâ amicitiâ exitium tuum meditatur. Si palam te aggreditur, tunc hostis est, & quare hostem amas? & non potiùs militas Jesu Christo qui te adeò dilexit: Quid

fecit

fecit tibi Jesus, ut ejus adversarii partes suscipias? *Cùm mundus oderit Christianum, quid amas qui te odit? & non diligis eum, qui te redemit, & diligit?* S. Cyprian.

2. Verte potiùs arma tua contra mundum: Arma tua juxta Apostolum ad Thessal. *sunt lorica fidei, & charitatis & galea spei.* fide tuâ oppugna potestates tenebrarum? quis zelus tuus in reducendis ad Deum errantibus? imitare zelum S. Mauritii. Spe tuâ abstrahe te & alios ab inanibus præmiis falsò promittentis mundi, & provoca ad gloriæ supernæ bravium. Charitate tuâ inflamma cor tuum & proximum tuum. Sequere Chrysologum. *audiant te homines parva mandantem, & grandia facientem.*

3. Qui militant Jesu Christo cum S. Mauritio non nisi fortiter occumbendo triumphant. Sicut & ipse Christus triumphavit moriendo. Vince & tu non resistendo iis qui te appetunt injuriis.

S. THECLA V. M.

23. Septembris.

Inimici hominis domestici ejus.

Matt. 10.

PRinceps earum Virginum **THECLA** memoratur, quæ candidum animi pudorem Martyrii purpurâ exornârunt. Hæc à magno Paulo fidem Iconij edocta, cùm ab ejus ore dies noctésque è fenestra penderet; facilè misso, qui ei è prima nobilitate fuit, sponso, Chri-

Christo amores suos addixit, quam ipsam ob
caussam cùm castitatis Magister Paulus in vin-
cula esset datus, gemmis omnique Mundo
muliebri distractis, aditum sibi ad eum mer-
cata est, eas demum gemmas æstimans, quas
è Pauli ore legeret Et vide in Virgine Hercu-
lem. Capta cicuravit, quibus objecta fuit,
leones; domuit, quibus alligata fuit, tau-
ros; vicit undarum, quibus immissa est, mon-
stra; triumphavit, quos conscenderat, ignes
& flammæ, quæ nec Herculi peperceranr,
Virgini pepercêre; ut sciant, qui castitatem
eunt occisum, omnibus monstris insaniores
se esse. Cæterùm tot victoriis inclyta Seleu-
ciam venit, ubi cùm ægris compluribus salu-
tiferam manum porrigeret, Medici, quibus,
quòd nullam jam lucelli spem viderent, oculi
scilicet dolebant, in Virginem infames ado-
lescentulos armârunt. Hos lenones cùm fu-
geret quæ nec leones fugerat; jamjam com-
prehendendæ sinum rupes discedens præ-
buit, clausæq; castitati & asylon & tumulus
fuit. Itaque qui pudori periclitanti non con-
sulit, hunc ego etiam rupe duriorem dicam.
Ex D. Basil & Metaphr.

MEDITATIO.

De triplici hostium genere.

1. Ho-

HOmo hostes habet invisibiles, dæmones nimirum, qui perpetuò ruinam ejus meditantur, insidiantur illi auri fulgore, suavitate voluptatum, honorum vanitate, omnibus demum rebus creatis; Ah! quoties ejus laqueis implicarer, nisi tutelaris Angelus gressus meos regeret. An angelo meo gratias egi?

2. Parentes amici nostri denique omnes, quandoque sunt hostes, crudeliores: eorum malesuada pietas periculosior est, odio infensissimorum dæmonum, Sæpe etiam extinguit voluntatem, quam habemus nos Deo consecrandi, & plus possunt subdolæ parentum blanditiæ ut saluti & virtuti nuncium remittamus, quàm duriora Tyrannorum supplicia. Crudeles parentes! infideles amici! si filium, si amicum amatis, quid eum ad tartara præcipitem agitis? *perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.* Cyprian.

3. Non habet homo crudeliorem hostem, quàm se ipsum. Pugnat caro adversùs spiritum. Corpus terrena oblectamenta cupidiùs poscit; anima verò cælestia. Ad mortem usque produci debet certamen. Cave: viriliter & jugiter certa. Ne tibi fidas, ne tibi blandiaris: concupiscentia, unde omnia mala, cùm vita duntaxat extinguitur. *Concupiscentia minui potest, consumi non potest.* August.

S. GERARDUS Epis. Mart.

24 Septembris.

Solicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12.

Ge-

GEnuêre Venetiæ GERARDUM magn
ſuo honori; majori Ungariæ bono. Na
per hanc illi dum iter eſt ad ſacras Solimæta
ras, hoſpitem intercepit Rex D. Stephanus
& detentum amicâ vi genti Epiſcopum dedi
Nihil illi poſt Chriſti honorem prius. Quà
Matris hujus cultus, quem toto regno ma
gnâ animi ſui voluptate, fructu homin
quàm maximo, diſſeminavit. Pietatis
Mariam illud argumentum eſto, quòd ara
ejus aram nunquam non binos Miniſtros
cubare voluit, qui thuris odore eam hon
rarent, & fumo tam pio proderent, quib
Virginẽ caſtiſſimè ardebat, ignes ſanctiſſimos
Adhæc nemo unus fuit, qui ab offenſo ven
non exoravit, ſimul interpoſito patronæ Ma
riæ nomine oraſſet: ut jam nominis hujus
characteres totidem calculos candidos dimi
ſes, quibus omnes apud illum rei abſolverẽ
tur. Jam ut corpus in virtutis palæſtra exce
ceret, noctu ſylvas & ex ſylvis ligna petebat
leproſis interim in lectulo Epiſcopi vicem
dormientibus. Hoſtibus qui Regi Petro re
gnum, quod Stephanus ſuâ morte illi in ma
nus tradiderat, vi eripuerant, malam mor
tem, ſibi optimam vaticinatus eſt ſanguin
comparandam. Et verò Anno MXLII. à glo

bo impiorum cinctus, lapidibus primò est appetitus, sed quia innoxius hos scuto Crucis excipiebat, post currum eversum hastâ transfixus est, cùm pro patricidis suis Christi & Stephani exemplo è genibus perorâsset. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De fervore Spiritus.

1. IN via virtutis & perfectionis semper est progrediendum, qui non progreditur, ille regreditur: nam dæmon, & nobis ingenita peccandi facilitas ad barathrum nos continuò pertrahunt. Dic igitur cum Davide, dixi nunc cœpi esse servus Dei: & utinam hoc revera dicere possis! utinam ex animo syncero Deo te devoveres! vide an pristinam peccandi consuetudinem deposueris. Vide an aliquam acquisieris virtutem.

2. Cave ne regrediaris, & aliquid de solitis pietatis exercitiis remittas. Sunt quàm plurimi, qui principio suæ conversionis amore divino exardescunt. Verùm is amor statim extinguitur. Non quæ facta, nisi ut ad majora accendaris, sed quæ facienda sunt considera. Quàm miser esses, si pristinus tuus fervor in teporem degenerâsset. Quid? an nunc temporis Deus minùs est amabilis, quàm olim erat? *Semper proficе, noli in via remanere, noli retrocedere, noli deviare.* S. Augustt.

3. Ut languentem animum excites, te ipsum his verbis interroga: ad quem finem creatus sum? an cœlos spero gratis? quid feciſſe gauderem mortis articu-

ticulo? tam horrendus est infernus, tam jucundus est paradisus: breviorem vitam sequitur æternitas; quare spe hujus æternitatis sine intermissione laborandum. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl.

S. FORMERIVS Martyr.

25. Septembris.

Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus misit me. Luc. cap. 14.

ORpheum cytharæ dulcedine feras traxisse fabula est; pastorem verò FORMERIVM, XIV. annorum puerum, Evangelij in campo reperti lectione, ad audiendum omnis generis bestias commovisse, prodigiosa est veritas, nec audiêre tantùm avidè, sed & aluêre gratæ, cùm abscedentibus masculis, persistentes fœmellæ feræ, mulgendas se pro minervali præbuêre, unde ex copioso lactis coagulo, confecti casei, divino jussu ad Cæsareæ portas à FORMERIO in pauperes, viduas, ægros distributi, famem omnibus, ægris etiam morbos abstersêre. Verùm hæc ei ad Martyrium via fuit: famâ enim brutalis cõcionis ditâ sanctus ut præstigiator ad Alexandrum

xandrum præsidem est deductus, cui se DEI servum professus, magum esse negavit. Illata ergo equulei tormenta, post quæ carceri incluso, Columba de cœlo vas lacte plenum, JESU munus, intulit, cujus sumptione vires ei restauratæ & XL fidelium unâ vinctorum, fames est sedata, sed & divinâ virtute mediâ nocte diffissus carceris murus exitum captivis aperuit; solus autem FORMERIUS Martyrii aviditate permansit, cujus etiam lauream integro quamvis corpore obtinuit, cum præsidis jussu à duobus sacrificulis ardenti camino inclusus, extinctâ cœlitùs flammâ velut in solio sedebat DEI decantans laudes, magna circum cœlestium spirituum velut legione excubante, quæ victricem morientis animam ad cœlestes triumphos deducebant, illæso corpore Martyris Christianis ad sepulturam & venerationem relicto. *Martyrol. Hisp. Thamaij.*

MEDITATIO.

Quomodo pauperes Evangelizentur.

1. DIscîte Viri Apostolici quâ ratione debeatis pauperes divinis præceptis informare. Hoc munus parvum coram hominibus, magnum coram Deo

Deo, dignum certè in quo ſtudium veſtrum invigilet; placet Deo, vobiſque & pauperibus derelictis prodeſt. Quid ſtatis otioſi? efficite ut Deus ab omnibus cognoſcatur. *Ah Domine! mundus, te diligit quia non te cognoſcit: qui enim cognoſcit te, diligit te.* Auguſt.

2. Patres familias date operam ut domeſtici veſtri divinis præceptis imbuantur. Jubete eos, ea in loca conferre ſeſe, ubi Evangelica præcepta exponuntur; Vosmetipſi docete eos; ſiquidem verba veſtra altiùs eornm mentibus inhærebunt. Qui majori virtute præditi erunt, eos magis amate. Hero glorioſum eſt animam ſervi Chriſto lucrifacere. *Famulorum* [inquit Chryſologus] *ne te pudeat, communis eſt enim & illis, nobis natura.*

3. Si per vitæ conditionem aliorum converſioni minus vacare poſſis, eorum tamen converſionem precibus à Deo poſtula. Fortè preces tuæ plures adjungent ad Chriſtum, quàm operariorum Evangelicorum labores. Rigant illi quidem, ſed precibus tuis Deus incrementum dabit. Quomodo adhuc ad aliorum converſionem incubuiſti? Erubeſce. Si aliorum ſalutem curare non poſſis, noli certè tuam negligere.

S. CY-

S. CYPRIANUS & JUSTINA MARTYRES

26. Septembris.

Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Joan. cap. 8

AN hodie suum parentes faciant, nescio, olim parentum officium liberi etiam fecerunt. Ita Justina à teneris annis Christianas leges clàm edocta, docere easdem parentes cœpit. Et jam per matris ad pectus patris adicum fecerat, cùm hunc nutantem jam tum sibi in partes Christianas visus per somnum ipse CHRISTVS impulit. Itaque brevi pòst mortuus pater vitam in acceptis Filiæ tulit. Cæterùm fuit è Parnasso nescio quis Aglaidus, qui oblitus Virgines esse quas colebat, Musas, impuris amoribus extremùm Justinam deperibat. Sed Palladem scilicet castitatis Ægide contra omnes preces & minas armatam reperit. Itur ergo ad Cyprianum nobilem tunc cumprimis Magum, & Orco omnes Amores contra Justinam evocantur. Sed omnes faces incestæ, omnia tela unico Crucis clypeo repelluntur, & totus cupidinum exercitus

citus ab unica fugatur Diana. enim verò irasci hic arti suæ, sed multò magis artis Magistro Cacodæmoni Cyprianus, hic victum palam se fatebatur, nuntium illi mittere, jámque libros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse Christo & Justinæ adhærere. Cum hac in exilium, in carcerem, in equuleum, in bullientes à flammis sartagines, ad palum denique & secures ivit. Itaque quando hodie Virgini Justinæ, virum Magnum Cyprianum, hoc est oviculum lupum junximus, an non aurea secula reduximus? *Ex Lippeloo.*

MEDITATIO.

De tribus temporibus in quæ rejicitur conversio.

1. Mirabilis omnino conversio Cypriani, qui relicto Magistro artis impiæ Cacodæmone, discipulus factus est Justinæ. *Convertimini ad Dominum.* Cùm enim vita sit incerta, nullo non tempore necessaria est conversio, ex qua pendet æternitas. Negotium salutis tanti est momenti, ut in crastinum incertum differri non debeat. *Christiano crastinum non est.* Tertull.

2. Esto scires te ad provectiorem ætatem victurum, ac idcirco deberes tuam conversionem in illud tempus rejicere? quo præsenio & morbo languens corpus

corpus sanitatem duntaxat quærit, & quo pravi habitus in naturam degenerarunt? cave! Deus subtrahet gratias. Latro in cruce modò conversus est ad Dominum; sed hoc quoque consideremus, eo tempore convertisse se ad Dominum, quo omnes penè defecerant à Domino. Et quam hæc difficilis ac miraculosa conversio?

3. Si conversionem tuam ad mortem distulisti, quomodo certus es mortem tuam non fore subitaneam. Quis in illo mortis articulo promisit tibi sanitatem mentis? & qualis hæc pœnitentia vitia detestari, cùm vitiis indulgere non possis?

SS. COSMAS ET DAMIANVS

27. Septembris.

Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date.
Matt. cap. 10.

ARabiam felicem esse oportuit, quæ tam salubrium Medicorum patria fuit. Urbe Ægea gemelli nati, tres insuper habuêre fratres, & glorioſæ mortis eosdem socios.

COSMAS & DAMIANVS medicinæ peritiam ex libris, & cœlo virtutem sanandi accepêre, Anargyrii dicti, quòd sine pretio ægros mederentur. Adeò ut COSMAS rogante, cùm munus admisisset aliquod, irato indè fratri per ipsum Christum placari debuerit. Lysias loci prætor gentilis cùm ob miras sanationes magiæ sanctos arguisset, alapis fædè à dæmonibus contusus, habuit eosdem, quos injuriâ læserat, soteres. Crevit tamen inde Barbari in cœlestes hosce Medicos sævitia: capi cum fratribus jussit, &, quia idolis honorem negabant, obrutos ferro, vinctósque in mare dejici: sed cùm Angelico ministerio soluti enatassent, atque etiam postridie in igne divinitùs illæsi persistissent, quin & equuleo torti cœlitùs recrearentur, crucibúsque affixi cum lapidibus & saxis frustrà peterentur, saxis telisque injacentes, cum multorum nece, resilientibus, rabie spumans ultimâ, usitato tyrannorum desperantium more, capite ut plecterentur imperavit. Corpora geminorum gloriosa Roma primum, postremò nunc Monachium servat, & Sanctos jam indigenas, ut cœlestes civium suorum Medicos in reliquiis ab Anno MDCXLIX veneratur. *Brev. Baron. t. 2. annalium Ribadineira.*

ME

MEDITATIO.

In suâ quisque vocatione saluti suæ consulere debet.

1. UNusquisque suâ in arte vult aliis antecellere; & ideo nulli labori parcit; sed dies noctibus improbo labore jungit, ut tandem peritis fiat peritior. Quid tam pauci christiani conditionis suæ perfectionem æmulantur? imò multi interdum dissimulant esse se christianos, non quidem metu mortis, inter infideles, sed scommatum, seu dicteriorum inter fideles. Opifex artem suam quantumvis humilem palàm exercet. *Et nemo se cognoscit Christianum.* Tertull.

2. Labor tuus Christianus esse debet, hoc est, congruens Christi voluntati. Quare oportet, ut eum quotidie Deo offeras, ipsíque sanctè pollicearis, illius ergò duntaxat te laboraturum esse. Hoc si manè quotidie feceris, promissi memor, laborem DEO consecratum peccato non contaminabis.

3. Quotidianæ actionum tuarum oblationi pium aliquod opus accedat, necesse est, in quo, vel soli Divinæ gloriæ servias, vel subleves miserorum paupertatem: hoc potes, in quolibet vitæ genere. *Da pauperi ut des, quia quidquid dederis pauperi, tu habebis: quod non dederis, habebit alter,* Chrysost.

S. WEN-

S. VVENCESLAUS MARTYR.

28. Septembris.

Scripsi vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut idolis ſerviens aut avarus & ejusmodi nec cibum ſumere. Ep. 1. ad Corint. 5. cap.

DIſparis educationis diſpares exitus vide. Erant WENCESLAUS & Boleslaus germani Fratres, Bohemiæ uterq; Dux, ſed illum Avia Ludmilla ſanctiſſima Matrona, hunc monſtrum mulieris Drahomira mater eduxit. Nempe uterque mores nutricis imbibit. Fratres negares, tam iſte pietatem oderat, tam ille amaverat. Ille divina humanáque omnia ſuſque déque habere, hic verò nudis pedibus ſummâ hyeme templa obire, & facienti Sacerdoti Miniſter adeſſe. Oſtendit cœlum, gratum ſibi eſſe, hominem iis muniis aſſueſcere, quibus cives ſui Angeli delectarentur. Cùm enim in Radislaum moveret WENCESLAVS parens ſanguinis ſuorum

rum sed prodigus sui, hosti duellum obtulit; ensiculo brevi succinctus, sed benè, loricâ è cilicio & cruce armatus. Adest ille totus ferreus hastâque ingenti & machærâ timendus; verùm pugnam sibi non cum homine esse, sed Angelo videt, qui perterritum ad genua WENCESLAI cogit descendere. Quin Otho etiam Imperator cùm comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi aulam, WENCESLAVM vidit, comitatu profectò ipsi etiam Imperatori invidendo. Tandem Drahomira blandis verbis ad se invitatum per Boleslaum in mensa obtruncat. Sed parricidium novercæ matris neque ipsa quidem Styx tulit; curru quippe vectam cum omni comitatu (si modò aurigam excipias, qui ære campano excitus ad aram accurrerat) vivam absorpsit, utique non levem terram habituram, cui viva tam gravis fuerat. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De odio Virtutis & falsis fratribus.

1. WEnceslao nihil sanctius & Boleslao nihil scelestius. Ille Abel innocentiâ, iste Cain invidiâ

diâ. *Propter quid Cain occidit Abel?* interrogat, & sibimet respondet. Joannes Ep. 1. c, 3: *quia opera ejus erant maligna, fratris autem ejus justa.* O invidia antiquum malum! an non & tu coquis venenum hoc subinde in corde tuo? nunquid etiam *tua facies tibi concidit?* Gen. 4. Invides, quia Deus favet fratri tuo? doles? quia bene est illi, *Fratres estis, ut quid nocetis alterutrum.* Act. 7.

2. Uti in Abele & Caino sic in Wenceslao & Boleslao virtus documenta dedit, Ideo malos permittit Deo ut coronentur boni, & dotem pietatis esse res adversas, & proborum patrimonium Pati. sed insiste Virtuti, nil territus ab his, Wenceslaum imitare, cui bona conscientia & Angelica custodia fortis armatura fuit. *Eum time, qui potest animam mittere in gehennam:*

3. O dolosam amicitiam mundi! invitatur Wenceslaus ad convivium, ut ab immiti leone innocens agnus raptetur ad macellum. Sic & Cain invitabat Abelem *egrediamur foras &c.* Sic impiorum lingua lambendo venenum spargit. Et quare blandienti mundo adhæres plùsquam Christo invitanti? *Nemo speret in patronis, nemo in amicis aut parentibus cùm frater fratrem tradat in mortem.* S. Chrys. hom. 24.

S. MICHAEL ARCHANGELVS.

29. Septembris.

Factum

Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli ejus, præliabantur cum Dracone. Apoc. cap. 12.

MICHAELEM vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium domitorem, Numinis ad mortales principes legatum, horum ad cœlos ductorem fidissimum, operúmque æquissimum libripendem. Tam bene itaque de se meritò Christiana Respublica jam olim tromphæa, aras & templa statuit. Nam ut montem Garganum, cujus alibi mentionem fecimus, hîc taceam, D. Joannis Apostoli ætate MICHAELIS nomen, quod salutiferas in hominum usum aquas eduxisset, apud complures populos celeberrimum fuit. D. etiam Authbertus sub Annum Christianum DCC IX. ita jubenti MICHAELI ædem in rupe, quam mare undique alluit, exædificavit. Imper. deinde Constantinus, cùm ejus auspiciis hostes suos omnes devicisset, gratitudinis monumentum splendidissimum templum posuit, cujus exempli sui hæredes viros deinceps Principes permultos, sed nostrâ potissimùm tempestate habuit. Vidit certè Bavaria

varia in eam magnificentiam sacra D. MICHAELI tecta exurgere, ut aut has ædes terra dignas aut nullas habeat, quas Cœli Princeps post cœlum incolat. Quamvis si verum loqui velimus, non tam Angeli nobiscum, quàm nos secum habitare percupiant.

MEDITATIO.

De S. Michaële.

1. S. Michaël in Luciferum detrectantem imperium Deo & nolentem Dei filium, qui carnem assumpturus erat, adorare, statim fortitérque pugnavit. Exemplo hujus S. Archangeli cum divina causa agitur, statim & palam profiteare inimicum te esse inimicorum Dei, & quando mundus, voluptatibus, dæmon honoribus te aggreditur, dic ut S. Michaël. *Quis ut Deus?* quid honores, quid voluptates & omnia; quæ mundi sunt, quid estis ad Deum meum?

2. Obsequium S. Michaëlis æterna gloria, superbiam Luciferi æterna ignominia excepit. Timete superbi! Vanitas ad inferos Luciferum Angelorum pulcherrimus præcipitem egit. Timeamus Deum, *qui in Angelis suis recepit pravitatem.* Astra de cœlo ceciderunt, & nos terræ vermiculi nihil timemus.

3. Debes colere & invocare S. Michaëlem, utpote cùm is Ecclesiæ Princeps adfuturus sit examini totius

tius vitæ tuæ. Heu! quid dicturus? quid facturus estremendo illo die, nihil tunc divitiæ, nihil scientiæ, sola piè facta proderunt. An quæ piè feciſti ſufficiunt ad æternam gloriam? in id potiſſimum incumbe, ut cor purum & conſcientiam bonam habeas:

Nam veniet dies illa, in qua plus valebunt corda pura quàm aſtuta verba, conſcientia bona, quàm marſupia plena. Bernardus.

S. HIERONYMVS DOCTOR ECCLES.

30. Septembris.

Sicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.

Paul. ad Theſſal. c. 2.

FUit HIERONYMVS natione Dalmatica; Mundum penè omnem cùm luſtraſſet, neque uſquam hic arrideret, pedem extra Mun-

Mundum tandem posuit, hoc est, ad Anachoretas transtulit. Hic dum identidem profanos adhuc scriptores lectitat; evocatus ad divinum tribunal, quis sit? rogatur, Respondet Christianum se esse: at negat judex, Ciceronianum esse dictitans, non Christianum: simul mendacij convictum cædi tamdiu imperat, dum vitæ emendationem HIERONYMVS, Cœlites vadimonium spondent. Et certè amplius quid fuisse quàm somnium sparsæ passim per omne corpus plagæ loquebantur. Quid jam mirum, si exinde, quidquid demum ageret HIERONYMVS, auribus tuba illa fatalis obmurmurabat, oculisque vindex ille Judex oberrabat? Porrò in more positum habuit, cùm orcus incursaret, ad Jesu pedes confugere hos longis jejuniis multisque lacrymis mollire; infesta interim cogitationum agmina assiduis saxorum ictibus è pectore propulsare, tam dulci victoriæ fructu, ut quandoque sublatum in cœlum se putaret, qui mersum modò imis se inferis credebat: Interim etiam dum vixit, Doctorem suum in HIERONYMO Orbis Christianus coluit, hostem verò hæresis extimuit. Ipse vitam denique ibi clausit, ubi oriri Deus infans voluit, magnus hos, ut

cui in tumulum, Christi cunæ cesserunt. *Ex vita ejusd. ep.*

MEDITATIO.

In vitam Sancti Hieronymi.

1. HIc S. Ecclesiæ Doctor reliquit profanos libros ut sacros interpretaretur, & grassantem hæreticorum pestem depelleret. Usque quo studebis vanitatis, voluptatis, & pecuniæ causâ. Vide quid sequaris vigiliis ac laboribus tuis, rectiorem habe in studiis & actionibns tuis intentionem: quære gloriam Dei, quære tuam salutem. Memento æstimandam esse scientiam, sed scientiæ anteponendam esse sanctitatem S. August. *Amate scientiam, sed anteponite Charitatem:*

2. S. Hieronymus secessit ex urbe Româ, ubi tanto honore colebatur, ut in solitudinẽ Bethlehemiam abderet sese, à mundi periculis remotior esset. Prævide occasiones peccandi, nec iis te committe, fuge in solitudinem. *Laus magna deserti, ut diabolus qui in paradiso vicerat, in eremo vinceretur.* Euche.

3. Frequens extremi judicii meditatio eum in solitudinem compulit, in qua Saxo tundens pectus, peccatorum suorum veniam à Deo flagitabat. Opor-

Oportet ut terribilis hujus judicii tuba aures tuas semper circumsonet. An paratus es ad reddendam vitæ rationem? hoc meditare, huc te para, contremisce, rejice mundi voluptates, crucem amplectere: Hæc si feceris, *tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis & tu gaudebis.* Hieron.

MENSIS OCTOBER.

S. REMIGIVS Archi-Episcopus.

1. Octobr.

Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum; & ipsi in omni conversatione sancti sitis. Pet. 1. Ep. cap. 1.

EXulta Gallia, ex errorum pelago, per Sanctum Remigium ad portum salutis appulsa Hic bono coronæ natus, Regem, edito voto, victorem contra hostes, aquis baptismi abluit & totius nationis eluit superstitionem. Huic actui columba nive candidior cœlo Chrisma attulit, quo creduntur etiam num Reges Franciæ inungi. Episcopatui, quo ob virtutem præmatura ætate, anno supra vigesimum secundo decoratus est, præfuit quatuor & septuaginta annis. Sub extremum vi-

tæ visu caruit, non ægrè utique, ne tot cog-
retur scelera videre; sed ne, pastor cæcus
contra lupos non sat pervigil esset, oculorum
usum à cœlo recepit. Remos, sedem suam
orto ingenti per urbem incendio, formato si-
gno crucis, servavit incolumem: hæreticum
ne, ne alios eloquentiâ suâ inficeret, mutum
reddidit; sed, cum resipiscceret, melius de-
inceps locuturum restituit. Demum Remos
suos, in vitæ fidei portu incolis firmatis, me-
riens reliquit, nonagenario major, cœlo ani-
mâ gloriosè invectâ. Corpus à morte, cum
multo tempore sine cultoribus esset, angelis
ministris translatum, & non sine miraculis,
venerationi redditum: id modo memores re-
colunt Galli, Remigium, qui primus Chri-
stianum Regem fecit, Christianissimi ut nunc
glorioſè audiant omnes, fundamentũ posuis-
se. *Lippeloo.*

MEDITATIO.

De Sanctitate Hominis Christiani.

1. OMnis Sanctitas tribus verbis continetur: *ab-
stine, sustine, aggredere*: abstine semper rebus
illicitis & periculosis frequenter verò licitis & inno-
xiis. Abstine terrenis delitiis, Christi causâ voluptate
abstinere, voluptas est omnium suavissima, Ah Do-
mine, video te cruci affixum, scio infernum voluptā-
tibus deditos manere; & ego delitiis indulgeo!

2. *Sustine* vim concupiscentiæ, mundi & Dæmonis. Frange tuà patientiâ impetus hostium tuorum, patere fictorum amicorum perfidiam: sustine tot ac tam varia vitæ præsentis mala. Contendo, te nullum adhuc diem vixisse, omni prorsus molestia vacuum: nullus hoc in mundo contentus est, quia tam amplum est cor hominis, ut solo Deo possit repleri. *Pone quem voluerîs statum, non apud infima istic, non apud summa requiescitur.* Eucher.

3. *Aggredere* grandia ut sanctus fias; opus sanctitatis magnum est, nonnisi assiduo, improboque labore perficitur; itaque labora diligenter in acquirendis Christianis virtutibus. An potes verè dicere, te vel unam virtutem acquisivisse? ne tamen cadas animo nam velle sanctitatem, sanctitatis initium est. Vide quid impediêrit, quo minùs hanc acquisiêris sanctitatem, nugis fortasse retinêris ut olim S. Aug. qui ait; *Retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum.*

S. LEODEGARIVS
Episcop. & Mart.

2 Octobr.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.

Christus Matth. c 5.

NEmo pulchrius in hostem suum, quàm Pont. Augustodunensis Leodegarius

 movit

movit, ut qui huic cum sacris è templo signis obvius ivit, victoriam ratus sub his vinci. Captus itaque tunc demum Christianâ se libertate potitum credidit. Carcerum tenebris abditus igne è cœlo misso resplenduit. Oculis orbatus primùm Martyrem se esse vidit. Nudipes per testas & aspera saxorum fragmina jussus ambulare, currere etiam ad tam optatam metam gestiit. Labiis & linguâ multatus, sine labiis tamen & lingua facundus ad concionem dixit. Cæsus denique securi in novos animos surrexit, horámque totam victor post mortem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus cecidit. At non tam felici morte cædis auctores defuncti sunt. Nam & Carnifex, de quo dixeramus, à malo Genio correptus in vindices flammas se ipsum immisit, mox in majores alias mittendus; &, qui cædem imperaverat, Ebroinus Regiæ Aulæ præfectus, gladio, quem in innocentem strinxerat, ipse nocens occubuit, & demum qui tumulum Martyris impiè calcavit. Divúmque fine miraculis injuriosè compellavit, in ipso vestigio, moriendo mendacem se fassus est, & jam miracula patrare Leodegarium si non aliis, certè sibi credit. *Ex Surio.*

MEDI-

MEDITATIO.

Expedit, ut Christianus in multis sit cæcus, mutus, & surdus.

1. UT christianus hoc in mundo tranquillam vitam ducat, in multis sit cæcus, adeo, ut nunquam videat, sivè quod ejus in animo minus castos igniculos accendere, sivè quod inutilem afflictionem addere, sivè quod ipsum superbum efficere possit. Sua semper, aliena nunquam vitia consideret. *Domine averte oculos meos, ne videant vanitatem*, videant duntaxat turpitudinem peccati, ac virtutis pulchritudinem.

2. Homo christianus plerúmque mutus esse debet, maximè, cum prurit lingua in proprias laudes & vituperium aliorum. Nullum unquam proferat verbum christianæ charitati contrarium: nam ferè fit, ut, qui multum loquitur, multa peccet, & ea quandoque verba effutiat, quorum eum pœniteat. Ut quis in verbis non offendat, *nihil æque proderit, quàm quiescere, & minimum cum alio loqui, plurimum secum.*

3. Quorsum omnia audire & scire cupis? tot verba prava, tot detractiones, tot sermones minus casti, & impii sic vanis, & periculosis cogitationibus mentem tuam turbant, ut tranquilla esse nequaquam possit. Ama solitudinem si non potes corporis, at mentis, & facilè admodum hæc tria consilia servabis. *Secede ergo, sed mente, non corpore: sola indicitur tibi mentis, non corporis solitudo.* Bernard.

S. JOANNES CHVZV-BITA, CONFES.

3. Octob.

Quam Angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam? & pauci sunt, qui inveniunt eam.
Christus Matth. cap. 7.

Non aliùd altiùs in hostem infernum vulnus descendit, quàm quod à demissi animi dextrâ venit. Miserat ad Ioannem Chuzubitam Anachoreten alter Anachoretes Ananias nescio quem à malo Genio infestum, hunc vix ita noster compellavit: (Eja cedere impure te hospitio non tuo, non ego sed Ananias jubet) cùm verba hæc plena animi demissioris jam dudum exosus fugit ocyùs hostis superbus. Et pepeperat fama miraculi hujus Joanni Pontificatum Cæsariensem. Ille tamen mox iterum urbem cum sylvis suis mutavit, ingens onus infulam se abjeciisse existimans. Secutus Divum rusticellus filium itidem ab Orco agitatum in sporta è tecto suspendit, & ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus. Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem suum,

Ioan-

Ioannem præcipitem è monte egit. Sed qui cideret humi semper repens animus? risit scilicet Veteratorem altiùs longè olim cadentē. Porrò sub ultimos vitæ annos, cùm Ioannem cupido cepisset Martiani viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenam, quâ se ipse ad carcerem suum beatum damnaverat, egrediantro posset; eodem tempore Martianus ipse inter famulas Cœlitum manus delatus adfuit; quo abeunte, cum animo suspicio præstigiarum suboriretur, altero miraculo ruptæ compedes facultatem dedêre specu prodeundi, iterúmque Martiano loquendi, ad extremum carnis etiam vincula exuit, anno supra quingentesimum, vigesimo secundo.

Ex Menæis.

MEDITATIO.

De Arcta Paradisi via.

1. ALii alios in spatiosa via sequuntur; ideoque multi tendunt ad perditionem; Hæc via minimè devia creditur, quæ teritur, ac celebratur, multitudine Christianorum. Consuetudini, non Evangelio obeditur. Tu verò cautior esto, ab improborum consuetudine deflectens. Christum sequere, qui veritas est, nam *in barathrum deducit consuetudo, in cœlum veritas.* Clem. Alex.

2. Supremo vitæ Articulo non quæretur ex te, utrum vixeris ut parentes, ut amici, ut vicini, sed utrùm Chri-

Christum Iesum, & sanctos imitatus fueris; si versaris in sæculo mandatorum lance tua facta ponderabuntur, si in Monasterio, votorum & Regularum. In præsentia pondera tu ipse actiones tuas. Vide utrum congruant vitæ conditioni; quam elegisti.

3. Tuæ ipsius vitæ rationē diligenter abs te repete, videan arctam, an spatiosam viam fueris ingressus: Si spatiosam, væ tibi! hâc enim viâ non itur ad vitam; si arctam, spei plenus progredere. Memineris, pusillum esse Electorum gregem, & paucos admodum imitandos esse in cœlum cogitanti. Quantum timeo, ne cum peccatorum turba per viam spatiosam incedas.

S. FRANCISCVS ASSISIAS.

4. Octob.

Stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Paul. ad Gal. Cap. 6.

Hic vir, Franciscus est, sanctioris spes altera Romæ, & qui unà cum altero Atlante Dominico lapsurum orbem firmavit, Mercator adhuc fœnus facere etiam apud pauperes scivit, neque unquam pluris vendidit sua, quàm cùm gratis dedit. Evocatus in somno ad arma cruce insignita, cùm novam

vam militiæ tesseram non agnoscèret, ab ipso Crucifixo est edoctus. Ducem itaque nudum Christum secutus, primam pugnam (uti ferè amat fieri in hoc sacro bello) cum patre habuit. Et vicit avaritiem paternam, cùm non tantùm omnibus bonis, sed etiam vestibus se coram antistite exuit illis verbis hostem prosternens: *Patrem hactenus te dixeram. Nunc denique nihil intercedit, quin verius dicam, Pater noster qui es in cœlis.* Quis credat? Sic nudus tum denique armatum se probè credidit, & scriptis sociis orbem expugnavit, si agnoscimus, paupertate sua ditavit. Porrò animi candorem in viro, scis Lector, nives probarunt, in quas se abjecit, & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum mersit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo Deum ardebat amore? Seraphinis à cœlo sociatus & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortalium, sed inter sceleratos principem dixit. Mariæ addictum fuisse, ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiuncula dixerunt) abstulit. Sed frustra sum. Herculem ego in hac digitali tabella non pingo. Vin compendium Lector Viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicies, *Ex D. Bonav.*

ME-

MEDITATIO
In S. Franciſcum.

1. AMor divinus omnia combuſſiit vincula, quibus à mundo Franciſcus retinebatur, ut eum abſolutiſſimum Dei exemplar efficeret. Hoc amore inflammatus ædibus paternis, voluptatibus, divitiis vale dixit. Hæc abnegatio initium ſit converſionis tuæ, Non potes Deo & mundo ſervire. Ah! nobilius eſt cor tuum, quàm quod opibus & voluptatibus terrenis adhæreat. Ea deſeras omnia, priuſquam te deſerant.

2. Quo amore à rebus creatis ſejungebatur, eodem conjungebatur Deo, atque adeò dicere ſolitus erat: *Deus meus & omnia?* anime mi? probemus: quam ſuave ſit conjungi Deo. Adhoc uſque tempus in rebus creatis quietem fruſtra quæſivimus: jam ſine mora alacriter & conſtanter ad Deum properemus, Deus meus & omnia.

3. Poſtremò amor divinus Franciſcum in Chriſtum, ut ita loquar, commutavit, quando unus ex Seraphim ſacra Ieſu Chriſti ſtigmata ejus corpori impreſſit Non prius tamen hâc gratiâ donatus eſt Franciſcus, quam aſſidua mortificatione Chriſtum imitatus fuiſſet Oportet ut mortificationem Ieſu in omnibus corporis tui partibus circumferas: inſpice Chriſtum de Cruce pendentem, & fac ſecundum illud exemplar prædeſtinatorum. *Stigmata Chriſti in corpore ſuo portant, qui corpus macerant & affligunt.* Hieron,

S. PLA-

S. PLACIDUS Mart.

5. Octob.

Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Paul. ad Hebr. c. 13.

PLacidi nomen, quod nato impositum est, iterum meruit hic Sanctus, nunquam in vita iratus. S. Benedicto puerulus concreditus est, donatis cum filio XVIII. in Sicilia pagis, in dotem, à Tertullo Placidi patre. Multùm hujus innocentia, multùm obedientia potuit: jussu S. Benedicti aquam hautiens, in lacum incidit, quem Maurus aquis inambulans, Benedicti imperio sanum extraxit: iussus Placidus ex rupe aquam produxit: oratione & signo Crucis sanitatem pluribus reddidit, sibi durus, edebat vix unquam, cilicio horrebat semper, vinum gustabat nunquam lecto non, nisi sedens, utebatur. Post hæc præludia, in Siciliam ad majora missus, propè Messanam structo à se monasterio, majore utique, quàm olim tiro fuerat, virtute Abbas præfuit. Illuc Româ venere

nere frater & soror ejus, fratrem visuri, divinâ providentiâ, ut unâ Martyres fierent; nam Manucha, pirata barbarus, exscendens in littus, monasterium irrupit, Placidumque à Dei cultu, cùm frustra avertere conatus esset, fœdè cruciatum occidit: eadem sorte cognati ejus & monachi triginta fidei cecidere victimæ, quanti alios dum visunt, mortem inveniunt, rarò, ut hi, Dei Martyres, sæpe orci hostiæ. *Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De triplici ratione obediendi.

1. UT Deo, sic superioribus tuis, quicunque sint obedire debes: acceperunt enim ab ipso Deo, quam in te habent, authoritatem. In iis non naturæ, non industriæ dotes, sed Dominum duntaxat intuere qui ipsis suggeret, quid præcipere debeant ad tuam salutem: Non morosо, non querulo; sed alacri, sed prompto animo semper obedies, si semper respexeris Deum, hominis ore præcipientem. *Inde est homo, unde est imperator antequam homo inde potestas illi; unde & Spiritus.* Tert.

2. Quàm suavis est obedientia consideranti, certo certius audire se Deum, dum audit Præpositum. Ad hæc si fueris verus obediens, eris pauper, castus, humilis, omnibus demum virtutibus præditus, & ad sanctitatis apicem breviori, tutiori, & faciliori viâ pervenies. Quid plura? verus obediens rationem non reddet

det decretorio die: sed hoc unum dicet; Domine, mandata mei superioris, mandata tua sunt; ea observavi, jam exolve, quod promisisti.

3. Sit Dominus Iesus obedientiæ tuæ exemplar, omnibus, & in omnibus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quid queror, Domine Iesu, quid obedientiam detrecto? cùm obedientiâ te videam cruci affixum? *Obedientia est perfecta abnegatio corporis & animi, mors voluntaria, vita sine sollicitudine navigatio sine periculo.* Clim.

S. BRUNO Confess.

6. Octobr.

Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ. Paul. ad Hebr. c. 11.

QVo tempore D. Bruno Lutetiæ Parisiorum ingenium bonis artibus excoluit, vir è vita excessit princeps inter Literatos, quique virtutis æstimationem longè maximam post se reliquit. Sed eheu! quantum aberratis mali judices hominum oculi! Dum justa persolvuntur, ad illam canentis vocem Respondę mihi, ecce tibi è capulo se defunctus

ctus tollit, & cum gemitu, juſto, inquit, Dei judicio accuſatus ſum: mox poſtridie, juſto, exclamat, Dei judicio judicatus ſum, Demum tertio die tertiùm è feretro fulmen auditur, juſto Dei judicio condemnatus ſum. Enim verò plus quàm tragica hæc cataſtrophe omnes movit, At Brunonem eò permovit, ut non modò umbram hanc hominis, ſed ipſos etiam homines fugeret. Atque hinc illa: Sanctiſſimi viri & omnium, qui Ducem hunc ſequuntur, frequens in ſylvas fuga hinc illud in omnibus lugubre ſilentium, ille pallidus in vultu color, ut interfuiſſe triſti ſpectaculo in Brunone omnes poſteros credas. Sed bene morum candidiſſimorum Cygni homines fugiunt cum ſuperis acturi, bene nunc tacent, cantaturi tunc cùm flebunt alii morituri. Jam ipſa Dei Mater æternam illis tutelam adpromiſit, ſi illi, quod diurnum Virginis officium dicimus, quotidie perſolvant. Pulchra profectò conditio, & quam meritò ambiant, tam pulchrè candidati. Quid illud? quòd Numen fugam è mundo Brunonis Sociorumque VI. totidem S. Hugoni ſtellis ſignificavit? Nempe, numerum ſtellarum augent, quotquot ad Brunonis partes accedunt. *Ex Surio.*

MEDI-

MEDITATIO.

In vitam S. Brunonis.

1. UT S. Bruno ad mortem pararet sese, aptiorem locum eligere non poterat quàm solitudinem ubi mundus saluti nostræ infensissimus planè profligatur; ubi nihil ad peccatum, ad virtutem omnia pelliciunt. O suavissima solitudo? si noscerent homines, quibus gaudiis perfundas solitariorum animos, profecto desertis urbibus, omnes ad te convolarent. *Solitudo solemnis regio Salvatoris.* Tert.

2. Profligato mundo restabat, ut carnem vinceret, quæ, mundo relicto, non relinquitur. Itaque perpetuo cilicio, assiduis propè jejuniis, & aliis austeritatibus, carnem domitam habuit. Mundani? ne tantùm vos ametis, ut arbitremini pœnitentiam solis religiosis convenire; vobis magis necessaria est, tum ad plurium peccatorum expiationem, tum ad victoriam majorum tentationum, quibus undique cingimini.

3. Postremo Dæmonem oratione superavit. Majorem partem diei, noctisque in divinis commentandis, ac Dei laudibus concinendis ponebat: præ gaudiis & delitijs, quibus in oratione redundabat, solitudo ei erat paradisus. Fuge in solitudinem, ut mundi laqueis expeditus, his gaudiis potiaris. *Quia vidi contradictionem in civitate, ecce? elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* David.

S. OSI-

S. OSITHA V. M.

7. Octob.

Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris. Matth. 18.

QVantum ô parentes, educatio præstat! quantum O liberi, quibus cum vitam à teneris societis, interest? Ositha Regii sanguinis in Anglia puella in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit. Et verò jam tunc prodidit cœlum quàm curæ illi sit juventus probè instituta, & majoribus suis morigera, Missa Ositha cum libro transpontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. Sed Angelorum præsidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hæc in thori societatem à Rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarum numerum transit. Indoluit Rex; sed quòd Deo nollet rivalis esse potestatem fecit è suo thalamo, in Christi, hoc est cœnobium, transeundi. In hoc ne regiæ sponsæ purpura deesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Memora-

moratur verò funus ſuis non alienis pedibus ambulaſſe, & caput abſciſſum ad uſque templum extuliſſe, atque ibi demum, cùm manibus templi januam pulſaſſet, placidè procubuiſſe. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit, vovitquè ne moreretur, in Religioſo cœtu ſe victurum. Convaluit: ſed ſotheria ſolvere oblitus vindicem morbum ſecundum ſenſit, nec prius manum iterum OSITHÆ medicam, quàm objurgatus ab hac fidem liberaturum ſe ſpopondit. Itaque bis voti damnatus templo & cœnobio anathema ſe dedit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De S. Oſitha.

1. S. Oſitha undis hauſta credebatur, ſed Angeli Cuſtodis præſidio prodiit tertio pòſt die incolumis. O homo, quid Angelo tuo cuſtodi non debes; & quam parùm perſolvis? nondum natus eras, & jam ſtipavit te. Infantem in ſinu fovit. Puerum manu duxit. Virum te quoties ab inſidiis protexit, & a malo liberavit, nec in agone ultimo, nec in tremendo judicio te deferturus, ſi tu non deſeras. *Ergo noli cuſtodis tui benevolentiam ſpernere, parvi pendere miniſterium, Suffragium abjicere, & ignorare conſilium.* Laurent. Iuſt.

2. S. Oſitha abſciſſum caput ad uſque templum extulit. Quæ tibi integro & ſano corpore templi adeundi cura? quantum curris pro modica præbenda, vel pro offi-

officio vel pro favore & gratia magnatum, & Deum in throno gratiæ exspectantem te quotidiè tam raro visitas? *quia domus mea deserta est, & vos festinastis unusquisque in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen.* Aggæi 1. Cap. v. 10.

3 Convaluit, qui S. Ositham in vota vocavit, sed voti exsolvendi oblitus vindicem morbum secundò sensit. *Vide ne promissum tuum irritum facias, nequis-dei tuæ vota disrumpas Habebit profectò accusatores prævaricationis tuæ.* S. Laurent. Iustinianus.

S. PELAGIA Pœnit.

8. Octob.

Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & convivemus. Paul. 2. ad Tim. C. 2.

VIxit Pelagia Alexandriæ sub Theodosii minoris temporã, ob formæ venustatem corporisque cultum non jam Veneris serva, sed ipsa Venus habita, pudor urbis & castitatis ipsissima pernicies. Quis credat? quæ oculis captivam, post se urbem trahebat, in hanc obtutum defixisse D. Nonno Antistitì etiam profuit. Quid enim? (exclamabat post visum hoc elegantiæ idolum ille) quo demum stu-

dio

dio, quo sive temporis, sive sumptuum dispendio hæc faciem comit pingitque? & hoc cur? quò nempe oculis amantium arrideat, cælo lacrymante Animæ interim meæ, quam ausim dicere, Deus deperit, quis splendor? nempe ad hanc infamiam collata, Æthiopissa es Anima. Ite & sordes meas eheu! lacrymæ lavate. Hæc Nonnus. At pelagia, spectante & mirante urbe, ad pedes ejus descendit, & vitæ licentiam sancto fletu gemituque teste ejurat. Mox jejuniis & vigiliis corpus defluere, vultum non jam Gratiæ, sed pallor, squalor, maciesque insidere, nihil jam in tota fronte rubere, præter præteritorum memoriam. Nempe obstrepere hic Veneris Puer desertum se fide non bona queri: formam se, opes, amores, dedisse, ipsam probra, contemptum, odiumque ingratam reponere Sed virum scilicet invenit. Nam sparso omni in egenos auro, laqueos amantium, capillos rescidit, fæminam cum veste exuit, Pelagium se dixit, vitæque reliquum Hierosolymis inter summas vitæ asperitates egit, in illo monte, qui ab olivetis nomen habet, ab ipso Christo dudum edocta, ad cœlum illuc ascendi.

Ex Surio.

MEDITATIO.

De Mortificatione.

1. DEbes non ex consilio tantùm, sed etiam ex præcepto, à te removere quidquid allicit ad mortale peccatum Nisi declines periculum, peribis in eo. *Si oculus tuus dexter, inquit Christus, scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Hoc est contemne, fuge, quod tibi carissimum est, si peccandi præbeat occasionem: an id agis?

2. Quantùm potes, abstine licitis voluptatibus: quò magis terrenis gaudiis carebis, eò cœlestibus affluës magis: qui licitis abstinet, non patrat illicita, Momentanea tribulatione longum purgatorii tempus minuitur. Quid tantùm me amo, ut nihil pati velim imposterum ero persecutor & martyr, Sacerdos & victima ero. *Persecutoris partes exequamur, & martyrum.* Bonavent.

3. Quanquam hoc unum haberet mortificatio, ut similem me efficeret Iesu patienti, nunquid eam amplecti deberem? O! utilis mortificatio, quæ refricat, memoriam passionis Christi: Anime mi? ubi est amor tuus in Iesum? si verè Iesum amas, esto Iesu similis: si compateris, & conregnabis. Si verò crucem, & humilitatem fugis, frustra speras gaudium & gloriam paradisi. Ah! Domine, qui tantùm me amâsti, *Non possum esse sine vulnere, quando te video vulneratum.* Bonavent.

S. DIO-

S. DIONYSIVS AREOPAGITA.

9. Octob.

Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum. Paul. 1. ad Cor. C. 4.

IS est Dionysius, cui nomen Areopagus fecit, vir inter Athenienses eximiè doctus & siderum contemplationi addictus. Quare eo tempore, quo omnis natura morientem Christum lugebat, exclamasse fertur, *aut Deum laborare, aut mundum ruinam meditari.* A Paulo deinde Christo additus, præesse novitio Christianorum gregi Athenis jussus est. Ajunt cum Apostolis abeunti in cœlis virgini adfuisse, Certè eam vidisse, aspectuque tam augusto attonitus ingenuè scribitur affirmasse, pro Deo hanc habiturum se fuisse, ni fides Dei matrem esse suggessisset. Paulo etiam commori cupidus Romam advolavit. Sed prævertit Neronis crudelitas, qui spem tantam in Paulo priùs decollavit, Galliam ergo cùm jussu Clementis Pont. adiisset annos numerans X. supra C. vincula primo tulit; tum verbera; utraque Christianâ fortitudine. Exinde ferreo, cui flammæ subjectæ erant, lectulo incubuit

buit; sed suaviora nunquam somnia de cœlo, quam tunc vidit. Ita semiustulatus feris objectus est, sed has etiam virtus demulsit. Iterum in flammas missus, aurum exivit, Post in crucem actus, cruce scilicet gravius habuit deponi è cruce. Ad extremum cùm sacrificantem in carcere Christus spectabilis animasset, non minùs mortis D. Pauli, quàm vitæ æmulus gladio occubuit. Illud memoratu dignum, quòd abscissim caput inter Angelorum accinentium comitatus, suis ipse manibus passus bis mille ad destinatum tumulum portaverit, novo miraculo & funus idē & funeris ductor. *Ex hild. & opere Marian. Canis.*

MEDITATIO.

De Prudentia.

1. Asserit S. Iacobus in Epistola sua, mundi sapientiam vel terrenam esse vel animalem; vel diabolicam. Diabolica cadit in ambitiosos; terrena in avaros; animalis in voluptuarios. Quænam est tua prudentia? nonne verum est, totum te esse in quærendis honoribus, divitiis voluptatibus? nonne ea sunt idola tua? *illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis.* Tertull.

2. Sapientia quæ de sursum est, hæc tria fastidit bona; fastidit divitias, cum Christus dixerit: *Beati pauperes, væ divitibus?* fluxis abstinet voluptatibus, ut potiatur æternis. Amat nesciri, & ab hominibus pro nihilo

breputari, dum probetur Deo. Quid plura? omnium detrimentum facit, ut animam lucretur: at sæcularis Sapientia. *Imprimis habet hoc malum, quod dum ingerit transitoria, abscondit æterna.* Eusеb. Emis.

3. Ut agas in omnibus ex veræ prudentiæ præscripto, semper respice finem. Eundum tibi est ad cœlos: en? primum consiliorum tuorum; illuc si pertingas, felix eris, sin minus, infelix. Quid agis ut cœlum teneas? salus animæ magnum & unicum esse debet Christiani negotium, cum ad hoc unum creatus sit. *Porro unum est necessarium.* Christus!

S. FRANCISCUS BORGIA.

10. Octob.

Qui utuntur mundo tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Paul. 1. ad Cor. 7.

NOn priùs FRANCISCVS Patrem aut Matrem quàm IESUM & MARIAM balbutiens salutavit. Puer vel facientem vel dicentem Sacerdotem æmulatus est. Juvenis gynæceum non nisi cilicio armatus adiit, reputans se toties hosti loqui, quoties fœminæ. Jam Gandiæ Dux & Catalauniæ Prorex, per vetustum familiæ morem annum patronum sor-

tiendi in menstruum vertit, eumque in Societatem postea & Marianos cœtus invexit; ipse tunc Patroni die pauperes mensæ suæ minister adhibuit. At verò cùm illud formæ miraculum (Isabellam Augustam) in Sandapila attentiùs considerasset, honorum titulos ut certissima mortis spolia ultrò abjecit, & in Societatem Jesu (cui universæ deinde præfuit) se abdidit, dicere adhinc solitus, tum vivere se cœpisse, cùm desiisset Isabella. Corpus tam durè habuit, ut duplicari jam & indumenta & cutis possent. Ad purpuram non semel oblatam tam erubuit, ut alii ad hujus repulsam solent. Mariæ, quam D. Lucas depinxit, effigiem primus Æri incisam spargi per omnem orbem curavit. Hanc cùm aspiciebat, mihi, ajebat, Virgo hoc onus gestat, mihi lac matris, mihi filii bullit sanguis. In vitam suam inquisivit horis singulis, reum ad Sacerdotis pedes bis quotidie se egit, quin neque voce neque literis alium se quàm Franciscum peccatorem prætulit. Sed talem peccatorem Anno M.DC. XXIV. Urbanus VIII. Beatum & Clemens X. Anno M. DC. LXXI. Sanctum dixit.

Ex vita.

MEDI-

MEDITATIO.

In tres virtutes S. Franciſci Borgiæ.

1. IN omnibus dignitatibus magnam præ ſe tulit humilitatem. Mundum deſpexit, ubi ſenſit, in eo nihil ſtabile eſſe: Hoc ſancto inferior es & virtute & dignitate. Conſidera quòd *præterit figura hujus mundi.* Rumpe vincula, quibus illigaris vanitatibus ſæculi, ut moriens habeas nihil, quod ægrè relinquas. *Stemus expeditè ad omnem vim, nihil habentes, quod ægrè relinquamus.*

2. In mediis mundi delitiis durius vitæ genus agebat: Induebat cilicium, ſi quando fœminas principes adire cogeretur: duriſſimum jejunium ſervavit; hæ tamen auſteritates nihil planè erant ad eas, quibus ſuum corpus maceravit, poſtquam nomen dedit ſocietati Ieſu. Num hic ſanctus tuam damnabit mollitiem? noli cauſari pravos habitus: nullus quippe habitus eſt, qui mutari non poſſit.

3. In mediis negotiis pietati & orationi ſedulam dabat operam. Ambulabat ſemper coram Deo, & quolibet menſe patronum inter ſanctos ſeligebat, quem pium patronorum eligendi morem in Societatem Ieſu induxit. Ubi, quæſo, tua pietas, num verum eſt, vitam tuam ſic præterlabi, vix ut Deus particulam ejus accipiat. *Fuiſti infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri, boni autem nunquam.* Clem. Alex.

S. JACOBUS Confessor

11. Octob.

Nolite ergo sollicitiesse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.
Christus Matth. c. 6.

FElix, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum Iacobum nostrum peperit & probè edueatum Romam ad DD. Apostolorum limina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit, & ab Alphonso rege militiæ adscriptus nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placuêre, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent, id quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Dominici signa transiit. Hîc ille boni militis partes omnes implere, primus semper ad ducis nutum; portarum animi, oculorum inquam vigilantissimus custos, & flammas hostiles casto animo injectas suffocare illicò doctus sanguinis recordatione à Christo fusi. Jam arma (preces) nunquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens, & semper à castrorum Acie Virgine auspicium sumens, Quid jam mirum, si miles

les noster dæmones fustibus pugnantes risit, præsertim quando cum pugnante Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit & eâdem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quod & insidias structas Reipublicæ ab orco detexit. Ad D. enim Antonii tumulum cùm lætantes dæmones spectasset & triumphum adornantes ob futuram altero die inter cives cædem, medius preces suas interposuit & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit. Fuit cùm ad hortos Elysios avolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irascceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quisquam molestiam revocando faceret, morte illuc non rediturus abiit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De die Christiano bene transigendo.

1. MEmento Diem Christianum aperiri matutinâ oratione, & claudi serotino examine conscientiæ. Adesto quotidie sacro Missæ sacrificio: librum pium, saltem per breve tempus attentè lege: noli omittere solita pietatis officia erga Mariam. Quâ ratione labuntur dies tui? ubi sub noctem deprehenderis, nullam te per diem lineam duxisse Dei causâ, tunc gemens ac dolens dic? Heu? diem perdidi quo poteram fieri sanctus, & æternam comparare felicitatem.

2. Cum

2. Cum surgis, hoc apud te cogitare debes, forsan hodiernus dies ultimus erit vitæ meæ! si scires, te hodiè moriturum esse, quid ageres? Cùm ad aliquid aggrederis elevato animo, dicito: tibi Domine laborare, & pati volo, Domine? gratiam impertire, ut perficiam opus, quod suscipio, nec illud peccato contamina. *Tuum sit igitur totum id, quod vivo, totus me totum tibi offero.* Aug.

3. In Examine Serotino, hæc tria quotidie reputa: 1. quid boni? 2. quid mali feceris? 3. quò fugerint voluptates? quò honores? Ah! quantùm gauderes, si aliquid Dei causâ passus esses. Hoc demum meditare, cum jamjam somnum capturus es: æternus forsan erit somnus meus, & in quo jaceo linteo, in eodem mortuus involvar. Ita est, aderit illa dies, cùm *subter tegetur tinea, &c.* Isai.

S. MAXIMILIANUS EPISCOPUS.

12. Octob.

Labora sicut bonus miles Christi Jesu, nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.
Paul. 2. ad Tim. c. 2.

MAximilianum, quo Cive Pannonia, Austria Patrono gloriatur parentes nobiles

biles Celciæ genuerunt, lactarunt Gratiæ, Musæ eduxerunt. Talis inquam Maximilianus dignus Cœlo visus est, quem in suas partes pertraheret; & verò facilè ille obsecundans meliora suadenti, hæreditatem suam (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Jam honoris etiam umbram cùm fugeret, insecuta tamen hæc virtutem, Laureaci Mitrâ sibi devinxit & in solium renuentem extulit. Hoc deinde cùm furiæ Decianæ detulissent, Romam abiit, mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos muneri suo cum summa laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et fortè Evilasius illic prætor Christianam pietatem oppugnatum ibat. Tantò amplius festinandum sibi ratus illicò advolavit & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in prima fronte acriùs pugnat inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem hostiam propitia victoria semper postea cum Christianis stetit. Diceres suum etiam Pannoniæ Decium obtigisse. *Ex Eusebio.*

MEDI-

MEDITATIO.

De vero Christi Milite.

1. UT sis verus Christi miles, dæmoni fortiter resiste, ut pote, qui sit capitalis hostis ducis tui; fractis ejus consiliis, aperto Marte præliare adversus eum, & adversus eos, qui partes ejus suscipiunt. Heu? forte dæmoni faves, nedum adversaris; illi morem geris, cum voluptati & honori servis.

2. Si vis Jesu Christi vestigiis insistere, non repugnanti, non querulo, sed æquo animo patiaris omnes, & ab omnibus illatas injurias, puta dicteria, detractiones, persecutiones: in hoc prælio vincit, qui vincitur; contemptûs tam impatiens es, ut verbulum in te vel imprudenter prolatum acriori responso statim ulciscaris Ah! si Jesum amares, eum imitareris ad mortem usque patientem. *Si amarent crucem, vitam crucifixam agerent.* Chrysost.

3. Vince te ipsum; id genus victoriæ ut difficillimæ, ita Deo gratissimæ, tibi verò utilissimæ est. Vince te ipsum in minimis, juxta ac in magnis; non difficillimè multis careres commodis, quæ nimio tui amore quæritas. *Abdicare à te ipso, ne abdiceris à Christo: repudiate, ut recipiaris à Christo: perde te, ne ipse pereas.* Salvian.

S. COLMANNUS Martyr.

13. Octob.

Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Christus Matth. c. 5.

COlomannum Regii sanguinis Juvenem & Juventæ ævo suo facilè principem genuit & educavit Scotia, hospitem Bojaria vidit & Austria. Habuit tamen hæc hostiliter potiùs, quàm hospitaliter, Etenim quòd genus & virtutem, sub peregrino dissimulasset jussisque valere & patriâ & opibus patriæ, sacram Ieroſolymæ urbem in votis haberet, diu jam dæmoni malo ægrè faciebat. Hic igitur contra ægrè Colmanno facturus id machinatur, ut innocentia sub proditoris nomine accusetur. Capitur, carceri datur, torquetur, uritur, laceratur, damnatur & ex arida arbore ipse flos luventutis suspenditur. Hic demum pro innocente crebra miracula perorant. Et integritatem animi sesquiannum subdio pendens integrum corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes capilli & ungues testantur: clamat sanguis è vulnere nunquam non recens: ipsa, quam emortuam diximus, arbor in frondes suas revivíscens non debuisse mori Colmannum ait. Tot testibus tandem victa Austria vertit sententiam, absolvit Colmannum & se damnavit. Sed & hic tot honoribus pòst, quot suppliciis ante mactatus. Austriam jam absolvit. *Ex Ditmaro. Stabio & VV. Lazio.*

MEDI-

MEDITATIO.

De Obtrectatione.

1. DEus tantùm odit peccatores, ut gehennam minetur ei, qui fratri maledixit. Cave tibi ab illo peccato, quod tam latè patet, & tam facilè admittitur; verbo siquidem, gestu, accentu vocis, proximi famæ, quâ nihil homini carius est, si divinam gratiam exceperis, extingui potest. Facilè est, aliorum famam maculis aspergere, at difficile, easdem maculas eluere. *Magis vitam ordinare disce, quàm alienam carpere.* Hier.

2. Is obtrectat, qui falsum crimen de aliis narrat, quod calumnia est; vel qui absconditum vulgat, quod justitiæ & charitati repugnat: vel, qui tum crimen auget, tum laudes minuit; vel denique, qui rectè factorum causam & intentionem arguit. Vide, an id agas; vide, an velles, ut de te alii loquerentur, ut tu quandoque de iis loqueris?

3. Injunge aliquid pœnitentiæ nomine, quoties verbis proximum tuum læsisti, & quàm primùm famæ inflictum vulnus. Si te carpant alii, testis Deus & nihil sibi conscius animus te consolentur. Quid irasceris? Christus calumniatores habuit. Si te præsente de alterius fama detrahatur, ne detractorem audias: solerti quâdam prudentiâ sermonem aliò averte, imò abrumpe si per authoritatem possis. *Vbi desunt audientes, non inveniuntur detrahentes.* Hier.

S. Bur-

S. BURCHARDUS Episc.

14. Octob.

Eratis sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarũ.

1. P. Pet. 2.

INfelix nunc Anglia, heu! minimè sancta, quam tot olim deseruere sancti, ut alios bearent. Hos inter & Burchardus, magnis natus parentibus, ne velut adamas, cognato sanguine molliretur, patriam exilio mutavit, ultro profugus in Galliam, inde alias terras, splendidam virtutem vili penula tegens, perambulabat. Radices jam egerat in alieno solo, transplantatus in Germaniam, & ipse Anglus, Bonifacius Moguntiæ præsul: Huic Comes Burchardus, jam Sacerdos, Romam cùm venisset, ibidem in Episcopum consecratus, & in Franconia primus Herbipolitanæ pastor cathedræ ab ipso Bonifacio impositus, XL. annis præclara authoritate & virtutis æstimatione præsedit. Quàm verò omnis pompæ contemptor fuerit, Episcopale pedũ (in antiquæ simplicitatis testimonium, ad tumulum ejus etiamnum superstes) satis ostendit, quod non

auro & gemmis emicat, sed totum quantum ex sambuco est, quali nec opiliones apud gregem superbirent. Sed & insulæ demum onus Burchardus in Meningardum transtulit, ipse in Hohenburg castello cœlestium contemplatione ad cœlum expedivit iter, quod Anno Christi DCCXCI, confecit sancta morte, Anglus deinceps inter Anglos habitaturus. *Martyrol. Canisii.*

MEDITATIO.

De bonis Pastoribus animarum & ovibus.

1. ESt nobis pastor bonus, & Princeps Pastorum Jesus Christus; sed, an nos oves ejus sumus sequentes vestigia in obedientia simplici, auscultantes voci ejus, & non dictaminibus sæculi? an sine murmure non aperientes os suum contra pastorem, si per aspera præit, & ducit. An sine dente non mordentes invicem & comedentes nos ut consumamur ab invicem. *In hoc cognoscet omnis quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13.

2. Misit Deus alios quoque pastores suos administros & dispensatores præpositos animarum nostrarum. An tu facis quod ovium est, debitum amorem & obedientiam exhibes. *Qui bene præsunt presbyteri duplici, honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina*, pr. Tim. 10, Si autem discoli sunt, cogi-

ta

tà monitum Christi, *quæcunque dixerint vobis, facite secundum opera autem illorum nolite facere.*

3 Si Pastorem te constituit Dominus super gregem suum, an cognoscis oves tuas, ut dirigas in viam bonam, ut nutrias verbo doctrinæ, ut reducas errantes, ut confortes & debiles, & sanes infirmas. *Dominus super pastores suos requiret gregem suum de manu eorum & væ pastoribus qui pascunt semetipsos* Ezech 34.

S. THERESIA Virg.

15. Octob.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Paul. ad Cor. c. 12.

QVid, heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce, ea infantia tectè vel ab infante Theresa fari. In æternum! in æternum! ah quoties balbutiens clamitavit, nos scilicet, puerilem sectam, non senem æternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At Theresa parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura & brevi mortè longam æternitatem auspicatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrem voluit. Illa ma-

trem Vicariam cœlo Mariam advocavit, nunquam ab hinc orba futura. Maria porrò filiæ suæ Sponsum filium conciliavit, quando ex Sanctioribus Amoribus Seraphinus Ales cor Theresæ terebravit. Ipse Amor hominum Christus, quo certiùs illam sauciaret, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet Amor. Adfuit deinde sæpè Sponsæ, nunc cruce pro more chlamydatus, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corolla ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrha ab eodem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ è Rosario Cruci abditæ. Dos verò omne cœlum: cujus opes cùm quandóque Theresæ Christus, ostentasset, *videns*, ajebat, (tute tibi Lector dictum puta) *quantis se bonis peccatores spolient?* Sed & veste nuptiali cùm Ordinem, quem Carmelitarum dicimus, restauraret, Virgo Mater & Virginis Sponsus Josephus cœlo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem præfertet, Anno M. D. LXXXII. Mors beata. *Ex vita.*

MEDITATIO.

De S. Theresia.

1. CUm unus è Seraphim ignito jaculo sanctæ Theresiæ pectus vulnerasset, continuo spretis aliis qui-

quibusq; , tota ad divinam gloriam & animarū salutem incubuit, adeò, ut diceret identidem : (libenter purgatoriis ignibus ad extremum judicii diem cremarer, si vel unum peccatorem ad sanitatem revocare possem) Domine, tua in me collata beneficia ignita sunt amoris tui jacula : unde non igneſcit cor meum? ah Domine? *jubes te diligi, da, quod jubes, & jube, quod vis.* Aug.

2. Aut PATI, aut MORI: ex illo S. Theresiæ symbolo duplex effectus amoris arguitur. Vult pati Theresia, ut sit similis Christo, qui tot ac tanta passus est, ideò laborem, ideò crucem quærit; tu vero ea omnia fugis : vult vivere, ut patiatur; vis vivere ut oblecteris. Muta consilium: habe deinceps egregium illud symbolum : *Aut pati aut mori.*

3. Sancta Theresia vult mori, cum patiendi non erit locus, tunc cupit dissolvi, & esse cum sponso suo : cupisne dissolvi? minimè quidem; sed mortem times tanquam finem bonorum, & malorum principium, quia scilicet mundanis gaudiis nimium indulsisti. Horrendum Dei judicium; non mortem time : Judex placari potest, mors non item. *Nemo timeat quod evadere non potest.* Tert.

S. GALLVS Abbas.

16. Octob.

Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. 3.

GAllus ad Laci Brigantini incolas Columbano Duce venit, quem in litèris & pietate magistrum habuit. Hic permultis auctor fuit, damnatâ superstitione, ad Christi partes transeundi: ipse antra sylvásque à colubris & lemuribus purgatas melior hospes cœpit incolere, commeatum sæpius cœlo suppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cùm ursus adfuit pauperis cœnæ reliquias populaturus. Sed jubet Gallus lignum potiùs fur comportet, eoque focum foveat. Facit ille imperata, & in laboris stipendium panem capit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, communem utérque montem haberent, cæterùm nemini deinceps mortalium ursus noceret. Has inquam leges homo tulit, & sacrosanctas fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omnique vi pellere Gallum est aggressus. Sed facilè hic iterum in fugam versi pellem hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divorum lipsana imposuit. Quin longiùs etiam hostem persecutus pepulit è filia Ducis Gunzonis, quam insederat, Galliarum tum Regis sed Christi postea sponsâ. Et poterat in præmium accipere insulam Constantiensem, nisi hanc quam tanti alii faciunt: nihili ille feciset. Itaque ad majora præmia &

Gallo

Gallo digna cœlum evocavit. Ejus funus, equi ferocissimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt: usq; adeò nihil ferum inorbe est, quod virtus non domet. *Ex Valfrido, Strabone apud Surium.*

MEDITATIO.

De tepore spirituali.

1. IS tepidus dicitur, qui nec frigidus, nec calidus est; qui quidem inferni metu abstinet à peccato mortali, at veniale parum curat: qui negligenter fungitur suo officio, qui ait: sufficit mihi, stare ad limen paradisi; is denique, qui ea duntaxat facit, quæ sine peccato mortali omittere non potest. Nonne te expressi? quantus est fervor tuus in divino obsequio? an sedulò declinas levia quæq; peccata?

2. Tepidus Deo nauseam affert, Deus vellet quidem, ut calidus, aut frigidus esset, sed, quia tepidus est, incipiet eum evomere ex ore suo. Deus facilius aperti inimici, quam victi inimici, quam ficti amici patitur injurias; nec amat hominem, qui cùm piis operibus vacare posset, non vacat, neque concessis affatim gratiis utitur. Audi, quæ dicat Ambrosius de tepido *Qui calorem fidei non habet, tolerabilius ei fuerat, fidem non accepisse quàm neglexisse.*

3. Tu qui tepidus es, vel aliquando fervidus fuisti, vel semper tepidus: si fuisti fervidus, fatearis oportet, jucundius esse, cor suum Deo penitus devovere, quàm illud Deum inter & mundum partiri; qui enim cor suum sic dividit; caret cœlestibus solatiis, & inferni

metu, terrenis frui non potest. Si vero semper tepidus fuisti. Ah? precor experire fervoris suavitatem, gusta & vide, quàm suave sit, te totum Jesu consecrare. August.

S. ANDREAS CRETENSIS.

17. Octob.

Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Pet. 1. Ep c. 3.

BElla, quod sacris Dei divorúmque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multùm virtus Andreæ enituit, quippe qui sub ejus statim initia è Creta Constantinopolim advolavit, linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) Majores nostros, qui pulchram pro patria mortē oppetierunt, stantes in saxo, in ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchriùs pro Cœlo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas & surgere cœlo Colossos spectabimus, neque impune hos quisquam nostrùm jam violabit? tu verò

Cœli

Cœli Imperatoris imagines, tu Imperatoris Matris Magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum ibis? quin etiam improbe illam ex animo tuo imaginem deles, quam suâ manu, cùm te finxit, Numen depinxit? Sed quid ajo, dudum hanc orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc unum audi, aut fallor ego (imò non fallor) aut, si Terræ filius bellum porrò cœlis movere pergis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam tu senties. Erat hoc furiosum lacessere, Itaque flagra, taureas inclamat Tyrannus. His lacerum in vincula, inde inter lapidum imbres ad infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest, qui ex itinere, amputato altero pede, divum cœlo transmittit; profuitque ad compendium viæ pedem abjecisse, *ex Surio & Menæis.*

MEDITATIO.

De triplici imaginum genere.

1. COlere debes tibi præpositos & alios, quoscunque cultui divino consecratos tanquam imagines Jesu Christi: observat Deus, quidquid benè vel secùs adversùs eos feceris. Si quid benè præmium, si quid malè, supplicium dabit. Quo honore habes tuos Prælatos? quomodo ipsis obtemperas? ne considere in eis dotes, aut vitia; sed sufficiat tibi, eos esse Dei Vicarios.

2. Honora Reges, Principes, Judices, Magistratus, omnes deniq; qui legitimã in te habent authoritatem; quoniam hæc authoritas à Deo est. Eos Deo commenda; plurimùm laborant illi, ut leges vigeant, utque populi pace & ubertate fruantur. Quam ob rem illis debes fidem, honorem, obsequium. Christus ipse obedivit hominibus; an es Christo major? *Erubesce superbe cinis Deus se subdit hominibus, tu dominari gestiens, tuo te præponis Authori.* Bern.

3. In sacris ac privatis ædibus sanctos venerare, ut pote, qui absolutissima sint exemplaria Jesu Christi: habe coram imagines. Sed præcipuo cultu honora sanctum, cujus nomen habes; Ad hæc elige tibi patronum, quem singulariter colas, in voceseque confidenter omnibus in necessitatibus Exemplo sanctorum exue veterem hominem, ut novum induas. *Abjectâ hujus sæculi figurâ, formam tuam, in formam tui reduc Salvatoris.* Chrysost.

S. LUCAS Evangelista.

18. Octobr.

Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis. Christus Ioan. c. 16.

LUcam nobis Antiochia Syriæ peperit, educasse verò ipsæ in sinu Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus excul-

cultus, arte insuper medica clarissimus habitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi schola grandis discipulus didicit, sui Deiq; agnitionem. Fertur etiam socius Cleophæ fuisse in Emaus eunti, tunc cum ambobus à morte Christus se comitem junxit, hospesq; non asymbolus mensæ accubuit. Post hujus verò, quem in cœlos duxit, triumphum, ubi in Orbis partitionem cum cæteris Apostolis venit, fidus Magno Paulo in omni itinere, quin adeò in vinculis Achates, Christi primò vitam mortemque, tum quæ Apostoli alii fortiter fecerunt, perscripsit. Abiit è vivis cùm annum ageret quartum supra centesimum, & tunc etiam memor Medicum se esse, ægris vel è tumulo medicinam, oleum salutiferum propinavit. Illud penè memoriam fugisset. Primus fuit Lucas qui Mariam felici manu depinxerit, in ea tabella, quæ etiam hodie miraculis lucet, dignus profectò, cujus penicillum Mariani omnes imitentur, idem in animis faciendo, quod Lucas in tabella fecit. *Ex tom. 1. Baronii.*

MEDITATIO.

De S. Luca.

1. LUcas scripsit, & prædicavit Evangelium, quod legere, docere, & ad usum revocare debes. Is liber est omnium pulcherrimus; & qui unam libri hujus

jus sententiam intellexerit, accendetur desiderio, sanctitatis. Si minus verbo, exemplo certè Evangelium doce, nimirùm abnegatione, mundi contemptu, amore Dei; quæ omnia Christus præcepit in Evangelio. An probas obedire te præcipuis Evangelii præceptis? Hanc quotidiè meditare sententiam. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

2. Hic sanctus fuit Comes & adjutor S. Pauli in Evangelii ministerio. Quinam sunt comites tui? anii, quorum exemplis accendaris ad virtutem? ô te felicem? si sodalem nactus esses similem S. Pauli, nam brevi tempore æquares D. Lucæ sanctitatem. Fuge nefarios cœtus. Ne dubites, quam habes cum malis amicitiam, dissolvere. *Melius est habere malorum odium, quàm consortium* Isid.

3. S. Lucas primus omnium Mariam pinxit. Vis egregium illud exemplar exprimere? Exemplo S. Lucæ imitare puritatem, humilitatem, & pietatem Mariæ. Vult enim B. Virgo, ut his coloribus cùm suam tum filii sui imaginem in corde tuo depingas. *Deus factorem signorum suorum quærit, non pictorem.* Aug.

S. PETRVS ab Alcantara.

19. Octob.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me.

Christus Luc. 9.

Hic est, qui Ordinem S. Francisci per Hispanias ad primum rigorem, exemplo rigidissimæ vitæ suæ reduxit. Hic est, de quo S. Theresiæ revelatum, nil, ejus nomine postulatum, à Deo denegari. Hic est, qui familiaris Deo, principum & Caroli V. etiam fastidivit congressum. Hic est, qui cum corpore suo pactum iniit, nunquam illi dare in vita requiem: hinc ei semper inediæ, vigiliæ, verbera & aculei ferendi. Hic est, cujus baculus terræ infixus floruit: qui fratres suos vacua in domo cœlesti de penu pavit: qui ningente cœlo oppressus à nocte, inter intectos muros, pro fornice ipsas coëuntes nives habuit, ut siccus staret. Hic vir est, quem charitatis incendia, ne suffocaretur, in campos frequentem expulerunt, ut respiraret: quem contemplationis sublimitas, etiam corpore gloriosè radiante, in aëra non rarò elevavit: cui prophetiæ donum & spirituum internotio de cœlo data: cui mortis hora præcognita: quem tertio & sexagesimo ætatis anno sanctè morientem, Theresia longè posita eodem momento cognovit glorioso comitatu cœlo inferri: quippe eidem S. Theresiæ paulò post in gloria spectabilis narravit ingentia suæ pœnitentiæ in cœlis præmia. Hic deniq; Petrus, illustris miraculis

raculis, etiam post mortem, inter Divos Ecclesiæ à Clemente X. Anno M. DC. LXX. solenni ritu est annumeratus. *Breviarium.*

MEDITATIO.

De vita S. Petri ab Alcantara.

1. ORdinis Austeritates non explebant sitim ejus patiendi; iis quippe graviores addebat. Primùm æquo animo patiaris, quæ necessariò pati debes, ut vocationis tuæ sanctitatem consequaris: tum voluntariæ afflictiones accedant interdum. Si licitis abstinueris, non admittes illicita. *Quanto facilius illicita timebit, qui licita verebitur.* Tert.

2. Deum præsentem assiduè cogitabat; quid impedit, quo minus identidem animus tuus in cœlum avolet, & quidem ex mediis negotiis? singulis horis offer Deo, quod agis, & quod pateris. Actus amoris & actus contritionis momento fieri possunt.

3. Tantùm amavit proximum suum, ut toto pectore incubuerit in ejus conversionem. Postquam Ordinem suum in tota Hispania ad strictiorem vivendi modum redegit, convertendis aliis hominibus acriter operam dedit Primùm omnium attende tibi, deinde aliis omnibus qui tecum iisdem in ædibus morantur. Plus prosunt exempla quàm verba. Oportet, ut de Christiano, maximè si religiosus sit, jure possit dici: ore, habitu, incessu, modestiâ se probat religiosum, ut olim Tertullianus de Philosopho. *Ipse habitu sonat, auditur Philosophus, dum videtur.*

SS. CAPRASIVS & FIDES MM.

20. Octob.

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Matth 10.

VT fidem sanguine suo firmaret Caprasius, Fides Virgo suggessit. Nam cùm hæc anno post natum Servatorem trecentesimo tertio pro Christo captiva in lassitudinem omnes jam Carnifices dedisset, & denique in craticulam abiecta esset lento igne crucianda; vidit è specu sua, quâ delitescebat, Caprasius, manifesta in luce Columbam cælo adventare, quæ & rore aspersо ardores temperaret, & serto longè pulcherrimo caput Victricis coronaret. Puduit vinci à Virgine, & latere jam noluit, si talem se fœmina proderet. Abjectus proinde in preces oravit; si cœlo placeret etiam virum in pugnam prodire vellet, juberet, eo in loco fontem enasci. Sanguinem se daturum, si aquam spelunca. Et dedit hæc aquam, sed quæ Caprasio cruentam sitim accendit.

cendit. Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad Tyrannum properare, & jam palam ostendere non frustra tamdiu in pulvere privato exercuisse sese; denique non modo inter omnia tormenta sibi constare, sed & longè plurimos alios in eandem sententiam pertrahere, quibuscum omnibus capite ultimò truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina sanguinis excresceret. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De divinis consolationibus.

1. DEus consolatus est Martyres, & pœnitentes, in mediis suppliciis & austeritatibus. In terris prægustârunt illi quidem (quæ bonitas est salvatoris) parata sibi gaudia in cœlis. Ah? si unquam tuis in orationibus id genus delitias expertus esses, profectò fatereris, quòd meliores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia Theatrorum. Aug.

2. Si nondùm probaveris, quàm suavis, sit Dominus iis, qui cænosas mundi voluptates respuerunt, nunc demum proba. Divinis gaudiis satiaberis, si valere jusseris terrena. Non potes gaudere cum mundo, & lætari cum Deo: oportet ut alterutri nuntium remittas. Procul sit mundus cum voluptatibus suis? tibi soli, mi Deus, adhærebo, & in te solo lætabor.

3. Postquàm Deo te penitùs devovisti, si minus potiaris suavitatibus, quas dat Deus, subducitque pro arbitrio suo, ne cadas animo: Eas dedit ut illiceret te

ad

ad obsequium suum, has abstulit, quia superbiâ, negligentia, gratiarum contemptu dignus factus es, qui iis priveris: dole, veniam pete, gratias age quia hâc consolationum privatione Deus tuæ consulit saluti. *Tibi venit & tibi recedit; venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te.* Bern.

S. URSULA Mart.

21. Octob,

Despondi enim vos uni virò, virginem castam exhibere Christo.

Paul 2. ad Cor. cap. 11.

CLassem & vela spectas, omnia à castis nivibus candida, omnia à casto sanguine rubentia; virum in his nullum nisi hostem; sed omnes virilis animi; Amazones rectè dixeris, sed quas zoná virgine nec victor Attila possit spoliare. Harum omnium ecce Dux Ursula est, Dianethi Britonum Regis filia, ob formæ florem Connano Armoricæ Dynastæ desponsa. Et verò jam ecce vela facit classis castissima, & pudori suo timens non tam in undis quàm lacrimis suis natat; jam Armoricam versus contra vota etiam sua feliciter fertur, jam obvius Hymenæus ingratum verecundis auribus obstrepit, cùm ecce tempestas suboritur & ar-

 reptas

reptas naves in Rhenum aufert, Agrippinam Coloniam ejicit. Nimirum adversum hunc alii ventum dicent, at secundum Ursula vocat & castitati velificantem. Longum igitur exilium citis nuptiis præferens. Romam cum comitatu abit, inde iterum Coloniam. Sed longè gravior redeuntes procella excipit. Naufragium iterum minitatur Virginitati Hunnorum & Alanorum vis, quid agis pudicitia? obluctaberis tot barbarorum insultibus Virginum agmen? enim vero pulchrum, Superi, facinus! ne pudor mergatur, omnes in Rhenum animas projiciunt, & ne telo cupidinis violentur casta pectora, ad barbarorum intentos arcus ultro jugulum offerunt.

Ex D. Vrsulæ vita apud Lippeloum.

MEDITATIO.

De S. Ursula.

1. S. Ursula, Exemplo magis quàm verbo socias hortata est, ut castitatem vitæ anteponerent, Moriuntur omnes sed castæ, sed innocentes. Hinc discas vitam hanc nobis & brutis animantibus communem postponendam esse divinæ gratiæ, quâ Filii Dei, & castitatis, quâ similes Angelorum simus. Hæc sit vitæ tuæ norma, quam utique inculcare debes iis, quibus præes.

2. Una ex his undecim millibus virginum, animo ceci-

cecidit, & metu mortis delituit. perfectum nihil est in hoc mundo. Necesse est, ut veniant scandala & peccata in sanctioribus cœnobiis, & congregationibus reperiuntur non sancti. Qui stat, videat, ne cadat: tuæ te pudeat imbecillitatis. Petrus Christum negat, Judas prodit, ambo tamen erant Apostoli.

3. At ex undecim millibus virginum una duntaxat delituit. In religiosis familiis, si per negligentiam & ignaviam unus cadat, stant, & perseverant quàm plurimi, Quin etiam cordula, generoso sociarum exemplo accensa, postridiè prodiit in publicum, & Martyrii palmam adepta est. *In religione* (inquit Bernardus) *homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs.*

S. JOANNES BONUS.

22. Octob.

Facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum.

Christus Matth. cap. 19.

GEnuit Mantua Joannem Bonum, sed ô malum! bonum divitiæ non fiverunt esse. Nempe dubites, an cùm demortuo parente hæreditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam Mater suis apud

Deum precibus sustinebat in præceps ruentẽ, frustra etiam ipsa futura, nî morbus quoque manum injecisset lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi voluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant. jamque ut valeret Joannes, valere mundum jussit & vitam religiosam vovit. Hac salutari medicina in pedes erectus morbi sui fomenta (divitias) non invitus abjecit, & post vitam prope Cæsenam in summa austeritate aliquandiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transiit, Ordinemque eum magnis incrementis & miraculis amplificavit, quin adeo subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hic extra teli jactum Castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis impuris æstuabat, jam pudor vicinus incendia metuebat; cùm contra tela infanda, tela alia, Arundines strinxit Joannes, & sub primores digitos tam validè ad egit, ut triduum exanimis jacuerit. Triumphavit tamen hostem à cælo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejuscemodi incursibus vixit. Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferrer.*

MEDI-

MEDITATIO.

De periculis divitiarum.

1. CUm toties Christus dixerit: *Væ vobis divitibus?* parùm sanus est, qui credit in divitiis nullum inesse periculum. Idipsum Christus exemplo suo demonstravit: venit in mundum, ut viam cœli nobis indicaret, pauper fuit, pauperes voluit discipulos, paupertatem commendavit; & nos Christiani amamus divitias? meditemur ea, quæ in Evangelio leguntur de divitiis; hæc meditatio amorem paupertatis, & divitiarum contemptum nobis ingenerabit.

2. Idcircò tam rara & tam difficilis est divitiarum & virtutum societas, quòd divitiæ viam faciant ad omne prorsus peccatum, & infinitis curis sic omne tempus absumant, ut dives vix modicum, ad vacandum saluti, possit invenire. Quid multa? ut cupiditas divitiarum est malorum origo, ita pestis est virtutum.

3. Ergóne divites de salute desperabunt? minimè: at illam si consequi velint, utantur divitiis suis ad solam Dei voluntatem. Nihil alienum retineant, nec bonis fragilibus opponant cor suum; ibi sit cor eorum, ubi verus thesaurus, hoc est, in regno cælesti, quod paratur illis, qui bona benè collocaverint, eaque pauperum manibus ad cœlos præmiserint. *Divitiæ si diliguntur, ibi servantur, ubi perire non possunt.* Chrysost.

S. SEVERINVS BOETIVS

23. Octobr.

Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Ioann. 4.

IPſum oculi tui Muſarum Ocellum Boetium vident, cui vel hoſtis Theodoricus Rex Teſtimonium hoc dedit, omnes omninò ſcientias unum complexum fuiſſe, ut jam Græciæ Roma nec Ptolomeos, Nicomachos, Euclides, aut Archimedes, nec Pythagoras, Platones aut Ariſtoteles invideret. Tot tamen ætatum miracula unico ingenio clauſa extinxit idem Theodoricus, futiis Arianorum (quos ſtylo Boetius confoderat) agitatus. Cæterum clientem ſuum in ipſum carcerem uſque Muſæ ſunt ſecutæ. Nam & in hoc librum *de conſolatione Philoſophiæ* & alterum *de Trinitate* ad ſocerum Symmachum ſcripſit, virum itidem eruditum & Conſularem, quin in eadem cauſa piè pòſt mortuum. Et Boetius quidem reſectum caput utrâque manu memoratur humo ſuſtiliſſe, interrogantiqúe per inurbanum jocum, à quo percuſſum ſe exiſtimaret, ſeriò, *ab impiù*, reſpondiſſe; inde progreſſus in templum demiſiſſe in genua ſeſe, ac preces inter caput arâ, ani-

animum cœlo depoſuiſſe. At Symmachus gladio & ipſe cæſus ſuum ſociiq; caput abunde fertur vindicaſſe. Siquidem cœnanti Theodorico portentoſi piſcis caput appoſitum Symachi ajunt imaginem induiſſe, hiantiq́ue ore & dente minitabundo ita perterruiſſe, ut metu mortéque rigens infelicem animam in ollas (quemadmodum S. Gregorius refert) Vulcani expiraverit, tunc etiam multis deflens innocentum Martyrum necem. Sed & hodie Muſæ Boetium Symmachumq; flerent, niſi in his oculos ſuos amiſiſſent. *Ex vita Boet. & Bar.*

MEDITATIO.

De amore veritatis.

1. PRo veritate vitam expoſuit Serverinus. *Veritatem requirit Dominus.* Pſalm. 30. & primò quidem veritatem ſpiritûs, qui purâ charitate ad Deum tendat: ne igitur amori proprio Conſiliario tuo intimo auſculta, dum carnis mendacia & mundi leges ac dictamina Evangelicæ veritati contraria obtrudit. Mentitur hic conſiliarius & adulator tuus domeſticus, & maximè decipit. Monet ſiracides cap. 37. *à Conſiliario ſerva animam tuam.* Et nunquid ſæpius hoc idolum adoras?

2. Dilige veritatem in labiis tuis. *Perdet enim Deus omnes, qui loquuntur mendacium.* Igitur mentiri & jurare tua lingua prorſus ignoret, monet Ambroſius, *tantúmque ante te ſit veritatis amor, ut quidquid dixeris juratum*

tum putes. Odisse etiam debes adulationem, absit, ut lingua tua adulando ulli vulnus infligat. *Denique ante opera omnia verbum verax praecedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Eccl. 32.

3. Veritatem dilige in opere: non enim solùm in verbis sed & in simulatis operibus mendacium est. *Mendacium est, se Christianum dicere & opera Christi non facere, Mendacium est se sacerdotem vel Clericum profiteri & contraria huic ordini operari,* Ambrosius. O Deus veritas? quam multo tempore Christianus sum, sacerdos sum &c. nomine, & paganus actione?

S. MARCIUS Confessor.

24. Octob.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Christus cap. 21.

ORbi Romano Iustino Iuniore imperante, rectiùs sibi Marcius imperavit. Aula illi spelunca non procul Caleno in Campania, quantò angustior tantò augustior fuit; pincerna verò petra, quæ aquæ tantum quantum sat erat, quot diebus fida ministravit. Doluit dæmon malus & veterem serpentis larvam indutus sive oranti, sive cœnanti, sive quiquid demum aliud agenti accu-

accubare perstitit. Ille Orcum vicissim ludos faciens, nunc pedem, nunc manum ultro ori ita ingessit, ut tamen dentem malum figere hic minimè auderet, sed post triennium victū se fassus per alterum montis latus in præceps abiret, ambustis circum circa omnibus, quâ volvebatur, arbustis. Sed ecce tibi pugnam, quâ dæmon ceciderat, prostitutæ frontis fœmina parat restituere. Quis credat? periculosius longè certamen hoc Marcius credere, non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abjectus nec oculo hostem audere aspicere. Cessit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit, & subinde alii sanctiore consilio ad Marcium inviserunt; quos inter puerum memorant, fallente vestigio, in subjectam vallem innoxiè lapsum. Quid? quòd saxum ingens spelæo imminens & à rupe suâ avulsum saltu Marcium transiit, qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præscriberet, pedem alterum illigavit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potius funiculis teneri vellet, catenam quidem posuit, cæterum longitudinem ejus nunquam excessit, nisi cùm excedere deniq; mors felix jussit.

Ex S. Greg. P.

MEDI-

MEDITATIO.

De frugalitate.

1. FRugalitas mors est vitiorum, & vita virtutum; si nimirum cibi, potûsque intemperantia coërcetur, animus fit purior, corpus validius, ac omnis homo ad orationem aptior; nam oratio, Tertulliano teste, jejunio pingueſcit. Qualem te præstas in frugalitate? nunquid interdum fraudare te posses cibis quibusdam delicatioribus, ut imitareris Dominum Jesum, qui in siti sua felle, & aceto potatus est tuâ causâ.

2. Gula longè alios habet effectus: aciem obtundit ingenii: impuras flammas excitat: animam ab oratione avocat. Quam ob rem sancti omnes, initio, suæ conversionis assiduis jejuniis vitium hoc eradicare conati sunt, eos enim non fugiebat, quod ait S. Hieronymus: *Jejunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum, & sanctificatio est.*

3. Ut ex eo vitio emergas, & virtutem ipsi contrariam assequaris, scire proderit naturam parvo contentam esse, & intemperantiam cùm sanitati, tum sanctitati plurimum nocere. Veniat in mentem Jejunium Jesu Christi & aliorum Sanctorum. *Quid terram nutrimus, corpus saginamus, animam verò contemnimus.* Chrysost.

S. CHRY-

S. CHRYSANTHVS & S. DARIA MM.

25. Octobr.

Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

1. Cor. 10.

Chrysanthus patre natus Polemio senatorii Ordinis viro, dum fortuitò in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus, legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimum edoctus. At Polemius, ut filium à Christiana disciplina dimoveret, nihil non movere, carcerique demum mancipare. Sed hic Gymnasii instar virtuti erat. Ergo ad insidias amicorum consilio versus cubiculum adornat & omnibus delitiis instruit; addit mulierculas omni mundo muliebri præter verecundiam superbas. Inter has collocatus Chrysanthus tunc demum in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum nempe (oculum clausum) objecit. Sed & Cælum

lum somno lenarum oculos obruit, tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum: Dariæ Virgini & formâ & literis cultissimæ committitur. Pergit tamen ille Victoriis Victorias accumulare & sponsum expetenti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiæ promittuntur, quæ ut festiviore apparatu fierent, plurimos ille luvenes, plurimas illa Virgines ad castitatis amorem traxit. Enim vero hic demum furere Venus & vinci toties tela sua indignata, Tyrannum animare, jamque Chrysanthum in carceres, Dariam in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimò vivi terrâ obruti castissimi Conjuges, primum thalamũ, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem sed impudicitiam sic tumulabas. *Ex Metaph.*

MEDITATIO.

De causis tentationum nostrarum.

1. CHrysanthus & Daria, (ille inter mulierculas lenas, hæc inter Leones, Lenones) tentati & digni Deo inventi sunt. Sed Chrysantho pro clypeo fuit custodia oculorum, Dariæ fortitudo Leonis propugnaculum. Quæ causæ sunt tentationum nostrarum? sæpe quia sensus non custodimus, occasiones

non evitamus, ordinatè non vivimus, aut molliter nimis creaturis adhæremus, aut quia satis non occupamur. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Jac. 1. v. 14.

2. Est & Dæmon sæpè causa tentationum nostrarum, ipse enim odit imaginem Dei, ipse invidet homini & socium quærit damnationis suæ, ipse arrogat dominium cordis tui, & adorari in templo Dei? ipse peccato tuo intendit crucifigere Jesum Christum. & renovare ignominias ejus. Ergone tu obsecundabis desideriis ejus tentationi consentiendo? O Deus libera me aut saltem robora me, *tentavit Satanas cor meum.*

3. Deus permittit tentationes propter gloriam suam & majus tuum bonum vult explorare amorem tuum, Vult te in debita subjectione continere. Vult te obligare ad opem suam efflagitandam, vult tibi occasionem præbere beatitudinem promerendi. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Deut. 13.

S. FULCO Confessor.

26. Octobr.

Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Christus Luc. 17.

Qui

QUi pauperes esse Musas indignantur, exemplum patientiæ licet à Fulcone mendicent. HÎc extremâ rerum omnium inopiâ pressus non tamen ideo minus literas coluit dudum ab his ipsis edoctus somnia doctiora non post merum, sed aquas in Helicone potas obrepere. Quare non invitus à Magistro doctrinam, ab aliis victum vestitumque precario accepit. Et forte fortunâ ditiores ædes pulsavit, cùm Ancillula stipem per jocum eâ lege porrexit, ut ne infulam unquam acceptaret. Enim vero jamjam prehensurus panem Fulco manum illico retraxit, indignum reputans tam parvo lucello tam magnas spes vendere. Et placuit generosus hic animus usq; adeo ædium domino, ut victum deinceps cæteraque vitæ præsidia omnia Fulconi liberaliter suppeditaret. Itaque positâ molestâ paupertatis sarcinâ, cum liberius jam studiorum stadia decurreret, inter Canonicos, quos vocant Regulares, adnumeratus missusque Lutetiam Parisiorum Doctoris primò titulo ornatur, mox Placentiæ ad D. Euphemiæ reliquis præponitur, inde Archipresbyter, inde Episcopus Placentinus, deniq; Papiensis etiam renuntiatur, & jam illa olim omnibus supplex manus annulo vestitur, caput omnibus apertum

tum Mitrâ tegitur, doctaque egestas purpurâ involuitur. Sed tamen memor fortunæ veteris, dum vixit, qui nos semper mensæ paupe-res adhibuit, totidemque cum Magistro suo Musarum clientes, & septem egentes viros nobiles aluit. Atque hi fecere, ut licet Virgo Fulco, pater tamen obiret. *Ex Ferrar.*

MEDITATIO.

Nulla re inflari debet animus Christianus.

1. NE glorieris de divitiis, honoribus, & aliis commutabilibus fortunæ bonis, quia pejorem, non meliorem hominem sæpius efficiunt; ne pariter ostentes naturæ dotes, nobilitatem, pulchritudinem, ingenium. Quid enim habes, quod immeritus non acceperis? gratias agere, non gloriari debes: Corporis & animi dotes labuntur cum tempore, & cum vita extinguuntur. Deus non talentorum, sed recti talentorum usûs rationem exiget.

2. Non est quòd infleris scientiâ? quid scires, amabo, ni Deus ingenium concessisset? tametsi vigiliis & studiis tuis magnam scientiarũ supellectilem tibi comparaveris, sic habeto, plura nescire te, quàm scire; imò quod tumorem animi tui deprimere deberet, vel ultimus dæmonum, te scientiâ longè multùmque superat. *Humilitas sublimioris Philosophiæ mater & origo* Chrys.

3. Cave

3. Cave, concessis gratiis aut acquisitis virtutibus extollaris. Virtute caret, qui de virtute gloriatur. Nam humilitas fundamentum est virtutum omnium. Imitare demum viros sanctiores, non laudis desiderio, sed officii causa. Nosce teipsum, nosce vilitatem, nosce malitiam, nosce peccata tua, & haud dubiè humilis eris. *Tota humilitas est ut cognoscat te.* Aug.

S. ELESBAAN Confessor.

27. Octobr.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

Paul. ad Eph. cap. 4.

Non erubescant Reges in Regem Elesbaanum intueri, & ex ejus vultu, Æthiopis licet, mores tamen suos componere. Bellum illigrave erat cum Rege altero Dunaano Iudaicæ superstitioni addicto. Causæ & Deo fidens purpuram quidem pugnaturus exuit, cæterùm ingentes animos induit, quos majores etiam Anachoretes nescio quis illi fecit, cùm, ut sibi DD. Martyrum præsidia (optimas utiq; auxiliares copias) acciersceret, persuasit. His fretus cùm in aciem descendisset, etsi initio laborare hæc videretur, pugnâ tamen ad extre-

mum

mum vicit, auſpicatiſſimo D. Gabrielis nomine velut militari teſſerâ tertium in aëre conclamato. Adhæc Superi Dunaanum hoſtem ita delusêre, ut veluti faſcinatus catenâ aureâ & ſe & amicos illigatos, quos quidem Victoriæ hic ſacrificaturus eodem ferro omnes immolavit. Sed nunc triumphum ſpecta Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hieroſolymam miſsâ, Elesbaanus ſaccum non togam palmarum indutus, & ſolus obſcurâ nocte in montem proximum ducit; caſamnõ Capitolium ſubit; vota victor vovet nunquã inde egrediendi; jamq; triumphales epulas pan nudo herbis ac fontanâ continuat, nulli hominum viſus, uni ſibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed ſic triumphanti Cælum applauſit. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De Ira.

1. QUod ſtomachum, id tibi riſum movere deberet. Iraſceris verbulo, leviori jacturâ, vanâ honoris imagine; an hæc ſunt tanti, ut animus tuus de ſua ſede moveatur? ſi teipſum videres iratum, nunquam certè committeres, ut inſani, ebrii, energumeni, & ferocioris beſtiæ ſpeciem indueres.

2. Duplex eſt ira, altera inſtar fulguris ſtatim extinguitur; altera verò, tanquam ignis ſuppoſito cinere,

diutiùs manet; prima quidem veniâ dignior est; si ex ira cundia sit aliquod stultitiæ genus, ea certè tolerabilior est, quæ brevior. Ast, quæ fovetur, & perseverat in corde, sæpiùs degenerat in capitale odium. Quanta, quanta sit illata tibi injuria, sanè nunquam debes obscurum odium fovere in fratrem. *Attende Christum propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari?* Aug

3. Ut nunquam irâ turberis, prævide occasiones irascendi, & appositis considerationibus para animum tuum, ut primos nascentis iræ igniculos protinùs comprimat. An pœnas à te repetit Deus, quoties eum offendis? an extingues injuriam accensâ irâ? Memineris demùm omnium potiùs quam patientiæ jacturam faciendam esse. *Totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.* Tert.

SS. SIMON & JUDAS Apost

28. Octobr.

Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Christus Ioan. cap. 15.

VBi primum debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò moventibus, Simon in Ægyptum, Judas verò Thadæus frater Simonis in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis

in

in Perside copias junxerunt, missáque iterum sub jugum Christi innumera multitudine, demum uno eodemque tempore & morte ambo fratres triumpharunt, quod spectaculum nè Romæ quidem toties triumphanti obtigit. Porro Iudas dudum antè Regem Edessæ adiit Abagarum (is est qui olim Christum, cùm in vivis adhuc ageret, per amicas literas in regni societatem evocavit) telam ferens in qua vultum sui quam simillimum Servator expressetum, munus profectò si ipsum artificem suum non referret, ab artificis certè manu quàm maximè commendandum. Hoc ubi cubicu-lo decumbentis Regis fuit illatum, locum illico omnem inusitatâ luce complevit, mox aspectu suo Abagarum à morbo recreavit, tactu verò persanavit etiam. In sactis undis cum omni aula sua ablutus imaginem conspicuo loco venerandam proposuit, ipse Epigraphen, literis auro liventibus, in hunc sensum adjecit. *Spes nulli unquam imponit, quam quis in tè Christe ponit.* Rectè, ais, Dei effigiem in honore Abagarus habuit. Tecum sentio. Sed nego illos hodie rectè facere, qui vivos Dei vultus, animos inquam perturbare per summam injuriam non verentur. *Ex Constant. Porphyr. Hieron.*

MEDITATIO.

De SS. Simone & Juda.

1. QUos amat Deus, eos ad se vocat, & secernit à populo, ut videre est in his Apostolis, qui filii erant Mariæ Cleophæ, cognatæ B. V. Jesus hos fratres plurimùm amabat, fortè hunc ipsis amorem conciliârat Maria. Solus Deus vocat, sed Maria pluribus impetrat vocationem. Anime mi renuntiemus sæculo, *nam qui renuntiavit sæculo, major est honoribus ejus & regno.* Cypr.

2. Mundus persecutus est, & occidit hos duos Apostolos, quòd ejus errores Evangelii luce dissiparent. Viri Apostolici? nunquam non persecutionem patiemini: mundum odio habetis, quid mirum si vos odio habeat mundus? gaudete, placetis Deo, cum displicetis mundo. Mundus amat sibi similes.

3. Generosissima amborum charitas, nec minis nec calumniis, nec suppliciis nec morte ipsâ extinguitur. Mundus conabitur labefactare, quidquid Dei causâ molieris; sed mactè perge forti, & constanti animo, Deo duce nihil non superabis! ne cures placere illis, quibus Deus non placet; imo lætare, quia si mundo placeres, Christi servus non esses. *Displicemus ergo his, & gratulemur, nos iisdem displicere, quibus & Deus displicet.* Paulin.

S. NAR-

S. NARCISSUS Episcopus.

29. Octob.

Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas.

Paul. ad Rom. c. 1.

FLorere sibi videbatur Jerosolyma, cum Narcissum haberet Pontificem odore virtutis charissimum patriæ & acceptissimum. Sed ex tam pulchro flore pessima aranea invidiæ venenum sibi suxit. Terni & ex mendaciis conpositi cives in innocentiam conspiraciis conpositi cives in innocentiam conspiraverunt, & sanctissimam viri famam fœdissimi criminis delatione contaminare sunt aggressi; utque ruitura mendacia perjurio fulcirent, si fallerent, pœnas ipsi sibi judices rei dictarunt, & primus ignes, alter morbum fœdum, ultimus oculorum orbitatem imprecatus est, omnes à Cælitibus non surdis audiendi. Etenim etsi perfidiæ etiam juratæ nemo crederet, testisque maximus & unus omnium instar Narcissus, execratus tamen hic vel suspicionem facinoris subduxit se & silvarum exilio in-

nocentem se damnavit. Mox tamen aliam adversarios sententiam cælum pronuntiavit. Primus enim ille cum omni familia igne tecti nescio unde illapso exustus facem, ut innocentia pateret urbi, accendit. Alter horrido morbo obsessus uti à capite ad calcem usque sancti nihil, ita nihil sani habuit. Interea dum vindicem Deum tuentur, timuere sibi oculi tertii testis, & sceleris pœnitudine hic ductus publicâ confessione perfidiam & lacrimis damnavit, sed tot ac tantis, quibus oculi effluerent, mitissima vindicta, quod simul noxii eluerent. Ita cæli patrocinio defensus muneri suo ac loco est restitutus, vixitque Narcissus quàm diu nullus flos alius vivit. C. & VI. annos. *Ex Euseb. l. 6.*

MEDITATIO.

Deum mirari debemus in rebus creatis.

1. MIrum in modum elucet divina sapientia in perfecto ordine mundi universi. Rerum creatarum varietas, temporum vicissitudo, mare, terra, cœli, omnia denique enarrant gloriam Dei. An silebo ipse, jubilante Deo omni terrâ? *Omne istud, dum præbet ministerium, præbet exemplum.* Euch.

2. Divina bonitas splendet in rebus creatis, præsertim in hominibus, quibus non solùm necessaria, sed & delectabilia ultrò concessit? par pari, quantùm

in nobis est, referamus. Demus Deo non modò, quæ à nobis exigit, sed prorsus omnia, quæ ipsi dare possumus. Deus nemini concedit in liberalitate, & haud dubiè vel in hac vita centuplum accipiemus.

3. Emicatitem divina potentia in rebus creatis, quæ omnes parent DEO, sic, ut præter naturam suam agant, cum jubet præpotens rerum omnium Dominus. Divinæ voluntati nihil resistit. Anime mi? quousque Deo resistes? quousque quiesces? in bonis creatis, ut in ultimo fine? utere quidem, sed non abutere bonis terrenis, & per creaturas ascende ad creatorem. *Disce amare creatorem, ne teneat te, quod ab illo factum est, & amittas eum, à quo ipse factus es.*

S. ZENOBIVS ET ZENOBIA.

30. Octob.

Ut digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini. ad Thessal. 2. Epist. cap. 1. v. 5.

ADeste hæredipetæ filii & dilapidare (neque enim hoc jam vetabimus) patrimonia vestra à Zenobio nostro discite. Iste ubi hæreditatem paternam adiit, totam hanc in pauperes & ægros intra non multos dies effudit. Quid frontem contrahitis tam subitò avari? rectiùs poterat sua locare quàm cælo, quò,

quò, quidquid accipiunt, fidæ pauperum manus ferunt? Sed & viventis etiamnum manû munificam remunerare Deo placuit, quando arte medicandi tantâ imbuit, ut vel ad tactum ejus omnes passim morbi fugerent, ac deinde in patria urbe Ægis pontificali pedo, palmâ denique gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysiæ Proconsuli inter omnia tormenta victor extorsit Et fortè ab equuleo pendens cassas tyranni minas despiciebat, cum Zenobii etiam soror Zenobia accurrit, & verò ex eodem tam forti sanguine se prognatam jactitans sociã Germano se junxit. Lysias utrumq; in ferreum lectum injici & subjici ignem jussit. Sed hunc Cœlũ mitiore rore facilè temperavit. In fornacem succensam post hæc abjecti iterum flammas triumpharunt. Superis acclamantibus & certos esse beatitatis jubentibus. Meruêre ergo laurum, quà ut coronarentur, capita securi submiserunt. *Ex Metaph.*

MEDITATIO.

Cœlum labore venditur.

1. NE nos ita amemus, ut putemus nobis cœlum gratis datum iri. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Terra hæc locus est prælii, non quietis. Sancti viam cœli sudoribus, lacrymis & sanguine conspersérunt. Oportuit Christum pati, & ita

& ita intrare in gloriam; nos verò (quæ noſtra ignavia eſt) gratis petimus, quod Chriſto & ſanctis omnibus tanti ſtetit.

2. Quidquid agis, quidquid pateris, ſanè leve quidpiam eſt, ſi comparetur vel cum eo, quod meretur Deus, vel cum eo quod Chriſtus paſſus eſt, ut tibi viam muniret ad cœlum. Quare age, patere æquò & alacri animo: nam *quod tribulationis ſuſtines, momentaneum eſt, quod gloriæ præſtolaris æternum eſt.* Petr. Dam.

3. Jugum Chriſti ſuave eſt, duriſſima vero mundi ſervitus Quid non agit miles honoris causâ? auri fames quibus periculis mercatorem objicit? quid non molitur veſano amore percitus, ut voti compos fiat? quibus demùm artibus extorquetur Principum gratia? Tu ipſe quid non agis, quid non pateris, ut vanitati ſervias & voluptati? quandonã Dei gloriæ & tuæ ſaluti ſtudebis, ut adhuc mundo & corpori ſtuduiſti?

S. WOLFGANGVS Epiſcopus.

31. Octob.

Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Paul. ad Rom. cap. 15.

STellam parturire ſibi Mater Wolffgangi videbatur. Non fefellit. Wolffgangum

peperit, Sidus, à quo omnis Bojaria illustrem se fatetur. Natalium splendori jam indeà puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accendit. Hæc cùm inter Herciniæ silvæ. Ascetas aliquandiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & prælucere Bojis Ratisponæ jussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ Magistrum omnium ordinũ homines. Virgines præcipuè Deo dicatæ, quas ille à vitæ, ad quàm nunc etiam pronum est deficere, licentia, ad sanctiorem disciplinam facilè omnes revocavit. Postea in desertos montes aufugit, struxitque sacellum miraculis etiamnum inclytum. Sed non potuit oculos effugere Stella tam nobilis Retractus Wolffgangus post longam absentiam pulchrius jam Ratisponensibus velut post tenebras luxit. Illud minimè tacendum Henricum Bavarum postea Augustum educasse, illique Imperium tum in vita, tum à morte sua prædixisse, nam ferunt Henrico dormienti Wolfgangum adstitisse & parieti gemina hæc verba (Post Sex) inscripsisse: experrectum illum mortem primò in sextum diem, post in sextũ mensem, tum in annum sextum exspectasse, sed tunc pro morte Imperium scilicet adiisse. At Wolffgangum, cum assem omnem suum

in

in fratres (ut ipse vocabat) pauperes partitus esset, cælum ex ipso templo D. Othmari, qui & Episcopatus illi & mortis vates fuit, ad se rapuit. Nec injuriam terræ fecit, suum abstulit, stellam tulit. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De triplici gradu charitatis in proximum.

1. DEbemus ut parentes, & amicos amare; hoc enim præscribit natura. Verùm, ut is amor sit Christianus, Dei voluntatem potius, quàm innatam nobis propensionem spectare debemus. Hæc voluntas Dei sit causa, & modus tui amoris. Eos amare te probaveris, si consulueris eorum saluti, & eorum onera patienter portaveris; id exigit amicitia & charitas Christiana.

2. Eos etiam amare debemus, quibus nec affinitate, nec alio quovis vinculo conjungimur. Parùm certè est, parentes & amicos diligere cùm is amor nobis sit ingenitus; ast magni meriti est, alios omnes Christianos potissimùm, amare, *qui digniùs fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum cognoverunt.* Tert.

3. Postremò summum charitatis est, inimicos diligere. Quàm difficilis est injuriarum remissio, si naturam audiamus? quàm facilis, si intueamur Jesum pro inimicis suis morientem? Huc accedit, quod generosius sit, parcere inimico, quàm mori pro Christo,

hæc

hæc enim habet S. Gregorius Naz. de S. Stephano. *Majus aliquid Deo morte offerens nempè animi moderationem, & inimicorum dilectionem.* Greg. Naz.

NOVEMBER.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

1. Novembr.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Paul. ad Hebr. cap. 11.

IN nuce iliadem, in pagella, inquam, omnes Sanctos tenes. Cæterum quæ festo huic diei origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id constat, cùm Deos jam Romani plures ferè quàm homines numerarent, fanum exædificasse, in quo totus Deorum Dearumque grex stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon dixisse. At anno, postquam Dii omnes uni cessere Deo, nono supra sexcentesimum, Bonifacius IV. PP. vacuum à dæmonibus locum lustrare aggressus, rectiùs hunc Virgini Matri & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem

rem XXVIII. Divorum ossibus onustos currus cum triumpho quam potuit splendidissimo induxit, simul ut illo ipse dies festus Romæ sanctúsque esset, imperavit. Idem postea sub annum Christianum octingentesimum trigesimum quintum, Greg. IV. per Occidentem sanxit, eam potissimùm ob caussam, ut, quando, tum ob numerum innumerum, tum quòd virorum sanctorum pars longè maxima cœlo, non item terris nota est, non potest Ecclesia singulis diem donare, certè omnes uno die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa exordia. Tu, si sapis, numerum auge beatorũ. Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquando unus es, heu! nullus es. *Ex Baron. & Mart. Roman.*

MEDITATIO.

In Festum omnium Sanctorum.

1. VIta Sanctorum plena fuit ærumnis; etenim ut vel ab inimicis Christi vexati sunt, vel à Deo, qui probavit eos, tanquam aurum in fornace, vel à semetipsis, quoniam non modò licitis voluptatibus fraudarunt sese, sed carnem suam acerrimis doloribus macerârunt. *Non naturæ præstantiorũ fuerunt, sed observantiæ majorũ, nec vitia nesciverunt, sed emendarunt,* Ambr.

2. Sancti omnes læti ac hilares semper vixerunt, divina enim gaudia, quibus superabundabant in tribulatio-

bulationibus ſuis, pellebant omnem corporis dolorem. Hos velim videas, tum in feralibus pegmatis, tum in ſolitudine. Hic præ cœleſtium conſolationum copia, lacrymas tenere non poſſunt; illic rident velut mediis ignibus. Tanta eſt Dei liberalitas, ut ſanctos voluerit, etiam hac in vita æternæ felicitatis delitias prælibare.

3. Si tanta fuit ſuavitas in terra, quæ quidem exilii, præliorum & laborum locus eſt, quanta erit in cœlo, patria noſtra, ubi triumphus præparatur? ibi malis omnibus vacui bonis omnibus redundabimus. Deum quippe poſſidebimus. Audi, quid ſancti dicant: non eſt facilior ad cœlum via. quàm quæ noſtris, & Chriſti veſtigiis trita eſt. *Non hic quæras, quod nullus ſanctorum obtinuit, quod nec Chriſtus &c.* Euſeb. Emiſſ.

COMMEMORATIO FIDELIVM DEFVNCTORVM.

2. Novembr.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.

Pictas lacrimas, Mariane, oculis tuis objicimus, ut his oratoribus tibi exprimamus veras & quibus opem non fictæ calamitati feras, nec jam pictos extinguas ignes. Id porro quàm meritò facias, ex annalibus D. Dominici

nici discè. Numeravit hic inter Alumnos suos duos præcæteris pietati deditos, Bertrandum alterum, alterum Benedictum. Ille pro peccantibus, hic pro luentibus in flamma piaculari multum solicitus, preces ac sacrificia quisque in suos congerenda credebat. Et pugnabat Benedictus magnis rationum momentis & ajebat, illos, si modo velint, rebus suis abundè posse consulere, ore suo orare, manu suâ avertere iram numinis posse, hos verò, ut qui manu carerent, utique auxiliari alterius egere. Contra contendebat Bertrandus tam hos suæ salutis, quàm alteros illos, ni à præcipitio abducerentur, interitus certos esse, itaque gravius periclitantibus succurrendum. Et perstitisset in hac sententia, nisi ex purganti igne anima una omnium legatione functa terrore suo sub noctem insequentem patrocinium suum & sociatum ita persuasisset, ut jam nemo alius pro his ad aram frequentius Bertrando oraret. Et profecto si sapimus vicina incendia & nobis quoque jam jam impendentia communi operâ sopimus, hoc est, cilicio opprimimus, precibus avertimus flagris fugamus, gemitibus difflamus, oculorumq; imbre extinguimus vindices ignes. Quin quisquis fila manu tenes & globos Virgini

gini sacros, tenere te funem puta, quo ex ferno carcere ascendere hodie ad cælum as mas facias.

MEDITATIO.

De Animabus Purgatorii.

1. ANimæ purgatorii pœna damni cruciantur, cū Deum nondum videant. Prô dolor? naturæ gratiæ pondere ad Deum vehementer feruntur, nō Deum possunt attingere, & quod durius est, foris retardantur leviorem propter voluptatem, quàm contra legem Dei perceperunt. Miserere harum animarum: abrumpe tam dura earum retinacula.

2. Iisdem planè flammis, atque damnati, cremantur; nam ignes purgatorii, & ignis inferni duratione duntaxat differunt. Animæ quæ infernis addictæ sunt flammis, in æternum, quæ purgatoriis, ad tempus comburentur: hoc tempus minuere potes precibus, jejuniis, eleemosinis. An negabis hoc charitatis officium parentibus, fratribus, amicis, id à te gemitibus suis, petentibus? *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.*

3. In hoc tamen carcere non conqueruntur, quoniam acquiescunt in divina voluntate; gaudent illæ quidem, eum videant ex una parte infernum, quem declinârunt, ex altera Paradisum, quò brevi concessuræ sunt Disce ab illis patiendi rationem. In omnibus calamitatibus compone voluntatem tuam cum divina, & adhibitis interdum voluntariis mortificationibus, purga animam tuam, ne his ignibus purgetur. *Domine in hac vita purga me.* Aug.

S. MAR-

S. MARCELLUS Episcop.

3. Novemb.

Beatus qui non judicat semetipsum in eo, quod probat. Paul. ad Rom. 14

MUlti Thyrsigeri, pauci Bacchi, vinum perdunt multi, pauci faciunt. Mirus in hoc Marcellus Parisiensis fuit, cui in manu, prodigio divino, vitis gemmas primô, mox flores momento protulit, & uvas, unde vinũ expressit. Quin & loturus Episcopo suo manus, vinũ ex Sequana hausit, ejus virtutis, ut calix unus sufficeret totius populi sedandæ siti nec sic caretur vasculũ, ex quo multi etiam ægri (non ut modò noxiè insympotiis propinatur) verè sanitatem bibere. Tam eminentem virum proin meritò patria sibi præesse voluit pastorem. Mortua est eo Episcopo, quàm genere, tam adulteriis famosa mulier. At gloriosè sepultæ superbum tumulum adrepens ingens serpens, præsentibus infelicis agnatis subiit, idemque venenosus prædator, velut è macello, paulò post, retulit insigne carnis frustrum demortuæ ex sepulchro. Rei fœditate attonitis omnibus, Marcellus Episcopus se sequi populum ad monumentum jubet; jamque cornutus ad culinam suam draco revol-

vebatur, cùm Sanctus prævia oratione occurrit, bestiamque, dejectâ caudâ quamvis supplicem, ter virga percussam, appenso capiti ejus Evangelio, multo spectatore enecat. At quis adulterorum animæ vermem in inferis necabit? *Ex Feuchtio.*

MEDITATIO.

De bona, & mala conscientia.

1. JUcundiùs nihil est, quàm bene actæ vitæ conscientia; qui sibi benè conscius est, semper lætatur, qui malè, nunquam. Accusetur, puniatur justus, solâ benefactorum conscientiâ recreabitur magis, quàm impius plausu, & laudibus mordente conscientiâ.

2. Conscientia malefactorum supplicium gravissimum est; ea quippe accusat, judicat, punit peccatorem, nec unquam ab ipso discedit: nullius habet rationem: Theodoricum, Neronem, Herodem, in media militum caterva fidenter aggreditur. Nisi resipueris, ad extremum usque spiritum conscientiæ stimulis pungêris, & quocunque jêris, tecum habebis tortorem.

3. Huc accedit, quòd angores conscientiæ morte non extinguantur: prava conscientia hominem comitabitur ad Christi tribunal, exponet crimina, & ea quidem ratione, ut ne verbulum quidem peccator dicturus sit, quo peccatum minuere, nedum diluere possit; quid plura? descendet in infernum, & æternus vermis damna-

damnatorum pectus exedet. Si velis conscientiæ stimulis liberari, nihil unquam facias eâ reluctante, & & tacitis ejus monitis morem semper geras. *Nihil jucundius est, nihil tutius bonâ conscientiâ premat corpus, tradat mundus, terreat diabolus, illa erit secura.* Bern.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novemb.

Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam. Apoc. 2.

ERubescent puto ad Caroli purpuram Omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustrissimo parente aliter quàm in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspicere, ipse morbidas oviculas curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hîc illi animarum pastores, qui suum nunquam numerant, qui neque noverunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit, cùm provinciam dira lues famesque popularetur, quando, ut Christum operiret, parietes Aulæis, se lectulo etiam nudavit. Pe-

ſtem ſupplicationibus avertit ad DD. pulvinaria inſtitutis, in quibus ipſe nudus pedes, funeque in collum injecto, crucem prætulit, & in hac clavum ex illis unum, è quo nobiliſſimum olim Anathema Servator pependit. Portò authoritati Eccleſiæ vitam poſthabuit; Et ſuam purpuram ſuo iterum ſanguine pinxiſſet, niſi globus Divum juſſus ferire à tergo ad pedes delapſus eſſet. Puer, cùm alii ludos, ipſe Virginis templa obibat. Præter horas canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, & dici à domeſticis voluit. Sub Mariæ nomine collegium adoleſcentulis nobilibus exſtruxit. Mariæ ſtatuam ante omnium templorum portas poſuit. Hujus icone armari omnes milites ſuos voluit, forti utique clypeo. Mitto cætera, hoc addo: alios purpura, Carolus purpuram ornavit. *Ex vita.*

MEDITATIO.

De vita S. Caroli.

1. TAnta erat charitas S. Caroli, ut rebus ſpiritualibus hominum ſuæ Diœceſeos, & temporalibus indefeſſo labore, & profuſis divitiis conſuleret. Inſtituit xenodochia, Collegia, Seminaria; quin etiam ipſemet pauperes fidei rudimentis imbuere, pauperumque confeſſiones excipere ſolitus erat. Næ tu anguſtioris es animi, qui tui duntaxat corporis curam habes

habes. Quid tam parcus es in pauperes? *Divitiæ pauperem faciunt, si diliguntur; divitem & beatum, si pro Christo contemnuntur.* Guerr.

2. Orandi tam studiosus erat, ut orationem ad octonas horas quandoque produceret. Orabat aliquando, cùm quidam in eum catapultam explosit; intermisit quidem orationem, sed duntaxat ut prohiberet, ne sui sceleſtum hominem insequerentur. Quam absimilis est nostra precandi ratio? res nihili à Domino nos avocat an eodem animo hosti tuo peperciſſes?

3. Quantùm amabat alios, tantùm se oderat: jejunia, verbera, peregrinationes, quas pedes faciebat, cilicium, quod etiamnum moriens gestabat, liquidò probant, eum odisse animam suam, in hoc mundo. Quomodo agis cum corpore tuo? hic Princeps naturæ delicatioris, mole negotiorum oppressus, habebat vires, & tempus ad mortificationem, tu verò non habebis?

S. MALACHIAS.

5. Novemb.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

Christus Matth. cap. 5.

ADes turba literaria, &, si placet, euntem ad ludum puerulum Malachiam comitare. Vides ex via subsistentem, & passis brachiis

chiis identidem non Apollini sed Numini supplicem? O plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Malachiæ redirent. Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Episcopatum tulit. Verum uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti Malachiæ plures insidias posuerunt, ut ipsius infulâ suum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum Malachias ad asylon templum confugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit, lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam suspendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios ignesque & dæmon malus sunt ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut securum jam esset, cuculloabdidit morienti oculos clausit D. Bernardus, quem quia præconem laudum etiam suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidebit. *Ex S. Bern.*

MEDI-

MEDITATIO.

De ratione juvandarum animarum Purgatorii.

1. ADjuvare debes precibus, aliisque piis operibus animas purgatorii. Charitatis est id genus officium Christianis omnibus præstare, quia sunt fratres tui, justitiæ verò, parentibus & amicis, quippe, qui divitias eâ conditione tibi reliquerunt, eorum ut animabus opem ferres. Heu? parentes tui patiuntur in his flammis fortasse tuâ causâ, quia nimirum te plus æquo amârunt, nec te misereat parentum tuorum? *Miseremini, miseremini saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job.

2. Potes levare animarum dolores oblatis sacrificiis, sacrâ Communione, indulgentiis, jejuniis; nequeunt illæ quidem suis precibus minuere inflictos sibi dolores, aut vel ex eo dolorum oceano aliis possunt gratias impetrare. Adjuva eas; invoca eas tuis in necessitatibus, beneficii memores aderunt invocanti.

3. Si benignum te adversus aliorum animas præbueris, non deerit, qui post mortem tuam pro te preces fundat. Noli tamen idcircò omittere pœnitentiam, sed vaca, quibuscunque poteris, piis operibus, ut minuas dolores, qui te manent in purgatorio. Abstine, quantum poteris, ab omni levi peccato, graviori siquidem dolore ibi luitur. Heu! quot venialia peccata quotidie committis, in purgatorio punienda.

S. LEONARDVS Confess.

6 Novemb.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis non, quomodo mundus dat
Christus Matth. cap. 18.

LEonardus nobilissimo genere Gallus, in Aquitania natus, à S. Remigio, patrino Clodovæo Rege, sacris ablutus undis, aulæ honores oblatos solitudini posthabuit, quâ ut ampliſſimâ frueretur, Rex Lemovicensis sylvæ magnam illi partem donavit: eam templo à se Bmæ V. structo Leonardus, fonte precibus excitato, suaque habitatione nobilitavit, unde loco nomen Nobiliacum inditum. Neminem Sanctus hic nisi beneficiis devinxit, quos inter Galliæ Rex præcipuè fuit, qui ejus precibus, soluta difficili parturitione conjuge, hæredem masculum obtinuit, quod autem manu sua Leonardus vincula præfert, ostendit in manu sua fuisse catenis ærumnosos eripere, quod & privilegio Regis ei primitus in regno concessum est, & ut alibi idem prodigiosè posset divinitus ei & in vita & post mortem singulari tributum fuit prærogativâ: hinc tot vincula & ferrei compedes, quibus aurei

hujus

hujus Sancti templa onerantur & aræ solida collatæ libertatis anathema: sed & equorum soleæ ferreæ, templorum Divi valuis affixæ, firma sunt vestigia, quibus sospitatorem equorum deprehendas, à Dominis ob receptam jumentis ejus patrocinio sanitatem, hoc monimento passim in Germania cultum. Adeò sancti opiferi non dedignantur è cœlo vel jumentis mederi ut implorantium votis respondeant. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De miseriis hujus mundi.

1. RAra fides inter amicos, rara pietas inter propinquos: ubique terrarum regnat fallacia, ubique dissimulatio: suæ quemque trahit voluptas; omnes quærunt quæ sua sunt; omnes honori serviunt. Cui ergò fidendum? heu? mundo fidimus, qui toties fefellit, & diffidimus Deo, qui semper fidelis fuit!

2. Pax nulla est in hoc mundo, quippe, qui totus in maligno positus sit. Homines hominibus bellum inferunt, imò Deus ipse quotidianis hominum criminibus appetitur. Expedi nos, Domine, mundano tumultu, da nobis illam, quam mundus dare non potest pacem. Si mundum valere jusseris, cave, ne in Monasterio mundanis nugis iterum capiaris; sin autem vinculis sæculi fueris irretitus, sanctos imitare, qui in mediis procellis pacatiorem vitam ducunt; quoniam non mundi, sed Christi spiritu aguntur.

3. Fuca-

3. Fucata sunt mundi bona (quæ miscet poculi, dulcia videntur) sed revera amara sunt, iisque accenditur, non extinguitur sitis. Quo quis pluribus abundat mundi bonis, eo pluribus abundat miseriis. Quid ergo mundum amamus ubi nulla fides, sed multæ insidiæ, ubi plebs primoribus, invidet, & primores plebem opprimunt? *Repudiemus mundum parùm fidum, utrobique suspectum; subjacet contumeliæ minor, majori invidiæ.* Eucher.

S. ENGELBERTVS Episc.

7. Novemb.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Christus Matth. cap. 18.

CVnas vitam mortem, omnia in Engelberto præclara reperio, & digna insula Colonienſi, quam ille uti & libertatem Ecclesiæ etiam contra cognatum sanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Christi patrimonia sua putant & in suos effundunt!) toto pectore propugnavit, ipsique adeo vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit causa Friderico Isenburgensi Comiti & patruo Engelberti, cur sub annum millesimum, ducentesimum & vigesimum quintum, immissis sicariis ex itinere nepo-

nepotem obtruncaret, parricidio tot sceleribus quot vulneribus pleno, quæ quadraginta & septem erant. Nec verò minùs piè, quàm fortiter est mortuus Engelbertus. Nam, ut tarceam virginem solemni omnibus diebus Mercurii jejunio cultam, monitus per literas de insidiis animum quidem confessione purgavit & lacrimis expiavit, cæterùm ut ne hostem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cùm jam parturiret ultimum scelus, hospitio non semel cum suis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque Malus Genius ex ore alieno palam fassus est, moriens Christo Christi verbis pro hostibus suis supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patrandi. Sub idem fere tempus lunæ geminam alteram lunam Cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret Orbis, siderибus novum sidus Engelbertum additum.

Ex Surio.

MEDITATIO.

De Ira & vindictæ spiritu frænando.

1. O Dio habebis iracundiam, si diligenter observaveris ejus effectus. Vide, ut perturbat animæ tranquillitatem, quam de statu dimovet: ut nocet sanitati, ut vir iracundus sibi, aliisque gravis est. Quis enim consuetudinem amet illius, qui levi de causa igne-

scit

scit? Heu! peccatis meis infernum merui, & nihil pati volo, ut ea peccata deleantur? Martyrium passi sunt sancti, ego verò ne verbulum quidem? voluntatem tuam cum divina componeres nec tam facilè irasceris, si crederes, *quod bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.*

2. Vide, quod crimina nascuntur ex iracundia: hinc injuriæ, calumniæ, rixæ, bella: Ut iram extinguas, memento patientiæ, & mansuetudinis Christi. Audi mitissimum Iesum dicentem: *beati mites.* An fulgurat, an tonat Deus, quoties offenditur? Iratus nihil suscipias, nihil statuas, sed exspecta, dum remiserit ira.

3. Si quispiam te offendit, ubi deferbuerit iracundia, eum conveni, & inter te & ipsum solum expone, quid egerit; id si feceris, eâ, quâ par est benignitate & prudentiâ, profecto audiet, agnoscet peccatum, sine mora in gratiam redi cum eo, & tametsi in ipso culpa resideat, prior tamen aperi reconciliationem. Officio suo si deest, ut quid deesses tuo, consiliumq; Christi contemneres.

S. GODEFRIDUS Episcop.

8. Novembr.

Sit Eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Christus Matth c. 6.

Cœpit

COepit Godefridus in tempore (quinquennis utpote) ad sanctitatem inter Cœnobitas conniti, Musis juxtà & pietate succollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas, inde Pont. Ambianensis mirum est quam benignum se miseris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo solitus excipere, ablutis suâ manu eorum pedibus: nihil utique alienum à summa dignitate existimans, facere, quod prior Pont. Max. Christus fecisset. Et fortè bene magnum & qui culinæ unicus superabat, piscem inde ipse asportaverat, donum leprosis stipem rogantibus. Fieri cùm absens tunc succenseret postea Oeconomus, illud modo respondit Godefridus: Etiam atque etiam videret, illéne abundaret an pauper Christus esuriret rectiùs? Et verò ut hunc tegeret, non dubitavit suis laciniis summa hyeme se spoliare; & mendicabulum his ditare, ipse contra frigora hac unâ charitate satis armatus. Jam clementiæ in subditos illud sit argumentum, quòd ad tyrannum, quem ob scelera templo proscripserat, per maxima itinera excalceatus contendit, & ad facinorum detestationem reum supplex in genua Judex invitavit, quin tunc etiam contumacem nihilominùs captivum postea in libertatem asseruit. Quòd tamen

men Cives Ambianenſes monita ejus vel ne-gligerent, vel contemnerent etiam, ignem urbi exercitus imminere vidit, interitum hujus, ut D. Firminus Godefrido vaticinatus eſt, portendentes, qui non multo pòſt reapſe delapſis cælo flammis eſt inſecutus. Nos, ne cælo Deus ignes, oculis lacrimas rectè pluemus. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

De vanis hominum judiciis.

1. OMnia dicta & facta tua ad Dei gloriam referantur. Cave ne corrumpantur vanitate. Etenim ſi dictis aut factis tuis gloriam, & famam aucuperis, mercedem accepiſti O Deus? pro me veniſti in mundum, pro me laborâſti. Pro me paſſus, & in Cruce mortuus es; vivam utique, & moriar pro te.

2. Ne ſis ſollicitus de vanis hominum judiciis, nullus unquam omnibus probatus eſt; quot capita, tot ſenſus; qui poſſes igitur, etiam ſi velles, tam varios ſenſus in tuas partes trahere? noli deeſſe officio tuo ſcommatum & dicteriorum metu. Vix verbulum ferre potes, quomodo reſtitiſſes Tyrannorum blanditiis, minis & ſuppliciis? quæ omnia primi Chriſtiani, tam fortiter ac tam alacriter vicerunt.

3. Cave ne quempiam à divino obſequio dicteriis, & jocis avoces, qui alios ſeducit, probat, eſſe ſe filium Dæmonis, rapit gloriam Deo, & gratiam homini. Cave impiè jocantes, & retrahentes à piis operi-

bus

bus, ut asseclas diaboli: piè & sapienter age, & noli desipere in gratiam stultorum. An existimas, te posse effugere, quod non effugit augustissima Trinitas? loquantur illi, ac sentiant de te, quidquid voluerint. Quid ad te? in bonam partem accipe. O *sancta Trinitas? nec tu stultorum linguas prorsus effugisti.* Greg. Naz.

MEMORIA CRVCIFIXI BERYTHENSIS,

9. Novembr.

Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

S. Paul ad Hebr. c. 6.

NImirum facilè Christo cum Carpo hodie credemus, velle illum iteratò pro nobis mori, si modo vivere nos velimus. Berytus civitas est Tyro & Sidoni contermina. In hac sub annum DCCLXV. habitare inter spinas lilia, hoc est inter Hebræos Christianos vidisses. Et fortè Christianus ædibus suis Judæo cessit alioque migravit, oblitus secum ferre nobilissimam & ab omnibus retro majoribus acceptam hæreditatem Christi imaginem Cruci suffixam, opus ab artifice manu ipsius Nicodemi commendandum. Spectasses in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes, &

& non jam odii simulachrum sed ipsissimum veteris Impietatis bellum. Iterum Christus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum sputa volant, alapæ insonant flagra crepant, spinæ se armant, clavi malleique intonant. Iterum fel & felle suo acerbior lingua sævit. Denique (ô cœli patientiam!) iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberrasse existimes, iterum fons geminus sanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abstergere, claudos in pedes erigere, ipsis denique sceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper, Fidei nunc lumen aspicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò ante judæos numeraret.

Ex actis Nicenæ Sin. II,

MEDITATIO.

Peccatores iterum crucifigunt JEsum Christum.

1. JEsus in Calvario monte semel passus est pro peccatis meis. Ita est, Domine, mea ipsius peccata te in crucem egerunt. Quid Judam, quid Caipham, quid Pilatum, quid Judæos accuso? cum ego ipse sceleribus meis Dominum Jesum occiderim. Ah! Domine, peccavi, & peccatorum meorum pœnam luis? Videre te non possum in cruce morientem, quin irascar

car peccatis meis; quin te amem, quin lachrymis, & gemitibus dolorem meum palam faciam.

2. Non semel, quidem te in crucem egi sed sæpissimè, quoties nimirum lethale peccatum admisi. Animemi? parúmne est, Jesum semel tam gravia passum esse? Quid? vis eum rursus crucifigere ut servias amico, libidini, voluptati? O crudelis voluptas, quæ tot actantos dolores affert Christo Jesu?

3. Hoc ultimum crucis genus primo gravius est, & christo injuriosius, quòd ab iis qui rectè illum nôrunt, sæpiùs in omni terrarum orbe, & ipsi maximè repugnanti infligatur: olim semel oblatus est, quia ipse voluit, nunc frequenter invitus affigitur cruci. Audi peccator? quid in intimo corde exprobrat tibi Jesus: *Cur me graviori criminum tuorum cruci quàm in illa, in qua quondam pependeram, affixisti?* Aug.

S. THEOCTISTA Virgo.

10. Novembr.

Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Christus Matth. cap. 13.

REctiùs hoc die Lesbos Theoctistam, quam olim Sappho suam laudat. Apage deci-

decimam Musam, quæ Virgo non est. At quam scribimus Theoctista, inter Virgines sacras à primis annis educata Virginitatem etiam ipsa spirat, gratissimum odorem illi cui odoratum mundus non abstulit. Et potuere Theoctistæ libertatem eripere Arabes prædones, sed non pudorem proinde, ut qui nunquam expugnatur, nisi ubi à proditore animo habitatur. Itaque cùm vivere inter latrones animorum se videret, in silvas aufugit horridas & metuendas, sed fidas semper Virgini latebras. Hic ad templi rudera castissima Sacerdos preces cœlo facere, corpusculum herbis, animum cœli delitiis pascere. Tandem cùm annos vixisset V. supra XXX. & veste jam defluente foliis pudorem tegeret, Venatori visa est, pro monstro utique habenda; si vox & virtus non prodidissent. Texit tunc suis vestibus hic, & anno vertente Cibo Divino recreavit. Sed cùm à venatione denuò ad illam viseret, exanimem reperit, & de tam nobilibus exuviis manum sibi dexteram abstulit. Verùm cùm non nisi restitutâ hâc solvere è portu potuisset, narrassétque miraculum sociis, accurrerunt hi venerabundi, sed nihil quidquam præter virtutis vestigia invenerunt. Dubitarem à quibus ablatum corpus foret castissimum,

nisi

nisi tumulari Virginitatem ab Angelis Catharina doceret. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De bonorum & malorum permistione.

1. PLacuit Deo, bonis malos hoc in mundo permiscere, tum, ut mali bonorum exemplo ad bonam frugem redirent, tum ut boni haberent, in quo patientiam, & alienæ salutis studium exercerent. Noli imitari, nec aspernari malos, quibus fortè nobilior in cœlo locus, quàm tibi præparatur. Omninò nescis, utrùm graviora quàm ipsi crimina sis patraturus. Heu! si te tibi permitteret Deus, nullum est peccatum tam grave, quod non admitteres.

2. In hac vita mala bonis, & bona malis permixta sunt: nemo est tam miser, quin solatio vel cœlesti, vel humano recreetur, nemo item est adeò felix, quin dolore aliquo afficiatur. Perfectam hoc in mundo felicitatem frustrà speramus, ii tantùm sunt felices, qui acquiescunt in divina voluntate. *Pauperes sunt, pauperie delectantur; lugent, lugere gestiunt, infirmi sunt, infirmitate lætantur.* Salv.

3. Supremo Judicii die separabuntur mali de medio justorum, hi à sinistris; illi à dextris collocabuntur: tunc justorum sanctitas, tunc malorum patebit improbitas. Virtutis simulator, quid tunc dicturus, & facturus es: Boni ad cœlos ascendent, mali ad infernum detru-

detrudentur: *& ubi ceciderit arbor, ibi erit* in æternum. Hæc meditare, & cum tempus est, consule animæ tuæ.

S. MARTINUS Episcopus.

11. Novembr.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Christus Matth cap 26.

EXistimaverat Martinus Neophytus etiamnum, mediâ chlamyde suâ medium pauperem utcunque se texisse; sed insequenti nocte totum eâ se vestisse Christum vidit: Pont. Turonensis Divorum aspectu atque adeò familiaritate, Cœli præsertim Reginæ, inter Theclæ & Agnetis comitatum, jucundissimè perfruebatur. Bonorum Angelorum manu palam adjutus, malorum fana & simulacra subruit: Quanti Sacerdotii majestatem faceret, tunc ostendit, cùm eam imperatoriæ antehabuit, primúmque in epulo poculum præbibens non Imp. Maximo, sed Sacerdoti suo porrexit. Quin ipsam imperatricem famulam ad mensam habuit, & tum hæc se basilicè vixisse putavit, cùm micis, quas reliquas fecit

Marti-

Martinus, vesci potuit. Orci præstigiatorem, qui Christum ementitus, cætera habitu regio illi se obtulit, ita delusum demisit, ut diceret, alium nullum Christum se nosse, præter Crucifixum. Venienti ad se cùm Imp. Valentinianus assurgere negligeret, facere hoc assurgens è sede flamma coëgit. Extremùm æger in fugam iterum dæmonem malum egit, uti lubens moriturus, ita ad majores labores, si Numini placeret, porrò victurus. Sed placuit huic Martinum inter beatarum mentium plausus cantúsque ad se evocare; Conditionis tamen suæ memor non nisi cineri incubans mori voluit. At ex hoc cinere suus cœlo Phœnix prodiit. *Ex Sulp.*

MEDITATIO.

De vita S. Martini.

1. TAntâ reverentiâ Deum colebat, ut nunquam voluerit in templo sedere: causam scisitantibus respondebat, contremiscendũ esse coram suo Judice. Quo honore, quo corporis habitu colis Jesum in Eucharistia? ibi divinitas corporaliter habitat, ut audiat preces tuas, tuáque faciat postulata; non autem ut videat impietatem, & immodestiam tuam.

2. S. Martinus oratione, jejunio, cilicio, & aliis id genus austeritatibus cœpti cujuslibet felicem exitum impetrabat; iis austeritatibus utaris oportet, si talem velis rerum tuarum finem. Deus jejuniis, eleemosy-

nis, & aliis piis operibus exoratur. Experire, confuge ad Deum in omnibus negotiis tuis, eaque ipsi commenda. Si nimiùm fidas prudentiæ ac viribus tuis, res tuæ non prosperè cadent. *Ne innitaris prudentiæ tuæ?*

3. Imminente morte, S Martinus eo propemodum Spiritus fervore Deum orabat, quo orâsset, si fuisset validis ac integris viribus; tunc indutus cilicio, humi in cineribus jacebat: Par est, inquiens, ut armatus moriatur miles. Nihilo tamen minùs ad eum tentator accessit: unde intellige, ad ultimum usque spiritum præliandum esse. Pœnitentiâ & oratione vincitur Dæmon, si tamen in utraque ad ultimum usque spiritum perseveretur. Petr. Blef.

S. MARTINUS Papa & M.

12. Novembr.

In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrigit pater.

Paul. ad Hebr. cap. 12.

MArtinus Tuderti in Umbria, nova lux ortus, vix Romæ in S. Petri cathedra collocatus est, cùm, quod pastoris officium est, errantem Arriana hæresi ovem, Paulum Bizantii Patriarcham, reducere conatus est & sanare; at ille, non jam ovis, sed, sub||ovi-

na

na adhuc pelle, lupus, missos à Pontifice legatos, violato gentium jure, ad desertas insulas, ululante secum Constante Cæsare etiam Arriano relegavit. Nec nisi ad acuendas iras profuit, habito Romæ consilio, Paulum condemnâsse: id enim injuriam suam interpretatus, fautor damnati, Cæsar, Olympium exarchum misit, qui Martino aut mortem aut vincula inferret. Et cecidisset ad sacram aram cruenta victima Pontifex, nisi stricto ferro jam imminens percussor vindice Deo excœcatus corruisset: quod Olympium quidem movit ut deprecaretur destinatum facinus. Constantis tamen furorem non sedavit, qui sanctum fraude circumventum & Constantinopolim abstractum in Chersonesum ejecit, ubi inter ærumnas, ob Religionis defensionem exul consumptus, lauream Martyrii obtinuit, hæresi triumphatâ. *Ex Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De pœnis peccati.

1. DEus ita odit peccatum, ut graviter illud puniat in ista, & futura vita; in ista quidem peccator gratiâ spoliatur, ab eo recedit Spiritus sanctus, ex filio Dei fit filius Diaboli; amittit jus adeundi hæreditatem Patris cœlestis, & ipsi planè inutile est, quidquid boni fecerat ante peccatum. Quid multa? peccator

est inimicus Dei. Heu! quàm metuendum est lethale peccatum, cum tot bonis hominem privet, tótque objiciat malis.

2. In futura autem vita mortale quodcunque peccatum æternis ignibus punietur: ita est, quisquis lethalis noxæ conscius obierit, nunquam Paradisum, nunquam Deum visurus est, imo verò in omnibus corporis partibus, in omnibus animæ facultatibus igne durissimo cruciabitur, nec ad tempus quidem, sed in æternum. Jam dæmones sustinent, jam damnati hujus ignis acerbitatem patiuntur, & patientur per æternitatem; nec injuriâ nam æquum est, ut æternùm crucientur, *qui voluissent sine fine vivere, ut possent sine fine peccare.* Greg.

3. Nihil dæmoni jucundius, nihil Jesu, nihil Mariæ, nihil sanctis omnibus molestiùs nihil tibi calamitosius feceris, quam si commiseris peccatum. Me miserum? quid ego, qui me tantùm amo, volens ac lubens ruo in barathrum? Heu! ut placeam dæmoni, qui toties me malè habuit.

S. STANISLAUS KOSTKA.

13. Novemb.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filii ejus, Jesu Christi Domini nostri. Paul. 1. ad Cor. 1.

Sta-

STanislaus ex illustri apud Polonos Koskarum familiâ cùm Viennæ Rhetoricæ operam daret, Mariam ferè laudandam sibi sumpsit, latum videlicet Oratori campum. A fratre majore etiam verbera passus non tamen ideò minus aut virtutem coluit, aut sacrum epulum frequentavit, ad quod semper pridiano jejunio famem acuebat. Inde hoc ipsum ægro, cùm ter irruentem in se Stygis Cerberum Crucis signo fugâsset, D. Barbara inter Angelos ministravit; mox ipsa Mater languentem recreavit, collocato puero Jesu in decumbentis lectulo; abiens deinde monuit, Societati Jesu nomen daret. Cui rei cùm obicem posituri essent frater ac parentes, fugâ elapsus Dilingæ in Convictorum ædibus tam nobilis hospes Mediastinum egit: Romæ in Societatem receptus iis divini Amoris facibus arsit, ut recreare frigidâ pectus æstuans fuerit necesse. Itaque cœlo jam maturus cùm prælegi sibi Patronorum nomina (Menstruorum præcipuè) jussisset, nunc in Jesu effigie vulnera, nunc in Mariæ ubera deosculans, & utriusque nomina inclamans expiravit, pridie Virginis assumptæ; quam num amaret rogatus, quid ni, inquiebat, Mariam amem Matrem meam? ita enim eam appellitabat novos semper de il-

lâ titulos & magnifica verba excogitans. Utiq; igitur Maria Mater Stanislai, sed & filius Stanislaus Mariæ fuit. Utinam plures fratres numeraret. *Ex Franc. Sacchino.*

MEDITATIO.

De vita S. Stanislai.

1. Hic sanctus Adolescens pietate erga Mariam, assiduo pœnitentiæ, & Eucharistiæ usu, carnis maceratione illibatam conservavit puritatem. Ni pietati, ni mortificationi deditus fueris, brevi puritati tuæ jacturam facies. Hæc duo requiruntur ad sanctitatem, pietas & mortificatio: primâ conjungimur Deo, alterâ sejungimur à rebus creatis.

2. Cum esset in tyrocinio Societatis Jesu, eo propemodum ardore pœnitentiam complectebatur, quo eam complexus esset, qui alias fuisset omnium sceleratissimus. Si per gratiam Iesu Christi solutus es vinculis hujus sæculi alia solve vincula, quibus tibi ipsi alligaris. Vince te ipsum, qui mundum vicisti. Vincenti sedabitur palma immortalis. *Non enim tum vincit, cum exuitur athletha, qui ideò nudatur, ut incipiat dimicare: cùm legitimè certaverit, coronandus.* Paulin.

3. Stanislaus ardore divino consumptus est, sine dolore, sine timore, sine tristitia: non ægrè parentes, divitias, voluptates relinquebat: quippe jam dudum ea reliquerat omnia. Imò cum incredibili suavitate præguſtabat paratam mercedem iis, qui relictis omnibus secuti sunt Dominum Jesum. Religionis via, quâ transiit angusta est, non diffiteor, at ducit ad cœlum;

lata

lata & facilis est mundi via, at ducit sæpè sæpius ad infernum.

S. LAURENTIVS Episc.

14. Novemb.

Charitas non æmulatur, non agit perperam. S. Paul. 1. ad Cor. cap 13.

PArentem Laurentii nostri fuisse ajunt Mauritium inter Hyberniæ proceres latissimè imperantem. Obid cùm oculi Regi Dermicio dolerent, Mauritius fidei suæ obsidem in filio, quem natu minimum & charissimum habuit, animum dedit. Et poterat suavissima pueruli indoles barbarum licet cujusvis pectus expugnare. Unus Dermicius Rex gratulatus sibi est, quod ægrè denique patri in filio posset facere. Quare innocentissimam animulam vinciri jubet & in Insulam desertam asportari squalore & sordibus reo utique quam obsidi similiorem. Subjecit ea res justas iræ faces Mauritio, ut è satellitio regio duodenos etiam ipse vinctos abduceret morituro filio, nisi in tempore hic redderetur, omnes uni parentaturos. Mitius proin habitus, & in sacrorum hominum sinu eductus. Abbas Glindalacensibus, tum Dublinensibus Archiep. datus,

datus, denique à Pont. ad omnem Hyberniam legatus est. Ergo omnium primo mores Canonicorum in pejus prolapsos ad Majorum Regulam correxit, sui etiam severissimus Censor. Nam corpus cilicio vestivit, & tet quotidie flagellari à familiari servulo voluit, carneque sibi, quo ad vixit, interdixit. Interim ex egentibus nunquam pauciores, Triginta quotidie convivas habuit, satis ipse jucundissimo hoc oculorum epulo pastus. Ultimò dum pacẽ paciscì inter Henricum Anglorum & Deriogum Hybernorum reges laborat, ab hoc Hybernià proscribitur, & in Nortmannia moritur, reperit in exilio patriam.

Ex Lipeloo.

MEDITATIO.

De Invidia.

1. CHristiano nihil vitandũ magis quam invidia utpote quæ extinguat charitatem, humilitatem pellat, & animi perturbet tranquillitatem. Invidus inimicus est Dei, proximi, & sui ipsius: infelix est alienâ felicitate & sibi, & aliis nocet magis. *Quicunque es invidus, nullius magis, quàm tuæ salutis es inimicus.*

2. Corporis, animi, fortunæ, & gratiæ bonis vulgò invidetur. Ast quæ dementia est, iis invidere, quæ frater noster, vel accepit à Domino, vel assiduo labore sibi comparavit? terrena quidem ipsius bona indigna sunt, quibus cupiditatis oculos Christianus adjiciat

ciat, cœlestia verò humilibus, non invidijs concedun-
tur.

3. Ut livor penitus exsiccetur, à fonte repetendus est, emanat autem ex superbia, & refrigescente charitate. Adhæc considera, quot ex invidia molestiæ? quot crimina? corpus exedit, mentem inquinat, famam maculis aspergit. Infelix, bonos imitare, & bonis non invidebis, vel si non potes eos imitari, gaude saltem, & lætare, quòd studeant sanctitati, & rectâ viâ currant ad cœlum; hâc lætitiâ in partem venies eorum virtutis. *Bonos imitare, si potes, si non potes, collaetare.* Cyprianus.

S. MACLOVIUS Episc.

15. Novemb.

Securis ad radicem arborum posita est, omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Matth. c. 5.

Miraculum an Maclovium dicam, cujus tota vita prodigium fuit Festa Anastasi Christi dies ei natalis fuit, & eadem aliis in vicinia pueris XXXIII. qui, ne miraculum abesset, omnes & singuli, cùm adolevissent, unius cum Maclovio cœnobii religiosi effecti sunt. Puer adhuc ad littus cùm dormiret, ne maris subita

subita eluvione mergeretur terra, quâ jacebat, excrescens in insulam, sicca inter aquas se extulit. Aliam vivamq; insulam pro ara & sacrificio in Paschate usurpavit missam in ea celebrans, de quâ cùm navem repetiissent, non terram sed ingentis balenæ tergum fuisse, mergente se bellua, attoniti omnes adverterunt navigantes. A parentibus, qui ad asceterium redire gestientem, inhibitis nautis retinere volebant, ipse Servator noster, in pueri forma, adducta navi ad cœnobitas abduxit. Taceo eum illic prunas in sinu candentes innoxiè gestasse, excitasse mortuum, à morsu serpentis sanasse, cum Alethæ in Britannia Episcopus esset, quod solum in sanctis mirum non est, multa est passus, sed vindice cœlo flagellati persecutores, & ipsa ingratis terra emarcuit, fruges non datura amplius, nisi, monitu Angeli, post reditum suum, iniq́ue ejectus, agris bene precatus fuisset. Ita Maclovius inter adversa centum & triginta annis pervixit; tu delicatè quamdiu vives? *Ex Sigeberto.*

MEDITATIO.

De Otio.

1. OTium fuge tanquam originem malorum omnium, & semper vaca operibus, tuæ vocationi congruis. Si quando, expleto penso, aliquid ti-

bi supereſt temporis, vel ora, vel lege pios quoſdam libros. Pretioſiſſimum eſt vitæ brevioris tempus. Quid non agerent damnati, ſi vel minimam particulam haberent temporis, quod teris, & quo immortalem tibi coronam facilè poſſes comparare? age, bonum operare, dum tempus habes, *& tempus non erit amplius*. Apoc.

2. In quo conſumis ætatem tuam? nunquid ſæpiſſimè otioſus es? Cave, Deus repetet rationem temporis, labore vacui; nunquid aliquando das operam rebus, quæ alienæ ſunt à vitæ genere, quod profiteris? imò, nunquid ſæpiſſimè neglectis ſalutis occaſionibus, in peccatis diem ponis? quæ eſt partitio temporis tui? quid tribuis Deo? quid voluptatibus? quid mundo:

3. Certam habeas temporis diſtributionem, An æquum eſt, ſemper corpori, animæ nunquam, ſemper mundo, nunquam Deo laborare? Piè & jucundè vivet, qui Deo ſemper, & coram Deo laboraverit, imò ejus labor erit jugis oratio. Incumbe ſemper in aliquod opus, ne tempus habeas tentationes Diaboli audiendi. *Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum.* Hier.

S. ALBERTVS MAGNVS.

16. Novemb.

Regnum DEI intra vos eſt.

Chriſtus Luc. 17.

Al-

ALbertum, quem nobis Lawinga Suevorum dedit, Magnum fecit Virgo Magna, in cujus clientelam parvulus se dedit. Atque hæc adspectabilis Alberto, monuit ad D. Dominici castra transiret. Ivit Albertus; Verùm quòd indolem ad studia tardiorem attulisset, penè stationem suam Tiro deseruit. Jam fugam paranti & scalas admoventi Cæli scala Virgo iterum se objecit, utque animos Alberto faceret, jussit inter omnes & sacras & humanas scientias ejus optionem facere, quæ maximè animo arrideret. Ille continuò Philosophiam expetiit. Ne tamen sibi hanc adscriberet, repetituram se dona sua olim Virgo edixit. Itaque Albertus ille nuper omnium risus per omnium ora nunc volare, Doctorque primum Hildeshemii, tum Ratisponæ, Luteriæ deinde Parisiorum, Coloniæ Agrippinæ, famâ nominis Orbem implere. Sed omnia dixero, si D. Thomam unicum sanctioris Doctrinæ Magistrum, fuisse discipulum Alberti dixero, qui insulam Ratisponensem cùm primum potuit cum libris suis mutavit. Sed ecce tibi dum in ultima senecta orbis hoc oraculum responsa fundit subito deficiente rerum omnium memoriâ, obticuit, vivumque è schola funus discipu-

lorum

lorum corona domum cum lacrimis deduxit, quas ille etiam toties fudit, quoties aures Mariæ nomen pulsaret. Porro quotidie abhinc tumulum suum contemplari solitus, inscendit denique hunc Anno M. CCXC. Vivit tamen hodie etiam in libris suis, & eruditionis suæ fontes ubera Virginis laudat. *Ex Bav. S. Radeti*

MEDITATIO.

De cultu interioris hominis.

1. ATtigit perfectionis verticem, quisquis novit, animam suam rectè colere, & instituere. In anima, non in corpore virtus posita est; nemo potest vim afferre libertati animæ nostræ. Quomodo uteris tuâ libertate? quomodo tibi ipsi moderaris? Perperam officia, & occasiones causaris, quippe, cùm in quolibet vitæ genere, imò inter impios, benè ac piè vivere possis.

2. Quantâ diligentiâ colis animam tuam? quantum quotidiè temporis tribuis culturæ tanti momenti? Interroga conscientiam tuam, & fortè arcano murmure respondebit: Queror, quod duriùs mecum agas, quàm cum corpore? huic enim omnia mihi nihil concedis. Quotidie tantisper meditare, quid possis, & quid debeas agere pro salute animæ tuæ.

3. Anima est negotiorum summa, & illud unum necessarium, à quo felix aut infelix æternitas dependet: facilius nihil est eâ salute, utpote, quæ sit in manu nostra. Non potest quilibet dives, doctus, ingeniosus,

& sanus esse, sed potest quilibet esse sanctus. Fac, quod in te est, & Deus tibi gratiam non denegabit. *Disrumpamus inanium curarum vincula, quorum succedentibus sibi nexibus implicamur.* Eucher.

S. GREGORIUS Episcopus.

17. Novembr.

Hora est, jam de somno surgere.

S. Paul. ad Rom. Cap. 13.

ILle est Gregorius, cui nomen infula Turonensis fecit. Parentes illi è prima nobilitate, nutrices à teneris annis Musæ fuerunt, quibus vicem ille tam postea rependit, ut nesciam plusne ille Musis, an Musæ illi debeant. Puer vitam, quam à patre acceperat, bis eidem reddidit, nec sine miraculo, cùm medicinam morituro nunc nomen Jesu ligno inscriptum, nunc alter Tobias piscis exta adhibuit. Ipse quoties ægrotavit (& ægrotavit sæpiuscule) è cœlo medicos vel D. Eligium vel Martinum habuit, cujus vitam rectè in templorum parietibus sed multò rectiùs in animo suo depinxit. Sub noctem virgini sacram, Ædem hujus frequentari ab Angelis cum multo lumine vidit & portâ sponte suâ reseratâ ipse etiam admissus est. Tam charus cœlo castigatus

tus scilicet ab hoc non semel est. Etenim somnum dormientis in Natalitia Christi nocte Angelus alapâ discussit. Tam non possunt ferre Superi Episcopum dormientem! jam simul ac lapsus est in nescio quam gloriolæ vanæ cogitationem, equus etiam ipse lapsus sub Gregorio reprehendit Gregorium. Itaque imposterum miracula, quæ plurima patrabat, non sibi sed Divorum lipsanis, quæ ferebat, adscripsit. Congressus Romæ cum Greg. Pont. cùm hic viri staturam (multùm animo minor erat) tacitè miraretur, non nescius arcanarum cogitationum noster *Dominus* dixit, *fecit nos, non ipsi nos.* Itaque maximi deinceps Gregorium ipse etiam Magnus Greg. fecit.

Ex Surio.

MEDITATIO.

Vita hominis somno comparatâ.

1. SOmnus noster qui plerumque jugis est decepTio, ut mortis; sic vitæ imago jure dici posset: in somno timemus, ubi non est timor, fingimus nobis spectra, latrones, naufragia; in vita pariter timemus paupertatem, dedecus, morbum, dolorem. Expergiscere, surge, qui dormis, atque gratiæ & fidei luce videbis, nihil timendum esse præter peccatum, & omnia bona, quæ prætereunt, vana prorsus & nulla esse: *Considera, quia nihil est quod sine concluditur.* Greg.

2. Dormientes timenda non timemus etenim, quamvis ſicarius ſtricto gladio ad lectum accedat, tranquilli dormimus, quoniam eum non videmus; ita peccator nec Deum, nec mortem, nec judicium, nec infernum timet, quia ea omnia non conſiderat. Parùm, aut nihil de futuris calamitatibus ſollicitus, timet duntaxat malum præſens, quod nimirum & videt, & ſentit.

3. Plerique peccatores tantùm imminente morte expergiſcuntur. Eo temporis puncto vident illi quidem, quàm vanus fuerit eorum timor, quàm falſa & crudelis voluptas, ſed ſeriùs excitantur, ſeriùs aperiunt oculos, cùm tunc temporis vix poſſint laborare. *Iam hora eſt de ſomno ſurgere*; laboremus cùm poſſumus, neque nobis dicatur, quod de viris divitiarum: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis* David.

S. ODO Abbas.

18. Novembr.

Quomodo poteſtis bona loqui cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Chriſtus Matth. cap. 12.

OFficio ſuo fungi patres à patre Odonis diſcant. Unicum & vix natum filiolum è cunis

è cunis inter brachia in cœlum sustulit, Divóque Martino & sacris devovit. Dixisses assensum infantem, ita non tam lac maternum, quàm erga Martinum amorem suxit, qui scilicet cum puero deinde crevit, dum literis excultus inter Canonicos Turonenses est cooptatus. Sed cum tunc etiam vanis poëtarum (& Virgilii præcipuè) commentis plus quàm piis commentationibus vacaret, per somnum vas vidit cumprimis elegans, sed serpentibus plenũ. Monuit scilicet iterum cœlum, quod ipse Maro, anguẽ ut juventus caveat in herba latentem, dum fraga legit. Noster deinceps precibus ad D. Martini noctes invigilavit, quò sæpius euntem cùm ex itinere vulpes infestarent, mirum dictu suppetias contra has lupus tulit, idem deinde Odonis hospes ædiumque non ridiculus jam custos. Sub hæc dum Luteriæ Parisiorum amplius literis operam navat, ab ipso Greg. Pont. noctu calamum dono accipere visus est, quo Magni Doctoris Moralia, ut ajunt, sparsa omnibus libris in unum corpus colligeret. Jam Monachus laboravit tam diu, quoad Monachum etiam pater; Mater velum indueret inter Virgines. Abbas Gigniacensis mox Cluniacensis miranda & fecit & passus est, dum collapsam

monasteriorum disciplinam erexit. Ad extremùm æger Romæ imperavit ut redire in patriam liceret. Ibi denique vitam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum. *Ex Sur.*

MEDITATIO.

De Verbis.

1. NUnquam vel benè, aut secùs de te loquaris, nisi jubeat charitas, aut obedientia. Quemadmodum enim putida & fucata videtur humilitas vitia sua narrantis, sic intolerabilis est vanitas buccinantis sua præclarè gesta, & suas cum naturæ, tum gratiæ dotes deprædicantis. Displicet laus propria in ore viri, maximè Christiani. *Laudet te alienus, & non os tuum.* Prov. 27.

2. Ne dente maledico fratrem carpseris, neminem accusaveris, aut condemnaveris. Loquere in bonam partem de omnibus. In quolibet homine, in quolibet facto inest aliquid boni; quod bonum est laudato, cætera sileto. Domine, accende me spiritu fraternæ charitatis? nunquam Domine, nunquam dicam de proximo meo, quod de me dici nollem.

3. Cave tamen, ne dum obtrectationem declinas, in adulationem prolabaris. Si per authoritatem peccantem arguere minùs possis tace, nec assentatoriis & officiosis verbis ejus peccato blandiaris. Ama veritatem, à qua nec transversum digitum discedas. Ut in verbis toties non offendas, loquere parùm, & meditatè. Deum ora, ut ponat custodiam ori tuo. *Homi-*

nis

nis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Prov. 16.

S. ELISABETHA Vidua.

19. Novembr.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum: Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Christus Matth. cap. 7.

AGe superbe, qui deficiente animo Elisabetham ad Servatoris Christi effigiem vides, audi etiam quæ dolor intus loquitur. *Nimirum me terræ pulviſculum purpura involuit, tu mi Christe, heu? nudum meam erubeſcis vicem. Mihi corona auro & gemmis tibi ſpinis & ſentibus riget. Ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumſpicis nec, eheu? invenis. Me aulæ ſervitia vallant, te ſoli hoſtes ſtipant. I, purpura, rectius ſanguis me Sponſi pinget, Ite gemmæ, nobiliores ſub cruce lego. Abi gravis auro corona, roſas è ſpinis nectam Tollite pulvillulos, Crux. Sponſæ erit lectulus. Secedito amicorum cohors, dolores me rectius ambient.* Hæc inquam tantum apud Elisabetham potuêre ut jam se ipsa superbior omnem pedibus Mundum subderet, Istámque miserorum se servitiis addiceret

ret. Ergo extructo quam ampliſſimo Xenodochio ingentis familiæ mater non gentis quotidie victum ipſa miniſtrare, aquam capiti pedibúsque affundere, ſordes abſtergere, ipſa adeò fœdiſſima ulcera nobiliſſimis oſculis honorare, quid? quod conjuge è vivis erepto, arce pulſa omnes injurias ipsámque famem forti animo concoxit, damnatísque regiis fuſis pulchriora ſibi ipſa è cœlo nevit: interea apud Deum omnia potuit, & matrem exemit è piacularibus flammis. Juvenem verò nuper ab impuris ignibus ardentem ſanctioribus cæli amoribus tantùm non emori fecit: Morienti ut aliàs ſæpe Chriſtus adſtitit, & accinuêre cælites aviculam induti, &c.

MEDITATIO.

De vera felicitate piorum in hac vita.

1. SI qua felicitas eſt hoc in exilio, ea ex tribus potiſſimùm fontibus manat 1. ex bona conſcientia. Enim verò, qui ſibi benè conſcius eſt, lætatur vel in adverſis, qui male, vel in proſperis cruciatur. O! quàm ſuave eſt poſſe dicere: Domine, nihil omiſi, ut inirem gratiam à te. An hoc diceres probante conſcientiâ? Quid tibi conſcius es?

2. Alterum nactus eſt felicitatis fontem, qui divinæ providentiæ penitus ſe credit: cui idem eſt, & velle, &

& nolle cum Deo, quíque habet bona & mala in divinorum beneficiorum loco. Vix laborem sentit, qui libenter patitur. *Labor, jejunium, infirmitas, non sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus.* Salvian.

3. Tertius fons felicitatis est consideratio consiliorum Dei. In omnibus, quæ tibi accidunt, aliud est Dei, aliud Dæmonis consilium. Quid spectat Deus, cùm morbum infligit? Vult nimirum, ut mortis meditatione, & spe Paradisi, morbum patienter feras. Quid Dæmon? ut conqueraris, & iniquo animo patiaris. *Deus adeò est bonus, ut nullo modo permitteret malum, nisi adeò esset potens, ut ex malo faceret bonum.* Aug.

S. EDMUNDUS Rex.

20 Novembr.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Christus Luc. c. 16.

ALter Edmundus Rex est; altera Angliæ gloria. Hic Anno DCCCLXX. cùm Jugar Daniæ Rex, vastitate Angliæ ingenti illatâ, misisset, qui regias gazas veluti suæ jam Victoriæ præmia, nî totas mallet amittere, dividere secum juberet, fortiter respondit. *Nulla se latronibus stipendia numerare solitum liberum se & regem meminisse, neque aliter, cùm vires starint partiturum divitias suas, quàm ferro fuisse Nunc post lacerum regni cor-*

pus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebrium rectiùs regium hausturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam & vindictam repertrum. His in majores jam iras versus Jugar captum non regiis catenis oneravit; flagris deinde servilem in modum acceptum scopum esse militum sagittis jussit; demum caput auferri, aliter à cœlo jam coronandum. Porro hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est, & cùm caput sua voce se quærentibus prodidisset, etiam funus mœsto ululatu prosecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumque à tabo longè pòst repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse. Et dubitabimus porrò virtutem etiam post mortem vivere? *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Vita nostra Evangelio sit conformis.

1. CHristianæ prudentiæ est, vitam dirigere ad Evangelii normam, & omnia fidei lance ponderare. Politicus, medicus, orator diligenter observant artis suæ præcepta, solus Christianus artis suæ leges negligit. Se profitetur Evangelii Discipulum, & vitam vivit Evangelio contrariam. Heu! quàm imprudentes

dentes sunt Christiani hujus ætatis? *Christi Evangelia legunt, & impudici sunt, vitam improbam agunt, & legem probam habere se dicunt.* Salvian.

3. Unde fit ut ex divinis legibus non vivamus? ex eo, quòd rarò, imò nunquam divinas leges meditemur, nunquam volvamus animo novissima nostra. Enimverò qui peccare possemus nimio divitiarum & voluptatum amore, si mortem instantẽ, si sequens judicium, si infernum, si paradisum seriò cogitaremus?

3. Quotidiè deberemus aliquam Evangelii veritatem meditari & unam nominatim seligere, quâ tanquam Symbolo uteremur. Alia aliis placuêre Symbola. S. Francisco *Deus meus & omnia.* S. Theresiæ *aut pati, aut mori,* S Ignatio. *Ad majorem Dei gloriam.* Horum exemplo aliquam sacræ Scripturæ, aut Patrum Sententiam in mente & in ore frequenter habeas qualis est *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

PRÆSENTATIO B. M. VIRG.

21. Novemb.

Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire, & Mammonæ. Mat. c. 6.

HEus! ad spectaculum hodiernum omnes vos in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne dubitate oculos adferre, cùm ut hos pascant, effundere se cœlo & convolare Superos videam, videam arridere, acclamare audiam. Ecce Trimula Virguncula, Judææ delicium, patris & matris Amor, Spes familiæ unica, unica fessæ ætatis virga, hæc inquam talis ac tanta è parentum sinu & brachiis non ad Veneris alicujus gyneceum, non ad nuptias, quas cunis promittere amant patres, sed ad castissima vota, ad templi adyta deproperat, evolátque ad aram ipsa mox templum, ipsa Numinis ara futura. Assentiuntur interea Joachimus & Anna & filiæ sibique plaudunt. Quid hic nostra ætas? nimirum pereat flos Virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne familia. Lacrimentur Angeli, modo nepotes rideant: Sit vacuum incolis cœlum, modo domus non hæredibus. Si quid pulchrum in liberis, si quid ingenuum & liberale, aulæ hoc debetur genio, mundi servitio mancipatur & carnis amplexibus. Atsi quid monstri nascitur, illud demum, ajunt, in claustra religiosa (desertas insulas cogita) exportetur. Si quid bardum, blæsum, luscum, claudum, hoc cellâ occultetur, silentio monastico corrigatur,

cucul-

cucullo abſcondatur, togâ involvatur. Deus ſibi habeat, quod nemo hominum velit. Chriſtus domum ducat, quas thalamo omnes terræ filii excludunt, Erubeſcite Parentes, & ruborem veſtrum in ſpeculo, in vultu Ioachimi & Annæ hodie corrigite.

MEDITATIO.

De Præſentatione Mariæ.

1. MAria ſe devovet Deo, tertium agens ætatis annum, hoc eſt, ut primùm, poteſt. Parentes Mariæ Deo reddunt, quod precibus acceperant à Deo. Beatus ille eſt, qui ſe Deo conſecravit ab infantia ſua, quid moraris? quid differs tuam conſecrationem? Age, nunc tempus eſt, te tuaque omnia Chriſto devovendi. Si enim te totum Chriſto dederis, Chriſtus tibi ſe totum dabit. *Nec inutilis eſt commutatio, pro eo, qui eſt ſuper omnia, omnia reliquiſſe.* Bern.

2. Hodiè quidquid habet, quidquid poteſt, quidquid eſt, totam ſe demùm offert Maria. An eam imitaris? tu, qui Deo conceſsâ minori cordis tui particulâ, totum ferè cor tuum, mundum inter & teipſum partiris? nimis exiguum eſt cor hominis, ut poſſit ita dividi. Ah? Domine, ſerò te amavi, nunc tandem tibi conſecro, quidquid ſum, quidquid poſſum, corpus animam, omnia.

3. Maria non ad tempus, ſed in perpetuum ſe devovit, nec egreſſura eſt è templo, quo ad ipſa ſit templum animatum Jeſu Chriſti. Nonne Deo promiſiſti fore

fore ut illi soli & semper, servires? sed (quæ tua ignavia est) promissis non stetisti. O virgo! offeras me, precor charissimo filio tuo; non committam deinceps, ut alteri serviam. *In Christianis non laudantur initia, sed finis.* Hieron.

S. CÆCILIA V. & M.

22. Novemb.

Ecce! venio citò: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

Apoc. 3.

SI quæris, quod intercinentibus Organis Cæcilia carmen dederit, illud respondeo, quod illæ quæ agnum sequuntur, Virgines, sciunt modulari. Itaque quo die homini in manus danda erat, nuptialem vestem cilicio astrinxit, quo nobiliorem Virginitas non habet zonam. Noctu sponsum Valerianum monuit, caveret pudori suo manus inferre, cujus longè fortissimum Custodem è cœlo Angelum haberet. Hunc coram intueri cùm ille percuperet, suasit impuros à superstitione oculos sanctiori prius baptismatis undâ elueret. Eluit, & voti mox compos formosissimum multaque luce vestitum Ephebum vidit, qui serto nobili utrumque coro-

coronavit, & precantes miro odore perfudit. Et fecit hic odor post Christum currere etiam Tiburtium Valeriani Germanũ, ambóq; ita in stadio Christiano cucurrerunt, ut Bravium Martyres obtinerent. Cæcilia è balnearum, quas Tyrannus succenderat, flammis pulchrior, tribusque in collo vulneribus velut totidem monilibus ornatior cùm triduum supervixisset, ædésque suas in templum vertisset, martyrum vestigia velut paranymphorum insistens, cælum & ipsa petiit, & Agno denique nupsit minimè sterilis Virgo, ut quæ moriens uno partu Christo CCCC. peperit. *Ex Metaph.*

MEDITATIO.

De recto usu gratiarum Dei.

1. NUlli non sufficit gratia, ad destinatam ipsi sanctitatem; & ea quidem gratia crescit crescente cooperatione, ut in Valeriano videre est, qui à castitate ad Baptismum, à Baptismo ad Martyrium gradum fecit. Quot gratias rejicis? Quot spernis? *Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed justius ipsa sibi queritur, deesse nonullos.* Bern.

2. Quædam gratiæ sunt propriæ vocationis uniuscujusque. quæ iis duntaxat dantur, qui dignè ambulant in vocatione sua: his gratiis sic dulcescunt jejunia, labores, austeritates, ut pii homines vel in durioribus pœnitentiæ laboribus contenti ac hilares vivant, dum in

in divitiis ac voluptatibus gemunt ii, qui vel cœco animi impetu, vel spe fortunæ amplioris, se induerunt in laqueos sæculi.

3. Si concessis tibi luminibus perperam abutaris, Deus movebit candelabrum, & alteri dabit gratias efficaces, quas tibi daturus erat. S. Mathias in locum proditoris Judæ suffectus est, & accepit coronam, quam is spseudo-Apostolus malè tenuerat. Quanto dolore conficitur miser, dum hæc cogitatio animum ejus subit? Nunc in cœlis inter Apostolos sederem, si meæ respondissem vocationi. *O quàm admirabilis est Deus in trahendo? ò quàm terribilis in deserendo!* Aug.

S. CLEMENS Papa & Mart.

23. Novembr.

Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. Christus Matth. cap. 25.

PRodiit Clemens è D. Petri schola: virtutis primò Magistri, tum infulæ etiam hæres inter Pont. Max. tertius numeratur impietatis sub Trajano accusatus & in exilium ultra Euxinum Pontũ deportatus munere suo nec in ea quidem fortuna oblitus est fungi, docuitque bis mille Christianos, quos ad Latomias Tyrannus damnaverat, præter saxa è terra patien-

patientiam eruere, ad quam verbis & exemplo erexit & miraculis firmavit. Etenim cùm aquæ dulcis penuria laborarent, eàmque petere per VI. milliaria cogerentur, Clemens è proximo manare copiosam jussit, cùm ipse Servator familiarem sibi Agnum indutus dextro pede & omine fontis indicium feciſſet. Porro cum aqua longè latèque miraculum emanavit. Et jam ad trecenta milliaria fana Deorum evertebantur, undisque sanctis quingenti quotidie tingebantur; cùm denique Procos: Aufidius Pontificem Anchoræ illigatum in mare præcipitavit. Emicuit tamen ingens animus & ad portum cœli enatavit. Ad preces deinde Christianorum mare cessit ad tria milliaria, structumque in imo à Cœlitibus Martyri templum tumulúmque è marmore ostendit, iterato quotannis deinceps hoc miraculo, quod auxit puer quandoque à parentibus per errorem illic relictus annumque totum incolumis servatus. Frustra igitur Tyrannus mergere laudes Clementis mari voluit. Anchoram suam Martyr cœlo fixit. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De Labore & Pigritia.

I. DEus graviter in eos animadvertet, qui desides

fuerint, & creditum sibi talentum defoderint. Homo natus est ad laborem, laboris tempus est brevissimum, illud tamen (quæ tua desidia est) miserè perdis: Das locum Diabolo, qui sanè nullas immitteret tentationes, si semper te inveniret occupatum. Heu! quàm multum temporis das cupiditatibus, quàm parùm saluti? nunc, nunc tempus est diligenter laborandi.

2. Pluribus ex capitibus manat hæc desidia, sed potissimùm à desperatione successùs, ab amore voluptatum, à difficultatum, & judiciorum hominum metu. Vide, unde tam diligenter opus muudi, & tam negligenter opus Dei facias. Ah! profectò non attendis ad tremendæ Majestatis Regem, cui servis, non attendis ad potentissimum Deum, qui afficiet præmiis diligentes & impigros, pigros verò & negligentes suppliciis. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Jerem.

3. Veniet tempus, cùm non poteris laborare. Quid piger! feciſſe velles, cùm aderit hoc tempus? seriò meditare ultimum vitæ tuæ punctum. Considera piorum hominum exempla, & dandam tibi in cœlo mercedem: te pœnitebit in terrenis tam studiosum ac tam inpigrum, in cœlestibus verò tam desidem ac pigrum fuisse. Greg.

S. TRUDO Confessor.

24. Novembr.

Beneficientiæ autem, & communi-

ca-

cationis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.

Paul. ad Hebr. cap. 13.

IN Hasbanensi agro spinas inter, hoc est, divitias patrias educatus floseulus Trudo suffocari tamen minimè potuit. Quin caput supra nubes puer tulit, eóque altiùs quò profundius in se descendit. Iraque servulis suis inservire Dominum Trudonem vidisses quam virtutem ut tegeret, vilissimos corpori vestiendo pannos injecit. Porrò omnia etiam quæ per ludum egit, egit serio. Quare cùm tumultuario opere & congestis temere saxis sacellum extruxisset, futuri operis sui hoc typũ & votum voluit esse, quod reapse postea in provecta ætate persolvit. Placuisse & operam & artificem puerum, cælum ostendit, cùm mulieri improbæ ædificium ludicrum disturbanti oculos eripuit, quos tamen, ubi primum facinus animo vidit & agnovit, reddidit Trudo Egenis tam favebat, ut suas cum illis vestes communes haberet, &, ut illos indueret, se his exueret. Talis Angelo bono adhortante patriam fugit, & cælesti disciplinâ amplius erudiendus concessit ad Tungrensem Episcopum Remaclum. Profectum cæ-

lestes in vita radii, à morte odor & prodigia alia complura prodiderunt; ex quibus illud memorabile imprimis est, quòd cognatum, qui contra vota cælo facta in thalamum Sponsam induxit, virgâ castigavit per somnum, claudúmque reddidit adulterum Amorem patri suo deinceps Vulcano in hoc similem. *Ex Surio*

MEDITATIO.
De Sancta Negotiatione.

1. SI negotiator es elige in Patronum Divum Trudonem, eumque diligenter imitare. Ac primùm memineris, salutem esse negotiorum summam. Non ad divitias, sed ad salutem natus es: huc referatur omnis tua negotiatio; cuique probata sit fides tua: neminem decipias: nunquam mentiaris: nunquam peieres, ut merces cariùs vendas. An is es, qui pecunias relinquendas æternæ anteponas saluti? Antiquior & prior tibi sit anima tua, quàm hæredes tui. Noli animæ tuæ jacturâ bonis eos cumulare.

2. Non fides solùm in vendendis; emendisque mercibus Christianum negotiatorem decet, sed & charitas studiumque pauperes sublevandi. Abundas pecuniis, da Eleemosynas crede aliquas pecunias pauperi. Habebis Deum debitorem, nam fœneratur Deo, qui miseretur pauperis. *Date* [ait Christus] *& dabitur.*

3. Ne te negotiis sic dedas, ut tempus non habeas vacandi saluti tuæ. **Manè Deum orato, Adesto sacrificio**

crificio Jesu Christi. Sub noctem ad calculum te vocato. Vide, an paratus esses ad reddendam rationem. Vide, utrùm, quæ possides, jure tua sint: sine mora dispone domui tuæ. Quid prodest pecunia, si pereat anima? *pereat mundi lucrum, ne fiat animæ detrimentum?* Augustin.

S. CATHARINA V. & M.

25. Novembr.

Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.

Christus Luc. cap. 21.

PAlladem Christianam damus, Catharinam inquam, fortissimam Virginem & sanctiorum Musarum dignissimam Præsidem, non Ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalàm arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in arenam descendere. Et fassi sunt tot viri à Virgine se victos, & in flammas abiecti, manus Deo, & palmam Catharinæ dederunt. Illuc Catharina etiam Imperatricem, quæ ad vinctam inviserat, carce-

rique præfectum Porphyrium cum ſuis præmiſit. Ipſa ultima cum Tyranno commiſſa primas tamen abſtulit. Nam carceris tenebras cur non ſuſpexiſſet, in quibus præſentem illi licuit Chriſtum aſpicere? jam verbera ac plagas facilè tulit, cùm idem, ut promiſerat, robur ſuppeditaret. Negatum verò undecim ipſos dies cibum potumq; etiam contempſit, cùm commeatus è cælo ſuppeteret. Quid? Ingenioſam in tormenta rotam, velut melior fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis ævi noſtri Poëta ait) credidiſſes, niſi cùm caput enſis abſtulit, Virginem lac, quod pro ſanguine fluxit, prodidiſſet. Meruit tanta virtus ab Angelis in Monte Sina tumulari, & è tumulo hodie etiam Catharina oleum terris divìdit; ut quod de ſua Pallade finxit antiquitas, de noſtra ſine mendacio poſſimus affirmare. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De vita S. Catharinæ.

1. AB infantia ſuam Chriſto vovit virginitatem, quam ut illibatam ſervaret, carnificis rotam, ſolio Imperatoris longè antepoſuit. O virtus ſuaviſſima? qua amici Jeſu, filii Mariæ & ſimiles Angelis ſumus, & in terra cœli felicitatem præguſtamus.

2. S. Catharina Virginum & Doctorum laurea donata

nata est, utpote, quæ fidem docuerit, philosophos vicerit, & reduxerit quam plurimos ad ovile Iesu Christi. Memineris, *quod Deus scientiarum Dominus est.* à quo Catharina hausit scientiam. Tu qui diurno, nocturnóque studio tum corporis tum animi vires deteris, ascende ad scientiarum fontem. Postula sapientiam à Domino, & dabit affluenter. Verùm si quàm Deus tibi scientiam dederit, eà uti debes ad tuam ipsius & aliorum salutem. An huc spectant vigiliæ tuæ?

3. Tertiam coronam adepta est, cum caput præbuit carnifici; poterat quidem feliciorem vitam ducere, quoniam pulchritudine, nobilitate, divitiis, ingenio præstabat, & ejus nuptias ambiebat imperator; ea tamen omnia flocci facit, ut moriatur pro Christo. Tu verò, si cupis Martyrum coronâ donari, macera corpus, resiste voluptati, & avaritiæ, despice mundum: *nam carnem afflixisse, libidinem superâsse, avaritiæ restitisse; de mundo triumphasse, pars magna Martyrii.* August.

S. CONRADUS Confessor

26. Novembr.

Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Christus Ioan. cap. 14.

COnradus Insulam Constantiensem accepit à D. Udalrico Augustanorum Præsule. Fuit cùm uterque cœnam frugalem sanctis

ctis de Deo sermocinationibus aspergerent; Et erat is dies Iovi dicatus; jamque protracto ultra mediam noctem colloquio is expiraverat, Venerique cesserat; cùm fores nuntius pulsat, admittitur, auditur, & pernæ frusto ab in advertente donatus dimittitur. Nimirum, ajebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium carnem edomare; simul carnem è sinu parabat producere, cùm ecce piscem ostentat, jamque pisce suo magis mutus se ipsum damnat. Inambulabant aliàs animi causâ, & cadētes ex alto Rheni aquas arbitrabantur; cùm geminas inibi animas volucrem indutas torqueri cognoverunt. Vix pro his ad aram fecerunt, & ad cœlos visæ sunt evolare: Cæterum Conradus priusquam obiret, Gebhardo nobili adolescenti sedem suam insidenti vates fuit, seriò id post se facturum, quod nunc per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat, delapsus araneus in calicem se infert. Quid faceret? eodem poculo & vita & mors propinabantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem efferre jussus à mensa, quem invocatus intulerat. *Ex Membran. Eccl. Cont.*

MEDI-

MEDITATIO.

De Imitatione Jesu Christi.

1. JEsus est *via*, in qua ambulare debet, qui vult ad cœlum pervenire, Jesus Dux noster est, ejus vestigiis insistere debemus. Et per dolores, tolerantias, & humiliationes ad gloriam contendere. Fallitur quisquis aliam viam vel alium Ducem quærit. Ah! Domine, sequar te, quocunque îeris, ad hortum Olivarum, ad Calvarium montem, ad Crucem.

2. Jesus est *Veritas* impius est, qui sacra ejus verba in dubium revocârit. Dixit autem in Evangelio, beatos esse pauperes, lugentes, persecutionem patientes. An Jesu credis? an potiùs mundo secus sentienti, & contrarium Evangelium promulganti! *Aut Christus*, inquit S. Bernardus *fallitur*, *aut mundus errat*. Non falleris, Domine mi, sed mundus. Heu! fallacias ejus jam pridem novi, eum tamen amo, & ipsi credo?

3. Jesus est *Vita*, venit in hunc mundum, ut homines vitam habeant, non terrenis bonis refertam, sed cœlestibus affluentem; hanc autem dat potissimùm vitam in augustissimæ Eucharistiæ Sacramento. Quâ præparatione accedis ad hunc vivum panem? Ah! si tam sedulò curas valetudinem, ut tuearis vitam, miseram illam quidem, & brevibus spatiis definitam, quid non agere debes, ut aliquando vitam habeas beatam ac sempiternam? *Si tantâ curâ agitur, ut aliquando plus vivatur quomodo agendum est, ut semper vivatur.* S. Aug.

SS. BARLAAM ET JOSAPHAT.

27. Novembr

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Christus Luc. cap. 16.

ETiam Indis pulchra jam olim fuit juventus. Princeps hujus memoratur Iosaphatus Regis Abenneris filius, voluptatibus ab ipsis cunabulis innutritus, & ne quid miseriæ humanæ esset, vel nosse posset, procul ab oculis aliorum, inter omnes illecebras educatus. In tam blando carcere agentem adiit Barlaamus Eremi incola gemmarum Mangonem præseferens. Certè nobilissimam illi gemmam Fidem vendidit. Mox cùm deambulatum produxisset cupidum, in homine primùm mendico, tum leproso, in decrepito denique sene ad eum diem nunquam visis, mundi vultum & ementitum colorem, velut in minimè mendaci speculo ostendit. Laborabat itaque necquicquam parens, vel ad Deos filium, vel ad voluptates iterum abducere.

Frustra

Fruſtra abſente Barlaamo neſcio quis impoſtor, qui vultum hujus quàm ſimillimè referebat, alia velle docere aggreſſus eſt, cùm ita Numine volente palam pro Chriſto loqui lingua ſubdola cogeretur. Fruſtra & Theodas Magus ab Orco auxilia evocavit, & regia puella blanditias admovit, cùm loſaphatus oſtenſis ab Angelo cælitum & inferorum ſedibus pluris Orci pœnas, quam minas, pluris cæli gaudia, quàm carnis fallacias faceret. Tandem in meliorem ſententiam cùm patrē etiam abduxiſſet, hoc mortuo, regnum alteri ceſſit, & quam inter homines minus poterat, inter feras Angelicam vitam, annos V. ſupra XXX. vixit. Accepit tamen tumulū cum magiſtro ſuo in regia urbe, cui tunc primùm mortuus videbatur, cùm ille jam olim fuiſſet.

Ex Ioan. Damnaſceno.

MEDITATIO.

De SS. Barlaam & Joſaphat.

S. Barlaam relinquit ſolitudinem, & mutato habitu in regiam irrepit, ut filium Regis edoceat Chriſtianam fidem. Quàm ingenioſus eſt ſacer amor? quid non molitur? quid non agit divinæ gloriæ, & humanæ, ſalutis causâ? Ah! ſi eo amore arderes, tu, qui tam ſtudioſè, & tam impigrè te geris in quærendis opibus, & honoribus hujus mundi; ſi ex animo amares Domi-

Dominum Iesum, quid non faceres ejus causâ? *Nihil amantibus durum est, nullus cupienti difficile labor est.* Hier.

2. S. Josaphat statim audit vocem Dei, qui ore S. Barlaam loquitur: patrios errores exuit, assiduo ciliciorum, jejunii, & orationis usu, fortiter resistit blanditiis, artibus, minis, & viribus Dæmonis. Versaris in periculo, ut is Adolescens, cades, nisi iisdem armis utaris: Jejuna, vigila, ora: tanti & longè pluris est, paradisus.

3. Ubi primùm Josaphat suæ ditionis populos Christi regno aggregavit, secessit in solitudinem unà cum charissimo Patre suo Barlaam, ut sanctiori vivendi modo ad mortem se compararet. Sat laborasti mundo, sat honoribus, sat voluptatibus, sat divitiis, sat scientiis. Nunc tandem labora animæ tuæ. *Vasa colligenda, in freto vivimus, moriamur in portu.*

S. STEPHANUS Junior M.

28. Novembr.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos? filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.
Christus Matth. 8.

STephano huic tempora cognomen Iunioris fecerunt. Natus est post votum Virginis imagini, quæ Blachernis colebatur, à matre factum. Monachus non tamen Reipublicæ

non

non profuit. Pugnavit è latebris suis fortissimè in communem Divorum hostem Copronymum; tum præcipuè cùm in templum Blachernense (cunas Stephani) debachatus barbarus furor est. Tunc, inquam, Stephanus pro Matre & Dei & suâ pugnaturus prodiit, & producto in conspectu tyranni nummo, qui imaginem ejus præ se ferebat, ostendit facile Augustissimas etiam Dei Divorumq; imagines honore debito colendas esse. Igitur insidiis appetitus & impuritatis à mulierecula mendaci accusatus è spelunca suâ ad tribunal, inde in exilium abducitur. Ibi quoque cùm imaginum cultum multis miraculis tueretur, vinctis à tergo manibus in publicos carceres reducitur, VI. panis uncias & tres schyphos in hebdomades singulas Matronâ Christiana subministrante. Quòd tamen cæli Saturnalia instare sibi certus esset, hæc etiam vitæ fomenta XL. ante mortem diebus respuit, & cùm Icones Divorum (tota illi hæreditas erant) Matronæ illi, de qua diximus, donâsset, obujus hostibus juit, & post multa ludibria raptatus per urbem calcibusque passim insultantium pulsatus tigno denique cæsus oppetijt. Parricidæ Carnifex dæmon fuit. Mulierculam lactentes gemini infantes in lecto laceraunt, ipsi

ipsi etiam sceleri immortui. Nec verò aliter decebat aut parere aut mori viperam. *Ex Surii tom. 7.*

MEDITATIO.

De ferendis molestiis & afflictionibus

FEr patienter & moderatè, quod vitare non potes, sustine vim frigoris, & caloris, temporumque vicissitudinem. Mala communia ferenda sunt non communiter nimirum in expiationem peccatorum tuorum. Hoc si feceris, minues pœnam, quæ te in purgatorio manet, & augebis paratam tibi in cœlo gloriam: Tu, qui tuis criminibus infernum meruisti, qui potes de nimio tum calore, tum frigore conqueri? *desinet conqueri, si, quod patitur, intelligat se merere.* S. Cyprian.

2. Hæc incommoda absque murmuratione pateris, cum spes affulget honoris, aut lucri. Nunquid mercator, nunquid miles tempestates, pericula, labores despiciunt, ut felicem suis in negotiis exitum habeant? quid multa? tot viri pii, multum patiuntur, ut placeant Deo. An sunt naturæ robustioris, quàm tu? Age, eorum exemplo labori assuesce. Nihil sine labore.

3. Tuâ causâ hæc & duriora pro te passus est Christus; considera eum algentem in præsepio, in Ægyptum fugientem, morientem in cruce; corpus ejus doloris ac laboris immune esse debebat, utpote conjunctum divinitati; continuum tamen adhibuit miraculum, ut pateretur. Tu verò lubens temporum ordinem, ac naturam mutares, ut nihil patereris. *Filius Dei*

Dei passus est, ut nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult.

S. RADBODUS Episcopus.

29. Novembr.

Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.

Paul. ad Rom. 8.

VItas Divorum Radbodus speculum suum dicere est solitus. In hoc dum oculos suos defixit, alterum nobis speculum vitam ecce suam dedit. Pietatem in Caroli & Ludovici Imperatorum aula edoctus est, ipsissimâ virtutis tunc scholâ. Hæc Clienti suo infulam Trajectensem peperit, dignissimo omnium calculis, præterquam suo. Submittere tamen eandem ad pauperum pedes, quos quotidie abluebat, non dubitavit, utque oculos & suos & aliorum falleret, ex auro quidem bibit, sed aquam; quam cùm libare vellet non nemo, in merum vertit Radbodus, itaque cavit ne pessimus pocillator gloriola venenum suum virtuti affunderet. Jam Danos, cùm dicenti ad concionem obstreperent, diris devovit, quas illico senserunt peste abrepti. Demum mortem sibi, alteri Infulam suam vaticinatus

tus, inter preces, quibus ferè vitam duxit absolvit vitam, in opem præcipuè D. Martinum vocans, qui morienti adfuisse non vanis argumentis creditur. Illud indubium, ad decumbentem Virginem Reginam SS. hinc Theclâ illinc Agnete stipatam venisse, eam ob causam, uti ipsa ajebat, quod in precibus suis Radbodus nunquam non memor Virginis fuisset. Et verò qui Matris oblivisci filius posset? certè oblivisci filiorum Mater hæc non potest. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

Christianus Christo conformari debet.

1. CHristus in domo S. Josephi amavit nesciri, & pro nihilo reputari. Obedientiâ, humilitate, solitudine, suæ prædicationi præluit: has potissimùm virtutes imitari debes. An solitudinem, an humilitatem, an obedientiam amas? tu qui semper imperare, & nunquam parere velles? Heu! longè abes ab imitatione Christi.

2. Jesus è latebris in lucem prodiit, ut incumberet in hominum salutem; verùm homines malum pro bono reddentes, probris & doloribus eum affecerunt. Si tibi cordi est, vestigiis Christi insistere, maturè compara animum tuum ad graviora ferenda ab iis ipsis, quorum conversioni vacabis: non est discipulus

supra

supra Dominum ; nec decet te conqueri , tacente Christo, qui in crucem actus est ab iis, quos ad sanitatem reducere conabatur.

3. Inspice demùm,& fac secuudùm exemplar, quod in Calvariæ monte tibi monstratum est. Ibi Christus ultimum quidem, sed utilissimum patientiæ dedit documentum. Ibi amor tuus crucifixus est. Ah Jesu! reliquum vitæ meæ tempus meditabor passionem tuam: quid doloris, quid dedecoris detrectabo, cum te videam doloribus & opprobriis saturatum? *Si flagellari detrectas cur recipi desideras, flagellat Deus omnem filium, quem recipit qui unico non pepercit,* Aug.

S. ANDREAS Apostol.

30. Novemb.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

Paul. ad Gal. c. 6.

ANdream, quo D. Petrus Germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholæ nomen dedisse; arcanorum Magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab ejus morte Scytiæ primo, mox Epiro & Thraciæ, tum Achajæ etiam intulisse; hic contra Procos: Ægeam Crucis acerrimum inimicum fortiter rem gessisse; ab hoc

hoc ad impia sacrificia invitatum id respondisse: nobilius sibi sacrificium, idque quotidianum esse & incruentum; Agnum illum omnis maculæ expertem, & qui, postquam ejus carne sanguineque omnes Christiani vixissent, non minùs tamen etiam ipse integer viveret: Sub hæc in vincula conjectum esse, eximendum facilè, nisi manus ipse Christianis, precibus suis, vinxisset; Protractum inde, ne supra Magistrum primus etiam discipulus esset, virgis cæsum, ad crucem raptatum esse; hanc procul conspectam amicissimè salutasse, ad hanc velut ad exoptatam vitæ metã properasse, hanc velut expetitũ senio suo scipionem amplexum esse, velut nobilissimum suggestum cupidissime conscendisse, ab ea duos dies totidemque noctes, ab ejus ore hominũ millia XX. pependisse; quorum accursu cùm territus Procos: detrahere eum de cruce cogitaret, Andream id, ne fieret, magnopere Deum esse precatum, ac proinde inter multum, qui precantem cinxerat, splendorem, è cruce ad cælum, Ægeam verò à malo dæmone, obtorto collo, ad pessimam crucem in Orcum abiisse: ex tumulo denique ejus oleum stillasse, & hoc uno dolorem suum Christianos leniisse. *Ex Bar.*

MEDI-

MEDITATIO.

In Crucem S. Andreæ.

S. Andreas diu desiderârat Crucem, & ad eam jam dudum suum animum præpararat. Ejus Exemplo para animum ad graviora quæque perferenda, tum roga Deum, ut infligat aut permittat, quidquid ipsi libuerit; si votis annuerit, crux erit suavior; sin minùs, generosa voluntas mercede non frustrabitur. In dolore, in afflictione, dic cum S. Andrea: *O bona crux? diù desiderata! accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me accipiat, qui per te me redemit.*

2. Hic sanctus ad aspectum Crucis lætatur, gaudet, exultat, quod eâdem morte moriturus sit, quâ mortuus est Dominus Jesus. Cùm vides imminentem Crucem, cum adsunt afflictiones, hæc cogitatio recreet animum tuum: hæc omnia, imò longè duriora passus est Christus, ut meo dolori aspergeret suavitatem. Nunquid parùm imitaris hunc sanctum Apostolum, cùm vel ad solam crucis & doloris cogitationem perhorrescas.

3. Considera, quòd Crux Andream, non Andreas Crucem portet. Si libenter portaveris Crucem, crux portabit te, & ejus beneficio mundi pericula vitabis: quòd si gestare nolueris: eam laborioſius trahes. Suam quisque crucem habet: sed eum non gravat, qui hilari ac lubenti animo eam portat Dei causâ. *Navis est Crux.* August.

DECEMBER.

S. ELIGIUS Episcopus.

1. Decemb.

Negotium vestrum agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Paul. ad Thess. cap. 4.

QUàm altùm Eligius virtute sua evolaturus in cælum esset, aquila monstravit parturienti matri per somnum visa. Puer aurifici instituendus traditus artem eam non multo tempore ita perdidicit, ut nemo alius hac tam gratus Regi Clotario esset; tunc præcipuè ubi fidem suam ita probavit ut ex auro, ex quo sellam unam tantum facere jussus erat, geminas concinnaret. Interea tertiam sedem cælo aggressus parare, animum suum, hic demum artificem se ostendit: quando lacrimis hunc perpolivit, asperis pœnitentiæ studiis scalpsit, omnibusq; virtutibus ita exornavit, ut ad spectaculum cælites traheret. Etenim ex his unum aliquem, cùm de more noctem ante hierothecam sacrarum reliquiarum insom-

nis

nis inter preces traduceret, ipse vidit ratasque preces suas apud Deum esse intellexit, mox caput rore tam copioso perfusus & tam suavi est, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Jam quidquid arte suâ corradebat, Eligius id omne non jam Eligii sed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec alio Regum benevolentiá utebatur à quibus, cùm jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dictus, cùm eo in munere Apostolus Flandriæ dici meruisset, cœnobia plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum huic mandavit. *Ex Lippel.*

MEDITATIO.

Vita in laboribus traducenda.

1 HOmo natus est ad laborem: Deus præcepit Adamo, ut terram coleret, & operaretur in Paradiso. In suâ quisque vitæ conditione laborare debet Assuesce labori exemplo Christi, qui (ut ait Propheta) in laboribus fuit à juventute sua. Si ut par est, laboraveris, gratus Deo, tibi, aliisque utilis eris. Qui laborat, unum duntaxat otii dæmonem timet; qui verò otiosus est, omnes timere debet, quoniam otium omnium vitiorum parens, dæmonum omnium tentationibus hominem exponit,

2. Exemplo S. Eligii, principio tum diei, tum actionis cujuslibet memineris, laborem tuum offerre Deo, tuamque oblationem identidem renovare. Si quidpiam difficile, ac molestum occurrat, vince difficultatem, ac molestiam, ut honores ac imiteris Christum: finito labore, vide, in quo peccaveris, & veniam pete. Hanc si laborandi rationem tenueris, sanctitati & æternitati laborabis.

3. Noli multa complecti, nimiùs & nullus labor perindè nocent sanctitati; animus siquidem temporalium curis implicitus, multisque oppressus laboribus, nec tempus habet Deo, vacandi, nec eo, quo deberet, sensu pietatis cœlestia contemplatur. Altiùs hæreat menti tuæ, salutem, *unum esse necessarium.* Quo studio quæris Dominum! *Quæris aurum & fortè cum volueris, non habebis; Deum, cùm volueris, habebis.* Aug

S. THEODVLVS Confess.

2. Decemb.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Paul. ad Galat. cap. 6.

ASCenderat in id fastigium honorum Theodulus, ut Aula illum Theodosiana Præfectum salutaret. Verum his etiam altiora Virtus ambiit. Etenim quòd aulæ technas & insidias probè perspectas haberet, ludos facere hanc vicissim voluit. Quare assem omnem

omnem (Philippeorum millia quinque supra quinquaginta) liberali sparsione in miseros abjecit, ipse columnam Edessæ ascendit, inde Aulæ fastus, minas, pericula, omnia despecturus. Ita mundo & sese altior respuit jam cum homunculis prandere cœpitque cum Cælitibus solâ Ambrosiâ, hoc est, Angelorum pane deinceps vesci. Post annos sic traductos XXX. cupido subiit scire eccuinam ex Dei amicis vitæ meritis æquiparandus foret. Responsum è cælo, Cornelio Mimo æquandum. Rubo. rem expressit hoc Theodulo. Adiit tamen virum, & hæc denique sibi fateri coëgit: mimicam artem à primis annis tractasse, nunc cùm in mentem ultima illa nec ficta Mundi scena venisset, serium se & frugi esse, nuperq; adeo, ut pudori nescio cujus Matronæ unaque decoctoris ejusdem viri, qui à creditoribus invinculis tenebatur, libertati consuleret, vestem & supellectilem vendidisse & corrogatum inde quadringentorum aureorum assem alienæ miseriæ donasse. Laudavit tam bene clausam à Mimo fabulam Theodulus, & lætus iterum conscendit columnam suam, paulò post ex hac in vicinum cælum transcendit.

Ex Meneii.

MEDITATIO.

De contemptu mundi.

1. *Noli diligere mundum*: cave, ne mortiferis ejus blanditiis capiaris. Auro fulgent, quæ præbet pocula atque mel spirant; verùm plena sunt veneno. Calix verò Christi videtur felle & aceto redundare, at plenus est melle suavissimo; mundus blandiendo necat, Deus affligendo salvat. Christiane? cœlo natus es, nec expleri potes mundanis delitiis. Quid differs vitæ tuæ mutationem? quid mundi nugis retineris? *Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo?* Hieron.

2. *Noli timere mundum* Ut amor, sic timor mundi avocat ab obsequio Dei. Stulteſcit mundus, & adversatur Deo. Si tantillo valeres animo, eum facilè superares; quippe, cum eos duntaxat vincat, qui ignavioris sunt naturæ. Te unum, Domine, timebo, non enim mundus, aut ejus assecłæ me judicaturi sunt, sed tu, Domine, tu, inquam, me judicaturus es, non ex mundi legibus, sed ex præceptis Evangelii.

3. *Contemne*, calce pedibus fallacem *mundum*: facilis est is contemptus consideranti, quoties amplis promissis amicos suos quotidie ludat, & clamet, deficere se, nec parem esse humanis desideriis. Audi vocantem Jesum, qui veritas est. *Mundus clamat, deficio: tu Domine, clamas reficio, & miseria mea magis sequitur deficientem, quàm reficientem.* Aug.

S. FRAN-

S. FRANCISGUS XAVERIVS.

3. Decembr.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucri facerem. Omnibus, omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Paul. 1. ad Cor. cap. 9.

FRanciscum Xaverium pinximus, virum, cujus animo alter etiam Orbis angustus fuit. Dum vixit, Virgo vixit: Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in viva calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundum Deus deinde tot delitiis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpe exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *satis est Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine delectus Siquidem multò ante in somnis tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est. Et quid aliud vigilans postea egit, cùm ejusmodi hominum decies centena

millia ad Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fuscos sacra undâ solus lavit, & cæli candidatos esse jussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissimè dissitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti: Omnibus omnia factus, in conviviis etiam atque ludis animorum lucrum quæsivit, invenitq; Ad extremum dum amplissimum Sinarum Regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu ad cælum animam appulit. *Ex vita.*

MEDITATIO.

In vitam S. Xaverii.

1. A *More Dei*, in Exercitiis spiritualibus S. Ignatii, sic inflammatum est ingens Xaverii pectus, ut omnes posthac curas, ac cogitationes suas ad majorem Dei gloriam retulerit. O utinam? quibus Xaverius, iisdem ego flammis arderem? Amor cœlestis accende, combure cor meum, patet ardoribus tuis. Procul hinc vani honores, procul cœnosæ voluptates, nugæ nugarum? diutius me retinuistis. *Ratione plenissimum est, illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus.* Euch.

2. *Amore Proximi* ad extremas mundi oras excurrit, Sorbens etiam saniem ægrotorum, forti & indefesso labo-

labore vacat omnium saluti. An pari charitate complector proximum? An ipsi præsto sum, tum animo, tum corpore laboranti?

3. *Amore Crucis* vinctus & Martyr Jesu christi in sinarum regno mori cupit. Omnibus omninò voluptatibus abstinet; nullum omittit pœnitentiæ genus, ut sua aliorumve luat peccata. *Amplius* laborum, *amplius* dolorum semper petit; & ego (quæ mea ignavia est) ubi me minimus doloris aculeus pungit, statim clamo, *satis est.* Domine quantum libet caro reluctetur, auge precor dolorem, si prius auxeris patientiam, & amorem. *Amplius Domine, amplius.*

S. BARBARA V. & M.

4. Decemb.

Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.

Christus Luc. cap. 21.

NUllius tam à vita nomen abluſit, quàm Barbaræ. Dioscorum habuit parentem Deorum Mancipium, ipsa Deo addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si unquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut Fidei radii splendidiùs animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit,

gnara

gnara qui mentibus lavandis ex hac fontes scaturiant. Interea cum stomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, & ferro insequitur. Sed sinum, quo parens expulerat, mons præbuit discluſus. Et lubens thesaurum hic occultasset, ni, qui Miraculum viderat, innocentem oviculam pastor nequam prodidisset. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua videt, sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam castissimæ abscindi, non facturus, si bibisset ubera. Hinc novus filiæ suæ Leno per urbem ludibrio circumduci sustinet unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno carnifex sua manu non barbaram filiam barbarissimus parens demetit. Sed Carnificis Carnifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus extinxit. Nunc Barbara illis è cælo opitulatur, qui, ne sine sacro epulo diem ultimũ obeant, orant. Testis ejus rei locuples. Stanislaus est sanctissimus è Societate Jesu adolescens; quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia. *Ex Baron.*

MEDITATIO.

In vitam S. Barbaræ.

1. S. Barbara Deo mavult obedire, quàm suo patri, quamvis monitis adderet, & tormenta. Tu verò

verò nunquid secùs agis? Nunquid aliquando dimittis divinum obsequium, ut parenti aliisque obsequaris? Adolescens cape exemplum de sancta Barbara. Discede à parentum tuorum voluntate, si mandatis divinis adversetur. *Melius est, contristare parentes, quàm contristare Deum.* Joann. Clim.

2. Sanctæ Barbaræ parens carnifex fuit natæ suæ: verúm irato Deo meritas pœnas dedit: occisa quippe natâ, occidit & parens, tactus cœlesti fulmine. Timeant parentes, timeant propinqui, timeant amici qui filios propinquos, & amicos avertunt ab obsequio Dei. Num etiam tu dicteriis, & pravo exemplo abstrahis socios tuos à piis operibus?

3. Sancta Barbara, morientium singularis patrona est: ut qui ipsius opem implorant subitaneâ & improvisâ morte liberentur à Domino, eam itaque imposterum invoca: sed ut hæc Beatissima Virgo tibi singulariter opituletur, imitare ejus virtutes: & ne incautum te mors opprimat. *Exspecta quotidie finem vitæ, & ad illud iter tepara.* S. Ephrem.

S. SABAS Abbas.

5. Decemb.

Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositũ meum servare in illũ diem. Paul. 2. ad Tim. c. 1.

SAbam si spectasses, Imperatorem dixisses; ut

ut qui Monachorum exercitum non unum ducebat, Viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cùm ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flammas scribitur Crucis signo extinxisse; feras & feris mage feros homines domuisse: Agarenum qui fallaci animo accesserat, terræ hiatui devovisse: templum, cœlo monstrante, in rupe alicubi reperisse: in Genium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam Leonem, qui medicam Sabæ manum expectus erat, ajunt Asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad Agaso Luxurie fœdè se contaminavit, tunc enim devorasse Asinum. Ipsum Sabam, cùm ad Anastasium Imp. hæreticum iret, anteambulonem habuisse Angelum, verbis impium liberis castigasse, mortemque ei imminentem multò antè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Imperatorem palam coronam cœlo vidisse descendere & caput Sabæ ambire, qui tamen exorari non potuit, ut heredem Imperatori apud Deum impetraret, quòd hunc hæreticorum partibus accessurum sciret; Denique in cœlum abiisse Anno D. XXXI. inter DD. Martyrum Comitatus. *Ex Metaphr.*

MEDI-

MEDITATIO.

De Spe.

1. Spera in Deo, sed spei tuæ accedat timor; spes enim sine timore desidiam parit, timor verò sine spe, desperationem. Bonus est Deus, vult omnes salvos fieri, quid dulciùs? Justus est Deus, est potens ad Tartarum detrudere, quid terribiliùs? Timeo justitiam, spero misericordiam. Miserere mei Domine, non secundum magnam justitiam, sed secundum magnam misericordiam tuam.

2. Domine à bonitate tua infinita cum præsentia, tum futura bona spero, non autem ab hominibus, aut ab ingenio, labore & amicis meis. Tu, Domine tu solus es spes mea. Non à te honores, divitias, & voluptates postulo: facessant, id genus bona, amorem tui solùm mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Heu? ubi fides, ubi spes mea? An verè cœlum spero? cum tantùm terræ adhæream. *Sanè spei nostræ ac fidei prævaricatores sumus: simulata ficta, fucata videntur esse, quæ dicimus.* Cyprian.

3. Non in laboribus meis, sed in meritis Jesu Christi sita est spes mea. Dum me ipsum considero, infernum timeo; dum Jesum Cruce pendentem aspicio, spero Paradisum. Veniat Dæmon: veniat caro. *Non confundar, si fortè consurgant adversum me, quoniam non in me, sed in te speravi.* Aug.

S. NI-

S. NICOLAUS Episcopus.

6. Decemb.

Sinite parvulos, & nolite eos prohibere, ad me venire: talium enim est regnum cœlorum. Christus Matt. cap. 19.

MOres cum lacte ab Infantia imbibi Nicolaus probat, qui cum à primis cunabulis diebus Mercurii & Veneris semel in die, idque noctu tantùm, maternum lac admisisset, eam consuetudinem jejunii per omnem deinde vitam sacrosanctam habuit. Adolescens divitias omnes in pauperes dilapidavit, ad hoc ingenio etiam, ne gloriolam mercaretur, usus, uti tum fecit, cum tribus puellis, quas noverca paupertas prostituere parabat, dotem trinis noctibus furtim per fenestras immisit. Subinde cùm pietatis causâ terram Christi vestigiis nobilem peteret, iratum mare quieti, nautam extinctum vitæ reddidit. Post ex eremo ad homines divina voce evocatus, & divino item indicio Pontifex creatus Mytræ, pro libertate Catholica fortiter carcerem & vincula tulit. Pro salute suorum solicitus etiam cum longissimè abesset, adfuit tamen

tamen. Ita Imperatori quandoque Constantino conspectus jussit sententiam revocare, quam in tergeminos Tribunos innocentes tulerat. Ita institorem in somnis monuit, frumentum, quod haberet, in urbem suam, quam fames vexabat, veheret. Aliàs vocatus à navigantibus, sæpius opem tulisse visus est. Quid? quòd animum Nicolai tumulus ejus est imitatus, oleum miseris propinans. Tumulatus verò memoratur circa annum CCCXXVI. cum moriturus Angelos obvios habuisset, etiam nobis occursuros, si rectam viam insistamus. *Ex Iustinian. & Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De Felicitate impiorum.

1. S. Nicolaus tam sedulò oves sibi commissas curavit, ut dignus fuerit habitus qui pro Christo in exilium pelleretur. *Sæpè* justi persecutionem patiuntur in hoc mundo, ut omnino displiceat illis mundus. Gaudete afflicti! miseriæ, persecutio signa sunt vestræ prædestinationis. Frigeret fortè in animis vestris rerum cœlestium amor, si vos mundus amaret, & si mundi bona degustaretis. *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Greg.

2. Sæpe improbi in hoc mundo vivunt felices, quia Deus prævidens eos in æternum infelices fore brevem felicitatem in quorundam rectè factorum merce-

dem ipsis elargitur. Agit cum illis Deus ut Medicus cum infirmis desperatæ salutis, quibus omnia concedit. Sunt victimæ ad carnificinam saginatæ. *Improbi ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostia ad pœnam coronantur.* Minu:

3. Vertetur olim rerum facies. Justi! nunc fletis, sed gaudebitis. Impii! gaudetis, sed gaudia vestra æternus luctus excipiet. *Vicibus disposita res est, nunc illi lætantur nos afflictamur: Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut cum ipsi lugere cœperint nos gaudeamus.* Tertull.

S. AMBROSIUS Episcopus

7. Decemb.

Vide Ministerium, quod accepisti in Domino ut illud impleas.

Paul. ad Coloss. cap. 4.

AMbrosii Infantis osculum apes ajunt insedisse, verissimos ejus eloquentiæ vates. Deprompsit sanè, cùm libuit, ore suo melos, & hoc ad-eò ipsum Augustinum inescavit, ut qui à Manichæis venenum hucusq; hausérat, ex ore deinceps Ambrosii mel legeret, Episcopum Mediolani prodigiosus præco Infans proclamavit. Dicenti ad populum astare bonum Angelum ipsi hæretici viderunt & inviderunt. Inter hos multum illi negotii Arriani, plus Imperatrix Justina, latrones, Magique

que, plurimum dæmon malus fecit, sed incassum omnes Majestatis Pontificiæ memor, neque majestatem Imperatoriam exhorruit. Itaque Theodosium ob cædem Thessalonicensem publicè reum non nisi post publica pœnitentis animi signa templo pedem permisit inferre, illud Davidis exemplo se tuenti inclamans, secutus es errantem, sequere pœnitentem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, nunquam ita extollendum, nisi ita demississet sese Porrò Ambrosius obsessos ab orco libertati, Infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ transtulit, ipsius verò calumniatores morte subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cæleſti voce excitus Honoratus Ep: sacro pane refecit, morienti verò blandùm arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vita viderit. *Ex Paulino.*

MEDITATIO.

De vita S. Ambrosii.

1. S. Ambrosius in Mediolanensi Ditione & in adjacentibus provinciis pro Imperatore præfuit, quo in munere religiosus Cæsari reddidit, quæ erant Cæsaris, & quæ Dei, Deo. Tuis in negotiis ejus imitare prudentiam. Placeas hominibus, modò non dis-

pliceas Deo. Probitas debet cum manſuetudine & morum honeſtate conjungi, & hæc manſuetudo eſt quaſi fundamentum Chriſtianæ virtutis.

2. Nihil non egit, ut Mediolanenſi Epiſcopatu non oneraretur, at Deo vocanti reſiſtere non potuit. Ejus exemplo fuge honores, ſed ne te præbeas contumacem, ſi te vocaverit Deus. Inſpice imaginem Sancti hujus. Innititur Sacræ Scripturæ, ut doceat, Evangelii præceptis, non propriæ prudentiæ innitendum eſt. Manum auri admovet, ne vanos audiat ſermones cœlum intuetur, unde totus pendet.

3. Cùm hic ſanctus propiùs abeſſet à morte. *Non ita* (inquit) *inter vos vixi ne pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* An auderes eadem de te dicere? An Deo probatur tuus vivendi modus? Quid tibi conſcius es? Scrutare conſcientiam tuam. *Incorruptus Iudex conſcientia, cum adverſus homines exurgit, clarâ voce clamat & accuſat & oſtendit, & ante oculos ſcribit magnitudinem peccatorum.* Chryſoſt.

CONCEPTIO B. V. MAR.

8. Decembr.

Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus, corona ſtellarum duodecim.

Apoc. cap. 12.

Specu-

SPeculum sine macula ostendimus, Virginem conceptam. Festi hujus diei originẽ, quæ sub annum cœpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. Wilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ potiente, missus ab hoc Helsinus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, forte per eos dies gravi tempestate jactatus. Nulla aliunde ope affulgente, Stellam maris Mariam vocat. Adest pro hac è cælo Nicolaus, spondet manum Naufrago, si Virginis conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsidit mare, enarat & vota Helsinus Sospitatrici exsolvit. Atque hæc initia amphora D. Anselmus fecit: amplissimis deinde indulgentiis ornavit Sixtus IV. Pont. Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento Miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant ad icona Immaculatæ Virginis rosam cũ his precibus deposuisse, vellet, juberet, si gratum ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, nunquam eo anno rosa illa marcesceret, floruit semper, & cum rosa etiam multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ædium limina in Hispania his verbis loquuntur: *Benedictum sit S. Mysterium immacu-*

maculatæ Conceptionis Mariæ. Quid? quod aliter sentientes DD. rectiùs nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certe accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat: Non habet purum, sed ostendit maculas, speculum. *Ex Baron. & Spinello.*

MEDITATIO.

De Immaculata Conceptione B. V.

1. *Deus potuit* Mariam ab omni peccato præservare, utpote qui sit omnipotens nihilque non possit fieri in hoc mysterio. O Mater Salvatoris! vix me præ gaudio contineo, quod in conceptu tuo peccatis vacua divinis gratiis redundâris. Absit, ut credam aliquando fuisse te peccato fœdatam.

2. *Deus debuit* facere ipso decoro postulante, ut originali peccato careret Maria. An permisisset Pater, ut Filia sua, & mater filii sui, demonis mancipium fuisset? Quid? Dæmon sponsam Spiritûs Sancti deturpare ausus esset? Quid? Templum, ubi divinitas corporaliter erat habitatura, peccato fuisset pollutum? Dei major est in Mariam amor, nec dubita de Conceptione Immaculata & cogita si Deo curæ fuit ut ne vel momento viveret mater Dei cum macula quantum odium sit Dei erga malos sordibus peccati diu inhærentes.

3. *Deus fecit* singularem hanc gratiam Mariæ. Ita censet universa Ecclesia. An is ego sum, qui alienum ab Ecclesia judicium habere velim? Ah! nunquam, sed doleo, quòd, purissima cum sis, animus meus tot sordi-

sordibus inquinatus sit. In peccatis conceptus sum, in peccatis. Vivo, & haud scio an moriturus sim in peccatis. Ad te confugio, scio enim, quòd, *qui ad Mariam accesserit, impossibile est, ut pereat, hæc est tota ratio spei meæ* Bern.

S. SYRUS Episcop.

9. Decembr.

Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 13.

SAcra nostra Syrus à D. Hermagora est edoctus ipse Papienses docuit, multùm ea in re S. Juventii opera usus, quem socium expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte Syrus noster medius Martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostra dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumulo mortuum exivit, & cùm primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisque ejusmodi inducti facilè Christianis accesserunt; tunc præsertim, cum novo hospiti cedere hospitem Orcinum viderunt, qui è puero Syri imperio illico adergastula sua migravit. Addo è plurimis aliis illud, quod nuũ

Papiensibus admirationem parere poterat; nobis justissimum metum potest, si impiati sacram mensam frequentemus. Ausus est Hebræus inter Christianos profanus accumbere, Divinum cibum ore exceptum, non stomacho, sed cœno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare Scelus advertit, qui tamdiu miserabili incendio impurum exusserunt, dum quæ Palato impio pendebat, Hostiam sacram Syri manibus reddidit. Quid hic Christiani? porrò mensam cum Judæo impuri acceditis? Non sentitis Ultores hos ignes? graviores sentietis. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De Communione dignè frequentanda.

1. TRia documenta dedit Christus ad dignè communicandum. Primo decet desiderare *Desiderio inquit desideravi vobiscum manducare hoc Pascha.* Desiderat Dominus intrare corpus tuum, & tu O! torpide homo non desideras esse cum Christo, ut Deus sit tecum, & tu in Deo. Quoties desiderium hoc excitas vel spirituali communione, vel devotâ Eucharistiæ visitatione. *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur.* Job. 31.

2. Docuit etiam exquisitam munditiam lavando pedes Discipulorum. Non voluit tantùm discipulos suos mundos

mundos esse manibus, id est operibus sine culpa, sed etiam pedibus, ut nequidem sint vestigia culparum in communicantibus: quâ prævia satisfactione expurgas vestigia culparum tuarum, pœnas per culpam promeritas? *Si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs, quàm qui eam scindunt, puniuntur. quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant quod illi, qui clavis eum Cruci affixerunt.* Chrys.

3. Docuit humilitatem, abjiciendo se ad pedes Apostolorum *Vbi mihi nunc locus supereſt.* exclamat S. Borgias *si Dominum meum video infra pedes Iudæ;* Et si intra putridum cadaver cujusque peccatoris video Christum ingredientem, O Dominus meus? O Deus meus! quid ultra ego cinis superbio?

S. MENNAS Martyr.

10. Decembr.

Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Pet. 1. cap. 2.

MEnnam Maximinus Antiochiæ præfecit, suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica unquam melius illic stetit, quàm cùm Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios

alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit Maximinus, qui rem Deorum restitueret, Hermogenem misit. Hic de loco ac munere Mennam sed non perinde de constantia dejecit, ut qui resectâ à pedibus carne in sententia tamen perstitit, neque post erutos oculos linguamq; vel à via virtutis excessit, vel clamare animo Christum destitit; quin cum subnoctem medicinam membris omnibus ipse Christus fecisset, & Angeli palam se Martyri junxissent, associare etiam se Hermogenes non dubitavit, pulchrâ Metamorphosi ex tyranno Episcopus Urbis factus. Tot damnis mactatus Imperator ipse adfuit, Deosque & se ulturus Hermogeni manus pedesque auferri cremariique, ipsum ventre discisso aquis mergi, Mennam verò ex arbore, ex Mennæ pede saxum suspendi jussit, nobile anathema. Sed ecce mortem tunc uterque, sed & postridie Maximinum iterum triumpharunt capite truncati. Ossa quoque tumbâ ferreâ condita & in mare abjecta Nautæ Angeli Byzantium deportarunt, à loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc quiescunt, qui duriter olim vixerunt.

Ex Surio.

MEDI-

MEDITATIO.

Martyr perfectus est Orator.

1. *Martyr delectat*, Deum videlicet, & beatos omnes, cum forti animo martyrii palmam demetit, dum minas & blanditias Tyrannorum despicit, & quantùm in se est, imitatur Jesum Crucifixum. Stephanus vidit cœlos apertos, & Jesum stantem, ut ejus triumpho oculos pasceret. Possum ego Dominum gaudio afficere, si vitæ hujus incommoda moderatè, & alacriter feram.

2. *Martyr docet* infideles fidei nostræ sanctitatem; ita S. Mennas Hermogenem docuit, & adduxit ad Christi fidem prô Deus! quis in dubium revocaret Bonitatem & potentiam tuam, si Martyrum miracula, eorumque mediis in suppliciis lætitiam perspiceret? *Neque enim, si nihil dulce est Martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent, amaritudo eorum à quovis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisquam gustare poterat* Augustin.

3. Postremò *Martyr movet* fidelium animos, etenim, qui in obsequio Dei remissiores erant, sanguine & vulneribus Martyrum ad martyrium accendebantur. An potes etiamnum Martyrum vitas legere, quin Deo serviendi, & in ejus gratiam aliquid patiendi desiderio accendaris? Audi Martyres è cœlo perorantes, & monentes quemlibet Christianum, ne in otio & quiete Dei pacem & amicitiam amittat, quam servârunt.

S. DA-

S. DANIEL STYLITA.

11. Decembr.

Sine intermißione orate. In omnibus gratias agite. S. Paul 1. ad Theſſ. c. 5.

COelo vicinus Incola Daniel eſt, qui annos XXIX. columnam habitavit, indeq; tempeſtates & cum his mortalia omnia generoſo ſupercilio deſpexit, orci ingens terror Superis gratiſſimum ſpectaculum. Nempe terris adeoque ſe altior Clientes ſibique obnoxios reges habuit. Ita Leonem filio beavit & mortis periculo exemptum Imperatorem ſibi vitam debere fecit. At Zenoni regni jacturam longè, antè vaticinatus eſt. Contra Baſiliſcũ verò Eccleſiæ hoſtem ut pugnaret, è columnâ deſcendit & impendentes Numinis iras ſævienti objecit non vanus Augur. Jam & in Dæmonas malos regnum tenuit, éque corporibus humanis, cùm libuit, proſcripſit; fuitque cum Mulier, quæ Divi Innocentiam infami rumore aſperſerat, à vindice Genio obſeſſa, non potuit obſidione niſi ab ipſo Daniele liberari, Cæterum cum cælo uti propinquum ita frequens illi fuit commercium, ſub ultimos præſertim tres vitæ dies, quibus Cælites pluri-

plurimi ad ægrum viſerunt. Horum nomina prodidit hominis item Incola Dæmon, uti & horam, quâ moriturus Daniel & ipſe fugandus erat. Obiit verò Anno CCCC. LXXXIX. In corpore, quod diu tergemina Crux illuſtravit, tumulando Reges laborarunt. Animus fecit quod in vita jam fecerat; cœlũ habitavit. *Ex Metaphr.*

MEDITATIO.

De Recollectione.

1. SOlent viri pii, quidquid aggreſſuri ſunt, Deo commendare, & inter agendum mentis oculos ad Deum identidem convertere, ut renovent puritatem intentionis, & impetrent gratiam, quæ omninò neceſſaria eſt ad felicem exitum omnium ſuſceptorum; abſolutâ demum actione, conſiderant, an benè, vel malè egerint: ſi benè, gratias agunt Deo, ſi malè veniam ab ipſo petunt. An ita agis?

2. Hac ratione exterminantur vitia, & virtutes facilè acquiruntur. Ideò peccata peccatis cumulantur, quia nemo eſt, qui recogitet corde: nemo qui omninò, ſibi perſuadeat Deum eſſe ſpectatorem, & remuneratorem omnium actionum ſuarum; enimverò, an peccare auderes, ſi teneres firmâ perſuaſione, Deum te videre, cum peccas? ſi reſpiceres paratam mercedem iis, qui pro Chriſto, & ut Chriſtus, laborant, aut patiuntur?

3. Faciliùs eſt quàm putas, colligere ſeſe, & Deum ſemper

semper in mente habere. Omnes res creatæ alliciunt ad amorem Creatoris, cùm considerantur ut effectus erga nos divinæ bonitatis, & imagines perfectionum Dei. Cœlum, terra, sol, planetæ, omnia demum enarrant gloriam ejus. *Assuesce eorum vocibus & à rebus creatis ascende ad creatorem, qui sanè longè pulchrior est, quàm omnia quæ vides.* Aug.

S. SPIRIDION

12 Decembr.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

Christus Luc. cap 5.

SPiridion ex opilione Cypri Episcopus non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere solicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum emeret. Alio item tempore cùm avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset. Spiridion huic disertis verbis in crastinum Annonam spopondit. Neque aliter factum quàm dictum Aquarum alluvio avectum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In

fures

fures etiam non minus beneficus quàm comis fuit: Nempe cum gregem hi direpturi adveniſſent, & arcana Numinis vis ligatos omnes Spiridioni tradidiſſet, exſolvit hic officioſus & viæ comitem abeuntibus ultro ambulare arietem juſſit. Porro filiam, quàm, dum olim in matrimonio ageret, mors ſuſtulit, ut defuncta depoſitum aurum indicaret, tantiſper è tumulo evocavit. Sed & alium morte ſublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam cum hæc gaudio emortua eſſet. Ultimùm cùm in meſſe occupatum æſtus gravior affligeret, ros cœlo illapſus recreavit, ſimul alii capilli albeſcere, nigreſcere alii, deniq; caneſcere viſi ſunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, poſt quam illum laudibus omnis ætatis homines mactaturi eſſent. Tu etiam diſce hìc non ſenes modo, ſed Juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De pravis Cogitationibus.

1. CAve tibi à triplici cogitationum genere: ab iis, quæ animum avocant ab oratione; etenim tantùm abeſt, ut, qui per orationem alienas cogitationes admittit, peccatorum veniam impetret, ut novis potiùs peccatis obſtringatur. Actibus fidei frænatur animus

animus meditantis, & præpostera cogitationes dissipantur. Deus te videt, audit preces tuas, nec abibis impunè, si vagari animum facilè passus fueris.

2. Cave tibi à cogitationibus, quæ castitati adversantur: cò periculosiores sunt, quò blandiùs in animum nostrum irrepunt, ac oblatâ voluptate deliniti, vel uno momento gravissimum scelus admittere possumus. Cave inquam: mentem aliò diverte; mortem meditare, judicium, infernum. Ideò his molestis cogitationibus vexaris, quòd pluribus quàm par est rebus tum aures, tum oculi tui pareant, quibus tanquam fenestris, mors intrat.

3. Dæmon nonnunquam suggerit dubia circa fidem sanè periculosissima, morte præsertim imminente, at dissipantur humilitate, & oratione. Fides est donum Dei, quod Christiano eripi nequit, si imploret auxilium ejus, à quo accepit. Si tamen orationibus tuis molestas cogitationes adversus fidem abigere minùs possis, adhibe repetitos fidei actus, *& quò difficilius investigare te videris, eo reverentiùs admireris.* Eus.

S. LUCIA V. & M.

13. Decembr.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Joan. 1. Epist. c. 4.

Si

SI Virgo è cælo sidus lucet, Luciam esse credidero Virginitatis laude præ aliis illustrē. Hæc dum cum matre ægra ad tumbam D. Agathæ precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum Luciæ mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ. Sic igitur moritura Lucia omnium primò testamentum cogitat, & pauperes non jam scribit sed facit hæredes. Id enim vero non ferendum ratus Luciæ sponsus, queritur apud judicem, & Sponsæ dotem sibi clamat deberi; hic demum agnoscit in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur amori ira successit. Dei Nupta Lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam Virgunculam, nequeunt funes & plura boum juga de loco, minùs de proposito casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur, rogus accenditur. Sed lucet pulchrius ignibus suis Lucia. Gladio trajicitur; sed vivit Virgo & Viros animat, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Deniq; dum Judex in vinculis Romam abducitur capitis damnandus, divino cibo recreata, cælo Sidus, ut dixi, inseritur. Sed & tibi illic adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si Vir-

goes. Fuisti Ah! stellam cælo credas decidisse.
Ex Surio.

MEDITATIO.

De dignitate hominis.

1. PRæstantissima sit, necesse est, dignitas hominis, quippe cujus causâ mundum creaverit Deus, ac omnia subjecerit sub pedibus ejus cùm consideras, quidquid tum in cœlo, tum in terra pulchriùs est, jure dicere potes, nobilior sum his omnibus, utpotè, cùm ea omnia facta sint, ut serviant mihi. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus?* quos his omnibus præposuisti: sed heu? parùm memores nostræ dignitatis, rebus creatis, mancipiis nostris non rarò servimus.

2. Ad hunc finem homo creatus est, ut Deum amet, & ipsi serviens, salvus fiat. Nónne tantus finis arguit hominis nobilitatem? ô homo? sursum cor tuum, Deo, creatus es. Ut quid derelicto Domino, qui fons est bonorum omnium, terrenarum voluptatum rivulos consectaris? *oculos erigamus ad cœlum, ne oblectamentis, & illecebris nos terra decipiat.* Cyprian.

3. Deus clariùs ostendit, quanti faceret hominem, cùm unigenitum filium suum dedit in pretium Redemptionis ejus: patet hac redemptione, quanti valeamus, & quanti nos æstimet Deus: sed multùm sperat, qui multùm dedit. *Novit, quanti ei constiterit homo suus; non ergò nobis vilis simus, qui tam pretiosi Deo fuimus.* Euch. Emiss.

S. NI-

S. NICASIUS Archiep.

14. Decemb.

Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.

Christus Matth. cap 5.

QUidni animos etiam tu Lector ad pugnam sumis, toties qui sanguinem Martyrum vides? Hic Nicasii Rhemensis Pont. & sororis ejusdem Germanæ Eutropiæ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias Dux barbarus, jamque Rhemensibus etiam malum minabatur, cùm Cives ad Asylon suum Nicasium confugerunt. Ille exitium Urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoq; exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suasit: neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ huc usq; ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus Eutropia stipante obviam hosti ad D. Virginis progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum

formæ milles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos Carnificis involat mortemque invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cujus copiæ visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terra tegerentur, splendore olim his ipsis certatura. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De oratione vocali.

1. ORatio, quæ voce exprimitur, ita Deo placet, ut ipse Dei filius eam Apostolos suos docuerit: *sic*, ait, *orabitis: Pater noster, &c.* Oratio vocalis utilis est incipientibus, progredientibus, & perfectis. Quasnam pro more fundis vocales preces? habe tibi pensum aliquod orationum, quod quotidiè fideliter expleas.

2. Olim dixit Deus per Prophetam Isaiam, *populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè est à me.* Nonne in te cadunt hæc verba? S. Augustinus lacrymas tenere non poterat, si quandò Psalmorum cantus audiret. Tu verò, quo pietatis sensu afficeris, cùm vel audis, vel recitas horarias preces? Memineris, Deum eos non audire, qui arcanas ejus voces non audiunt. *Quæ ratio est, cur doleamus; nos non audiri à Deo cum ipsi Deum non audiamus.* Salvian.

3 Non

3. Non placent Deo longiores preces peregrinanti animo, & volucri linguâ deproperatæ. Satius est, vel unicam orationem Dominicam attentè recitare, quam effundere copiosum orationum flumen. Meditare singula verba, sacræ hujus orationis, quam Christus ipse composuit. Me felicem! qui quolibet tempore, & loco cum Deo loqui possim. Ah! pudet me, toties Deum orare sine reverentia, sine attentione. *Quomodo erit Deus in medio tui, sit ecum, ipse non fuerit? ubi deest ille, qui poscit, quomodo aderit, qui poscitur?* Eus.

S. CHRISTIANA ANCILLA IBERA.

15. Decemb.

Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri JESU Christi, Deo Patri. Paul. ad Eph. c. 5.

HUjus quoque Nomen nescimus, credo, quia virtus supra cœlos hos evexit. Illud satis constat, vixisse cùm rerum Constantinus potiretur, & iberis servitutem serviisse; cæterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac Serua Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ Matronæ gravi morbo afflictum precibus ad Deum fusis valetudini re-

ſtituerat, cùm ejus facti rumor ad aures Reginæ gentis perlatus eſt tunc itidem graviter fortè è morbo decumbentis. Ergo, cum in ſpem valetudinis & ipſa veniſſet, deportari ſervulorum manibus ad Divam noſtram voluit. Ibi in lectulo ſervili collocata ſanitatem extemplo & vires recepit, quas fruſtra in regiis ſtragulis ſuſpiraverat. Ut verò grata Numini foret, Autor eſſe conjugi regi cœpit, ut Chriſto ſe dederet, cui morbi & mors ipſa jam parerent. Iſte moris moras nectebat, dum inter venandum iratos & cælos & ventos expertus & in ultimum vitæ periculum devolutus opem Chriſti præſentem ipſe etiam ſenſit. Tum verò Templum Deo poſuit, in quo Diva hæc columnam, cùm viribus nullis poſſet, precibus erexit, ſuſpenſamque in aëre tam diu ſervavit, dum ſpectantibus omnibus ſuopte motu in locum ſuum deſideret. Atq; in hoc templo primas Chriſto iberi aras, pectora ſua devoverunt. Gere caſtum Cor, & Templum Salomoneo præſtantius erexiſti.

Ex Socrate & Theodor.

MEDITATIO.

De Ingratitudine.

1. DEbes Deo gratias agere pro acceptis ab eo beneficiis, Dic, amabo quot, accepiſti? multa cognoſcis

cognoscis, plura ignoras. An illi grates retulisti, quòd te creârit conservarit, redemerit: quòd natus sis ex Christianis parentibus, quòd divitias sanitatem, & ingenium dederit? Deo memorem te præbeas tot gratiarum: Tuus sum Domine, me tibi totum trado.

2. Vitium ingrati animi exsiccat divinorum beneficiorum fontem; Deus gloriam suam magis amat, quàm, qui eam alteri daturus sit: eam furaris gloriam, cùm ipsi gratias non agis, eumque cogis, ut nova tibi deneget beneficia. Ah Domine! in adversis, ut in prosperis te laudabo; omnia quæ mihi contingunt, excepto peccato, argumenta sunt tui in me amoris. O cæcus! O ingratus hominum animus. Pro naturæ bonis, & quidem saluti sæpè noxiis, Deo grates rependimus. *Discamus non solùm in prosperis, sed etiam in adversis gratias agere.* Greg.

3. Triplex est ad imum hujus vitii gradus. 1. Oblivisci beneficiorum 2. Malum pro bono reddere. 3. Uti beneficiis in contumeliam benefactoris. Quoties naturæ dotibus usus es ad offendendum Dominum? si Deum obliviscaris benefacientem, senties corripientem. *Sciatis, hanc esse iram Dei censuram, ut qui beneficiis non intelligitur, plagis intelligatur.* Cyprian.

S. ADO Episcopus.

16. Decemb.

Memor esto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Apoc. c. 2.

Multùm profectò confert, cum quibus adoleſcas, & ſenii fructus plerumque juventutis floribus conformes ſunt: nec mirum, nam arborum id eſt, qualis & homo, quamvis inverſa, ſi quidem de cœli ſucco vivat. Ado, ut nobilium mos erat, admodum puer, Monachis creditus à parentibus, ut in cœnobio poneret virtutum fundamenta. Magno id operæ pretio in eo factum eſt: nam vix concepto Religionis amore adhuc Ephebus jam Phœbus erat, adeò præ aliis, in juncta nobilitati virtute effulſit, ut, Viennæ defuncto Pontifice, cùm urbem tranſiret, ob ſanctitatis famam concordi omnium voto, in ſucceſſorem electus, inque vacuâ cathedrâ ſit collocatus. Amplus is campus fuit Adonis pietati & miſericordiæ: palatium ejus egentibus aſylum fuit, etiam ſub menſa patulum, ne cujusquam inopis impediretur unquam acceſſus. Largè dabatur omnibus. Abjectus per diem in prolixas preces, etiam pernoctabat in templo. Tres illic aras erexerat, Magdalenæ pœnitenti, Petro neganti Chriſtum, & pio latroni: ad has præcipuè ſtationum ſuarum metam fixerat, cum peccatoribus ſcilicet ſupplices multiplicans peccator lacrymas. Et quantilli errores erant viri tam

ſancti,

sancti, si tua delicta (heu tamen siccus) conferas? *Ex Brev. Viennensi Barri.*

MEDITATIO.

De triplici conversione.

1. Quosdam reperire licet, qui penè cum lacte nutricis pietatem suxisse videntur, quique à teneris Deo consecrat sese. Beatus, qui portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, siquidem benè agendi consuetudo naturæ vim obtinet. Si fueris id ætatis, Consecra Domino primitias vitæ tuæ. Senex vix laborem sentit, qui ab juventute labori fuerit assuetus.

2. Quidam florentibus annis, mundo & voluptatibus serviunt, sed, cognitâ voluptatum vanitate, nuntium remittunt mundo, ut Dominũ sequantur, hoc si feceris, dole quòd tam diu vixeris mundo. Nunc age, curre viam mandatorũ, cum breve tempus tibi supererit. Si nondũ Deo servieris, ne desperes, sed sine mora viam salutis ingredere *Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit sed dilationi crastinum non promisit.* Aug.

3. Sunt, qui conversionis suæ principio igneſcunt, sed aliquandò post extinguuntur, pietatem fastidiunt, & pristinas repetunt voluptates. Ignave, quid agis? compara, quæso, animi quietem, cum angoribus & conscientiæ stimulis, qui te manent in mediis sæculi

delitiis: Revoca in animum tuum causas tuæ conversionis, ex iisdem causis iidem effectus orientur.

S. LAZARUS Episcopus.

17. Decembr.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce? quem amas, infirmatur. Joan. cap. 11.

ILle Lazarus est quo Fratre Germano nobiles Sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere amantem, ut contra ferreas Mortis leges sepultum jam & tabescentem vitæ, & quod caput est, amicitiæ suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abrahæ non invitus rediret Lazarus. Cæterum sic vivus invidiâ tantum non emori Judæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, stultissimo consilio, cùm Fatis jura dicere Christum viderent notum jam nuper Lazari patronum. Hoc tamen in cælos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus

bus, revixere odia in Lazarum nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è schola Christi & LXXII. discipulis fuit) Marthaque & Magdalena sororibus, Virgine item Marcellâ, exul in navim compingitur velis remisque sed non cælesti etiam aurâ destitutam. Nam Lazarum sociosque in Gallias tulit & innoxios Massiliæ exposuit, Miraculo & hæc & aliæ vicinæ urbes permultæ Christo credide-runt Tum demum amoribus suis in silvis Magdalena vacavit, Martha sanctis Virginibus, Lazarus Civibus Antistites præfuerunt. Dubium ergo est Lazarus ne invenerit illic portum, an ostenderit Gallis? certè si absq; Lazaro fuisset, naufragium in portu Massilienses feciſſent. *Ex hist. Evang. & Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De Lazari suscitatione.

1. MIrum sanè precationis genus? sorores Lazari, missis ad Jesum literis, sic eum deprecantur: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Enim verò sufficit, suam Christo necessitatem aperire; amat, curabit infirmitatem. Macte persevera in oratione. In rebus desperatis ac depositis, nihil non sperandum in Domino. an non soles ad Deum duntaxat confugere, cum humanam opem frustra adhibuisti? Attamen primùm divinum, tum humanum remedium est adhibendum.

Tandem

2. Tandem adest Jesus, lacrymatur, gratias agit Deo Patri, elatâ voce mortuum vocat; his docet Christus, ad nova beneficia impetranda, gratiarum actionem præmittendam esse. Lætare anima mea, quòd Jesus tantùm te amet, quantùm Lazarum! proinde tuis in afflictionibus utere his verbis: *Domine quem amas, infirmatur; sufficit, ut noveris, non enim amas, & deseris.* Aug.

3. Vocanti Christo sine mora Lazarus obediens, surgit è feretro. Domine, à tanto tempore me vocas & dicis animæ meæ: exurge, quare obdormis? sed surdus sum, vocationem & inspirationem tuam non audio. Anima mea? jam tempus est Deo parendi. *O vita? quæ das mihi vitam, per quam vivo, sine qua morior, ubi te inveniam, ut in me deficiam, & in te subsistam.* Augustin.

S. MODESTUS Confess.

18. Decembr.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Epist. ad Philipp. 4. v. 5.

NObiliores nemo Modesto habuit cunas. Rogas quales? Carceres fuêre, in quos ad captivum patrem vix natum Mater asportavit, docuitque à teneris Martyrem esse. quinto à partu Mense inter preces uterque parens inibi animam Deo reddidit, opulentam filio hæredi-

hæreditatem vincula post se relinquens. At hanc invidens Maximianus Imp. educandum viro Senatorii Ordinis tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed cùm primùm Modestus per ætatem intelligere cunabula sua potuit, doluit scilicet vel inscium se à parentum vestigiis deflexisse; & degenerem tam diu se putavit, quousque fugâ Athenas delatus Christianis se junxit. Hic dum sacro lustratur fonte, radiantem ignibus columnam in caput pueri descendere Episcopus vidit, Cùm deinde è Cive Genium malum, è sorore vero Heri sui morbum depulisset, hæredem hic Modestum cum cæteris liberis suis scripsit. At isti, quò potiùs accederet aliquid ad hæreditatem, quam decederet, Ægyptio homini & à sacris nostris alieno Adolescentem vendiderunt. Septem annos cùm servisset, è servitute Deorum tandem etiam Dominum eripuit, & libertus Solimas abiit. Ibi demum ad Patriarchatûs dignitatem evectus, cùm veneno infectum fontem purgasset, fontisque incolam serpentem neci, cacodæmonem sub cane latrantem fugæ dedisset, hospitioque, qui in servitutem illum dederant, cohæredes illos suos peramanter excepisset, dignam Natalibus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia,

vel

vel cælo teſte, tunc columnam ſuam. Imo non amiſit; transtulit eò, ubi ipſa ſeſe ædificat. *Ex Menæis.*

MEDITATIO.

De modeſtia & moderatione.

1. MOdeſtia & moderatio ſecundum D. Bernardum hominem in medio collocat, ut nec infra dejiciatur, nec ſupra attollatur, non evadat longiùs, non attollatur latiùs, ſed medium teneat in omnibus. *Locus medius tutus eſt, & medium eſt ſedes modi, modus autem in rebus virtus eſt.* S. Bernardus libro de conſideratione. Quantùm à medio te paſſiones abripiunt? Cave tamen etiam medium ne quæras Deum inter & Dæmonem, volens nec Deo, nec Dæmoné ſervire, *qui mecum non eſt contra me eſt dicit Dominus.*

2. Modeſtia mutus orator eſt: Exemplo plus perſuadebis quam facundiâ. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro monet.* Apoſt. 1. Cor. 6. quem videris portare in corpore tuo? an Chriſtum? an verò tetricum ſaturnum, furibundum Martem, laſcivam venerem? doloſum Mercurium? fac diſcere poſſis. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus,* & videant homines in te chriſtum vivere.

3. Ubi Apoſtolus *dicit modeſtia veſtra nota ſit omnibus,* ſubjungit, *Dominus prope eſt.* Memoria præſentis Dei faciet, ut ſequaris monitum D. Ambroſii Libr. 3. de officiis. *Nihil turpe faciendum bono viro etiam ſi omni ex parte lateat.* Sive palam, ſive clam, idem ſit; Deus te

videt

videt, Deus juxta te est. Deus intra te est: Deus tecum est.

S. MEGENGAUDIUS CONFESSOR.

19. Decembr.

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam. Christus Joan. c. 4.

ILla demum vera nobilitas est, non pauciores virtutes, quàm ceras potest numerare. Potuit Megengor Geldriæ Comes, idemque fortissimus militum Dux, & hoc nomine Imperatori Ottoni III. cumprimis charus. E conjuge Gerbirge Zutphanensi item Comite cùm filias IV. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expectas? scilicet lacrimas vel armato Marti exprimendas, & dignos patre gemitus? viduos Matris capillos & lacerum planctu pectus? omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovêre paren-

parentes, hoc est mortalem. Utique mortem lecturam maturos ætate fructus suos, quæ immaturos carperet satis oppidò jam vixisse parentes, qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur Megengor & in tuto locare impedimenta. Opes, hoc est, in Cœnobio, cui Adelhaidem filiam præfecit, deponere; ipse quoque animo à Mundo abesse, cùm non posset corpore; castitatem deinceps cum conjuge colere; lectioni sacrarum literarum se dedere; denique in oculis nihil præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu Conjugis tertio. Mortuus filiæ primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *ecce moritur justus & nemo recogitat*, tum alteri deinde è Virginibus regio habitu fulgens nuntiansque Megengoris nomen in Megengaudii sibi mutatum esse. *Ex vita S. Adelhaidis & Melano.*

MEDITATIO.

De gaudiis Paradisi.

1. Mundanæ voluptates haud absimiles sunt aquis cœnosis, quæ nequeunt sitim depellere. An vidisti auri, vel gloriæ vel voluptatis avidum, cujus omninò expleta sit habẽdi sitis? an tu, vel cum pluribus boniscreatis abundâsti, omnino fuisti contẽtus? nunquid semper aliquid defuit tuæ felicitati? Heu me? fontem vivum

vivum dereliqui, ut cœnosis ac vanis voluptatibus me immergerem. Domine? da mihi aquam gratiæ tuæ, quæ sola potest sitim meam satiare.

2. Unus Deus explere potest animum tuum, ut pote, qui sit infinitum, æternum, & omne bonum. Ah? Domine, satiabor, cum apparuerit gloria tua: in cœlesti Hierusalem torrente voluptatis potabis me: nihil timebo, nihil cupiam, nihil amabo præter te, mi Deus, qui fons es bonorum omnium.

3. Ut tantis gaudiis aliquando potiaris, debes nunc bibere calicem Passionis Christi, panem assiduis fletibus rigare, & cœlum, quàm longa erit vita tua, suspiriis petere. Adhæc oportet, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris, hoc est de Sacramentis, mediteris Passionem Jesu Christi, ac virtutes ejus imiteris. Da te Deo per breve tempus vitæ, & Deum per æternitatem possidebis. *Regnum cœlorum venale est, tamen aliud non quærit pretium, quàm te ipsum*; Aug.

SS. AMMON & SOCII MART.

20. Decemb.

Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

Christus Matth cap. 13.

Sub annum partæ salutis CCLIII. Alexandriæ eodem tempore in Christianos sævitum est & in latrunculos animadversum; simili in longè dissimillimos supplicio. Forte inter nomina horum nomen delatum est Genesii. Hic quòd extra culpam esset, facilè se purgavit; Sed dum à latrocinii suspicione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesius, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus pejusque his ipsis habitus igne crematus est. HOC verò supplicii genere territus alius quispiam è Christianis, cùm nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce Ammon Zeno & Ptolomæus (hi ipsi, quos pinximus, MILITES) per medium agmen penetrare, & cum verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrimis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indignum quidquam Christiano admitteret. Hoc ipsum verò cùm oculos non posset fugere spectatorum, vulgum scilicet in se armarunt. Tum verò nihil dissimulandum amplius rati in medium omnes prodierunt, & Christum jam pleno etiam ore confessi populum omnẽ in stuporem rapuerunt, socios contra tyran-

num

num mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quòd cæli civem, hoc est, Martyrem servassent. *Ex Epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

MEDITATIO.

De gratia vocationis.

1. DEus nulli denegat gratias ad salutem, modò faciat, quod in se est, sanè plures Christianis, quàm cæteris hominibus conceduntur. Igitur memorem te, ac gratum Deo præbe, maximè propter vocationem ad Christi fidem, à qua aliæ plures manârunt. Memento, quòd graviùs quàm gentiles punieris, si tot tibi concessis gratiis malè usus fueris, nam *tantò graviora erunt delicta nostra, quantò majora se ostenderint divina beneficia.* Cæs.

2. Perperàm divinis gratiis utimur, cùm ad vocem Domini vel obduramus corda nostra, vel procrastinamus: Tumultuosos animi motus comprime fuge mundi strepitum. Vade in solitudinem, & Deus loquetur tibi ad cor; cùm autem vocem ejus audiêris, sine mora obedias ei. Ambula, cùm lucem gratiæ habes, & noli ad mortem rejicere conversionem tuam.

3. Qui rectè divinis gratiis utuntur, magis ac magis iis cumulantur; qui malè, aliis concessis etiam nudantur. Cave, ex hac neglecta gratia, æterna forsan pen-

det calamitas; noluisti saluti vacare cum poteras: veniet mors, non poteris, cùm voles. *Nam illa est peccati pœna justissima, ut qui rectè facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.*

S. THOMAS Apostolus.

21. Decembr.

Quia vidisti me Thoma, credidisti? Beati qui non viderunt & crediderunt. Christus Joan. cap. 20.

DIvus Thomas est, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse Thomam, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cùm ingenti mole arborem, & quam multi & homines & Elephanti movere loco frustra laborârant, obsequentem ipse cingulo suo per milliaria X. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cùm Mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nupet sub cœptas Hispanorum navigationes vidimus. Cæterùm fuit è sacrificulis tum temporis

poris, qui suâ manu filium mactavit, scelusque Thomæ affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere Thomas voluit, quàm infantem mortuum, quis credat? Absolvit disertis verbis infans Thomam, & patrem suum damnavit. Enim vero his miris uti nuper arborem, ita nunc in sententiam Regem ac populum omnem traxit, si unos sacrificulos demas, qui aliò ab invidia abstracti precantem ante sacram Crucem Thomam sagittis primò, tum hastâ trajecerunt, strenuum utique fidei propugnatorem, qui, ut signa defenderet, cecidit ante signa. *Ex Maffejo & Osorio.*

MEDITATIO.

De vita S. Thomæ.

1 S. Thomas fuit incredulus, quippe qui credere noluerit. Dominum à mortuis resurrexisse, nisi cum vidisset, & tetigisset: Num & ego sum incredulus? nam si, ut fidelem decet omninò crederem, Jesum pro me mortuum esse, probis gaudia, improbis supplicia præparari, nunquid sanctiùs viverem? *Væ! quibus priùs hæc experienda sunt, quàm credenda.* Ens. Emiss.

2. Ubi S. Thomas vidit Jesum, & ejus vulnera tetigit statim revixit ejus fides; avola, anime mi vola ad

vulnera Jesu Christi, ibi firmatur fides, augetur spes, & charitas perficitur. An credo, quòd fuerit propter me flagellatus & crucifixus? Ah! si crederem, qui voluptates amarem; cum ipse tantùm dolores amârit.

3. Fides S. Thomæ nequaquam fuit sterilis, nam proprio sanguine Evangelium confirmavit, quod in remotissimis Regionibus prædicâret. Vana est illorum fides, qui verbis jactant se credere, & nosse Christum, factis autem negant. An paratus esses, sanguine fidei veritatem confirmare? tu, qui Dei gratiam & Paradisi spem breviori gaudio postponis? quomodo te Christianum dicam, cum ne hominem quidem te probes actionibus tuis? *Si verè te hominem appellarem, quo, quo tandem modo potero fidelem vocare?* Chrys.

S. ANASTASIA Martyr.

22. Decemb.

Christus passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Petr. 1. c. 2.

ANastasia è Romano & patritio sanguine Patrem in Fide agnovit S. Chrysogonum. Nupta viro (Publio Nomen erat) à Christia-

Christiana religione alieno, Matrimonii usu semper abstinuit, sive castitatis amore, sive superstitionis odio. Interea tamen mater pro Christo victorum audiebat, quos illa summis studiis ultimisque servitiis colebat, tunc præsertim, cùm Conjunx malus malam mortem obiit, qui carcere omnibusque malis, dum vixit, Anastasiam exercuit. Publio Ulpianus in impietate successit, sed quòd vim inferre castissimæ tentasset, oculos primò orbatus, mox vitâ ejectus Publium ad Orcum quoque subsecutus est. Sub hæc cùm bene magnus numerus Christianorum in navim perforatam imponeretur, certo naufragio perituris Dux Anastasia data est. Sed neque sic navigantibus sidera defuerunt. Visa est in velis D. Theodota nuper è flammis cum tribus filiis astris inserta. Hæc Helenâ magis propitia navim ad littus appulit. Sed hem in portu alia tempestas insurgit! Anastasia tribus palis alligata igne exuritur; socia turba omnis per diversa supplicia fortes animos expirat, eâ in vultu & oculis lætitiâ, ut ad Nuptias ire omnes dixisses. Et ibant, sed Agni; ituri porrò, quocunque hic iverit, quid? quod vestigia sua, quò nos etiam sequi sciremus, sanguine signârunt. *Ex Metaph.*

MEDITATIO.

De amore Jesu Christi.

1. ANimum rectè præparaveris ad Christi Nativitatem, si ejus in te amorem fueris meditatus: is amor (ut refert D. Bernardus) fuit tener, fortis, & sapiens. Jesus teneriori amore nos complexus est; nam vidit miserias nostras, & commota sunt viscera ejus. Cur amantissimum Jesum non redamo? Ah! lapideum est cor meum; Jesu corpusculum riget in præsepio meâ causâ, nec moveor!

2. Amor Jesu fortis fuit, quoniam, ut nobis bene faceret, atrociora supplicia, & mortem ipsam superavit. Ah, Domine! parùm fortis est meus in te amor, cum leviſſimo dolore vincatur. Amare Jesum nihil facilius. Non omnes possunt jejunare, peregrinari, largiri eleemosynam; ast omnes possunt amare Jesum, nam ad eum amandum unum cor sufficit. Quid dulcius, quàm amare, quòd amabiliſſimum est?

3. Amor Jesu sapiens fuit, quippe portam Paradisi aperuit. Patitur ille quidem, nos hac in vita variis procellis agitari, ut in portu hilares simus: hac ratione te ipsum ama. Nunc denega corpori leviores & breviores voluptates, ut olim maximis & æternis fruatur. *Scis ea quæ tibi obveniunt diligere, & teipsum nescis diligere, Jesus tibi tu charior, quam tua.* Eucher.

S. SER-

S. SERVULUS Confess.

23 Decemb.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?
Christus Luc. cap. 6.

DE hoc sancto, Encomiastes ejus Magnus Gregorius. *fructum, ait, attulit terra bona cum patientia* erat enim Servulus, à puero; egens & clinicus: siquidem paralisi adeò ejus dissoluta ad mortem usque membra sunt, ut sine aliorum ministerio, nec cibum sumere, neque se movere ulla ratione posset. Eleemosynas, quas sub fornice ad S. Clementem Romæ habitans, acceperat, egenis communicavit, mater ei cum fratre, ad omnem necessitatem, dextra & sinistra fuêre. Hì cùm ipse analphabetus esset, ad votum ejus coëmere sacros libros, quos prælectos sibi æger, adeò firmâ memoriâ rapuit, ut totos mente voluere, & aliis recitare posset. In omni dolore, qui assiduè torquebat, sine ullo intolerantiæ signo, Deum laudabat: ita, cùm morbi increscente violentia & per vitalia grassante, se

ad extrema perveniſſe perſentiſceret, ſacros acciri domi ſuæ hoſpites, & Pſalmos prælegi voluit, quod dum fieret, exclamans ſubito æger, *Tacete, ait, tacete, Angelicum melos audio*, cui dum arrectus auſcultare videretur, anima ſoluta eſt, odoris incomparabili fragrantia totum conclave replente. Sic Servulum ſemper patientem excepit cœlum, nunquam tolerantes, ah! quò recipientur. *S. Greg. hom. 25. in Evang.*

MEDITATIO.

De vita S. Servuli.

1. SErvulus heroico animo duram paupertatem, & morbum tulit. Nunquam queſtus eſt, imò magis pati cupiebat. Quid dicis ad hæc? compara afflictiones, & patientiam tuam cum afflictionibus, & patientia ejus; pudeat te, toties conqueri, quod pauperem & ignobilem vitam vivas. Chriſtus *pauper eſt, erubeſcamus: humilis eſt, erubeſcamus.* Chryſ.

2. Hic ſanctus ſuperabundabat gaudio in tribulatione: hilaritas vultûs, ſermonum ſuavitas, ejus arguebant lætitiam. Nec mirum inflammatus amore divino jugiter orabat, & laudabat Dominum. Omnis amaritudo dulceſcit oratione, & futurorum gaudio-

rum

rum spe præsentia mala vincuntur. Unde tædio molestissimo nonnunquam exederis? Nonne ex eo, quòd obliviscéris Dei, qui solus potest te consolari?

3. Beati servuli vita clausa est morte suavi ac felici; ultimo vitæ momento nihil timet, sperat omnia: miserias ac dolores linquit, ut incredibili gaudio, imò & gaudiorum fonte potiatur. O vos! qui lugetis, variis pressi miseriis, luctum abstergite: vitæ finis initium erit gaudiorum. Mundi hujus felices! ex voluptatum cœno in malorum oceanum transferemini. Seu senex, seu juvenis fueris, dispone domui tuæ. *Nam mori senibus est in januis, juvenibus in insidiis.* Guerri.

S. NICOLAUS Miles.

24. Decembr.

Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. S. Joan. Baptist. Luc. cap. 3.

HAnc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quàm triumphos suos vendere? Nicolao nostro crede, qui cùm in Bulgaros movit, Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam

quam bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter Nicolaus repulit Verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnam victoriam canere, solus ex omni exercitu Nicephori Victor. Etenim sub noctem Somnus Nicolaum in campum producit; videt stantes utrinque acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hærere, Interea aspicit ex Cælestibus Ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus aleam belli regebat & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cùm sinistrum pedem dexter premebat, Romani; cùm sinister dextro incumbebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cæsorum corpora locum vacuum videt, auditque fatalem eum sibi & Commilitibus suis futurum fuisse, si Veneri heri palmam cessisset, Somnii veritatem cum Sole dies ostendit & strages Romanorum, quibus vincentibus primò, Bulgari ultimò victoriam extorserunt. Tum enim vero Nicolaus rectiùs dehinc bellaturus nomen militiæ Religiosæ dedit. In hac tot trophæa posuit, quot pugnas pugnavit. Illud nobilissimum omnium est, quod Nicolaus de Nicolao statuit.

Ex Menæis.

MEDI-

MEDITATIO.

De Vigilia Nativitatis Christi.

1. PRægnans Maria in oppido Bethleemitico ostiatim hospitium quærit, nec est ei locus ullus in diversorio. Quàm dudum Jesus pulsat, instat ad ostium cordis tui? & simulas te eum non audire. Hodie, Domine, confessus ritè peccata, parabo, & aperiam cor meum; veni, Jesu, veni, quid te moratur? an superbia mea, an acedia, an terrestrium bonorum amor? Ah! faceſſant hæc omnia, ut ad me venire non graveris.

2. Sunt qui Jesum recipiunt eodem modo, quo eum recepturus erat Herodes si apud ipsum divertisset. Tu cujus in pectus cras Jesus venturus est, cave, ne tam benignum hospitem malè habeas, ne peccatis sordidum sit hospitium. Cave item, ne statim novis peccatis Jesum expellas. Væ illis! qui Christo hospitium præbent, vitiis contaminatum. *Non minùs peccant quam qui Christum tradiderunt crucifigentibus Iudæis.* Aug.

3. Adesto sacro quod fiet sub mediam noctem, ut nascentem adores Jesum; sed par sit humilitas, pietas & fides tua humilitati, pietati & fidei pastorum; idem quippe Deus nascitur in altari, qui olim natus est in Præsepio. Observa humilitatem, & verecundum amorem Mariæ, & Josephi coram hoc suavissimo Puello; abjice te ad pedes ejus: aperi cor tuum: roga ut in eo solus dominetur.

NATI-

NATIVITAS JESU CHRISTI.

25. Decemb.

Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit & reclinavit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diversorio.
Luc. cap. 2.

FUge Nox omni die candidior! Vides, quæ nullus dies vidit. Surgit, ecce, non abundis, sed stipulis Sol meus. Superi! tam propè junctam Soli quis unquam Lunam conspexit? viden ut è filii vultu lætiores radios mutuetur maternus oculus? Cœcus sum, nisi in hac nocte amorem Dei mei video: video, video in hoc speculo ruborem meum. Stabulum, stipulæ panni arguunt: Boreas frigus pectoris accusat: Bos asinusque ingratum clamat: loquaces puelli lacrimæ & è parvo pectore magni gemitus damnant. An sisto igitur me reum? at iratum metuo. At infans est: risu placatur, negant manus tam parvæ fulmen ferre si ferre velint, fasciæ vetabunt;

Mater

Mater non feret. Et nunquid non pacem Angeli nuntiant; Quid? quòd blando insuper risu puer dulcissimus invitat, obvius etiam iturus, si pedes ferrent. Certè in amplexus brachiola offert. In tam amica vincula non curram? Imò pedibus plumbum denique demo Ite, omnia puero vos membra substernite. Fœnum etiam vos estis. I; culcitra lingua esto, aptior Verbo non potest esse. Et tu cor pulvillum præbe, tactu molleſces. Vos quoque ite suspiria, & algentem fovete. Eja brachia in fascias; in balnea oculi abite. Denique ignoscite, qui aëra & rusticos mulcetis, silete Angeli. Præ omnibus modulis vestris vox optima, vox vagientis placet.

MEDITATIO.

De Nativitate Christi.

1. PAupertas Christi, quæ elucet hoc in mysterio, divitiarum contemptum cuique ingenerare debet. Jesus intempestâ nocte, & durissimo anni tempore ab omnibus derelictus, nec tectum, nec ignem habet. An audis Iesum, qui primùm ex præsepio docet paupertatem? An amas virtutem, quam tantùm amavit Iesus; ut ejus causâ æternos Patris sui thesauros reliquerit

querit? *Quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanetur?* Aug.

2. Mira est humilitas nascentis Christi, quippe, qui nascatur in stabulo, ex egena Matre, quæ fabro fuerat desponsata. Cùm nihil non sit humile hoc in mysterio, Christiane quomodo potes pasci fumo vanitatis, & honores ambire? Disce, quid amare, & æstimare debeas; ac persuasum sit, veram Christiani gloriam imitatione humilitatis Christi contineri.

3. Hominis causâ eò paupertatis, & humilitatis redactus est Iesus: periit humanum genus, cùm homo voluit fieri Deo similis; redemptum est, cùm Deus factus est homo. Iesus pro sua in nos pietate fit nobis similis, fiamus utique similes Iesu; pateat illi aditus cordis nostri; ubi gratiâ suâ nasci cupit: & cum in corde nostro natus erit, eum nutriamus piis operibus nostris. *Christus in nostris mentibus nascitur, crescit, roboratur.* Paulinus.

S. STEPHANVS Martyr.

26. Decembr.

Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Act. cap. 6.

Primus

PRimus pro fide Christiana sanguine suo Stephanus subscripsit, ut purpurati in cælo agminis Antesignanus non immeritò habeatur Sapientiâ Deoque plenus, eoque ab Apostolis inter VII. principes Diaconos adlectus, mirum est, quàm multis magnisque prodigiis sive Christianorum animos erexerit, sive fregerit dejeceritque Judæorum. Et movit ea res bilem indurato ad omnem malitiam populo, ut, veluti legem profanasset, in jus raperent. Sed ille pro Deo & se ita dixit, ut ad oculorum verborumque fulmina attoniti omnes hærerent, jamque non in hominem pugnare se, sed Angelum crederent. Stephanus hoc acrius victis instare, tunc præsertim, cùm ad spectaculum cælo se effundente, virtutis arbitrum ponè dextram Patris stantem Christum habere se vidit Itaque cùm urbe exturbatus saxis obrueretur, in genua subsidens egregius triarius fortissimè omnia excepit; Deo identidem nunc se, nunc hostes suos commendans. Et licet horum causa pessima esset, tam bono tamen Patrono perorante, veniam impetravit Saulus non ita multò post Christo conciliandus, & in Paulum mutandus,

tandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse. *Ex Act. Apost.*

MEDITATIO.

De morte S. Stephani.

1. STephanus se palam profitetur discipulum Iesu Christi; etenim plenus gratiâ & fortitudine mortem non timet. Generosa fides, & ipsa cœlorum contemplatio omnes omnium dolorum aculeos obtundebant. Si tantulùm fidei haberem, si interdum animo contemplarer Iesum, cœlestem mihi coronam præparantem, quid amantissime Iesu quid præter te amarem, aut timerem?

2. Forti & alacri constantiâ excipit lapidum grandinem, imò moriens orat pro persecutoribus suis. Patere in gratiam Iesu Christi, qui exemplum dedit; patere persecutiones & mortem ipsam, si expediat, sed forti, animo; quin etiam Deum ora pro persecutoribus tuis. An scire cupis, cur S. Stephanus tam facilè pareat suis carnificibus? Novit eorum beneficio cœlos aperiri. *Nec mirum, si iis nescit irasci, per quos videt, aulam regni cœlestis aperiri.* Eus.

3. Acta Apostolorum his verbis exprimunt mortem S. Stephani: *obdormivit in Domino.* Mors ejus fuit

fuit somno similis, utpote, quæ belli finis, & pacis initium fuerit. Moriar, Domine, moriar ut sancti, quorum mors tam pretiosa est in oculis tuis. Vivamus, patiamur, laboremus, ut Iusti & morte Iustorum moriamur. *Moriatur anima mea morte justorum!*

S. JOANNES EVANGELISTA.

27. Decemb.

Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus. S. Joan. cap. 21.

ECce, Mater Magna, Filius tuus! Ecce quisquis Filius Mariæ es, germanus Virginis Sodalis Ioannes, cui ultimùm cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in Matrem Matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Ioannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cælestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, inno-

xium bibit, nec ab hoc tantùm abhorruit, quantùm ab hæreticis, Cerintho præcipuè, quocum ne lavare quidem eisdem in balneis voluit. Amorem ejus aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cùm oleo Romæ ab igne bullienti immissus fuit. Ajebat summam legis Amorem esse. Illud unum in ore habuit: Filioli diligite alterutrum. Certè quantum animos dilexerit, argumentum ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus Ioannes Episcopo unicè commendaverat, sed pessimo Custodi, Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadit. Subinde Ioannes adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tam diu insequitur, dum lacrymis suis sistit, canisque & amplexibus impeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab Orco rapi, quàm à cælo capi. *Ex Baron.*

MEDI-

MEDITATIO.

De vita S. Joannis.

1. ECce amicus Iesu Christi! qui supra ejus pectus in Cœna recubuit, & novit penitiora divinitatis arcana. Hoc primò statuitur inter amicos, ut amicus amicum nihil celet. Novit ne Iesus secreta cordis tui? Nihilque aggrederis eo inconsulto? Potes tu quidem, per vulnus lateris quolibet tempore cor ejus subire, ipse verò non item: nam cor tuum Iesum capere non potest, cùm tot profanis rebus sit plenum. *Amo te, Deus meus, semperq; magis, amare cupio*, Aug.

2. Altera lex amicitiæ est, bonorum communio. Vivens Iesus totum se Ioanni dedit, & moriens eidem legavit castissimam Matrem, dicens: *Fili ecce! Mater tua*; Ioannes autem se, suaque omnia devoverat Christo. Te pariter totum Iesu trade, si velis esse amicus ejus. Quem amas anime mi? Quid dedi amantissimo Iesu? An voluntatem, intellectum; an omnia denique illi consecravi.

3. Tertia amicitiæ lex est morum conformatio. Amor aut similes invenit, aut facit. Indè Ioannes tam graphicè Iesum expressit, ut alter fuerit filius Mariæ. Amabit te Jesus, si fueris illi similis; ut id assequaris, non opus est, ut recumbas super Domini, sed, ut Dominus recumbat super pectus tuum. Et acquiescas divinæ voluntati. *Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est.* Hier.

SS. INNOCENTES MARTYRES.

28. Decembr.

Herodes mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra. Matth. 2.

MAla omnia nunciabat Herodi nuncius à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos Reges ferat? aut Regni mei alienum hæredem vivi ſpectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? purpuram ſi ambit, domi habet; ſuo pingat de ſanguine. At ne novi quidem hoſtem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans eſt. Pereat hic omnis in Regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens eſt, qui hoſtis eſt. Sed qui hoſtis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen eſt. I. miles, omnes bimulorum cunas everte; balneum his para cruentum, ſed dignum hoſte. Hæc ille; cùm interea Angelus

gelus Parvulum Regem, Magnumque exulem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit. Sæviit nihilominus barbarus mucro. Ubique clades & funera. Vidisses majora vulnera, quam corpora, plus lactis fundi quàm sanguinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc è gladio, illum ab hasta pendere, multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœnas Tyrannus: morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cum tot homicidia parricidiò insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit periitque. At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quòd talis Infantes timuerit. *Ex Bar. & Saliano.*

MEDITATIO.

De Festo SS. Innocentium.

1. HI pueri nondum nôrunt Christum, pro Christo tamen sanguinem fundunt. A tanto tempore Deum nôsti, utpote, qui innumeris beneficiis te ornârit, quid piger es ejus in obsequio? horum puerorum exemplo, ætatis tuæ florem, & annorum primitias consecra Domino tuo, *Quam beata ætas? necdum*

necdum Christum potest eloqui, & jam pro Christo meretur interfici? Eus. Emiss.

2. Hi primogenii Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Expedit ad Dei gloriam, ut patiaris silentio, dum calumniis, dum persecutionibus vexaris, sile, & patere. Coram Deo muta patientia eloquentissimum testimonium est virtutis. Non verbis, sed factis probatur fidelitas servi, Frustra dicis: *tuus sum Domine*, nisi passus fueris & laboraveris in gratiam Domini tui.

3. Si cœlum cogitas, habeas, oportet, horum puerorum innocentiam. Quod si candidam baptismi vestem fœdâris, elue maculas ejus aquis pœnitentiæ. Oculi mei! nunc largos fletus fundite, quibus inferni & purgatorii ignes extinguantur, & abluantur peccata mea. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* O te beatum, si, ut illi parvuli, Martyrii palmâ donareris! *Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam.* Cypr.

S. THOMAS ARCHIEPISCOPVS.

29. Decembr.

Qui servat mandata ejus, in illo manet,

manet, & ipse in eo. S. Ioann. 1. Epist. cap. 3.

NOn jam primùm sanguine piorum rigaris Anglia. Jam olim fuso Thomæ cruori fructum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis induxisset. Sed ego ad Thomam me verto. Adolescens cùm eripere aquis accipitrem laboraret, ipse iisdem pene abreptus est. Sed molæ rota exitium aliàs adnatantibus, tunc sponte suâ consistens Thomæ scala fuit. Debebatur scilicet diutius Angliæ regno, cujus Cancellarius postea creatus à rege est. Paulò post hic Insulam Cantuariensem addidit, quam tanti Thomas fecit, ut hanc postea regi edictis impiis contra Ecclesiam pugnanti non dubitarit opponere; quin solâ cruce armatus cum irato congredi. In illa pugna, ut amat fieri ad tribunalia, damnatur Innocentia ad vincula. Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum Rex omnes amicos Thomæ egit, ut si non suæ suorum certè miseriæ succumberet. Sed his calamitatibus ille ad Martyrium velut tyro ad palum se exercebat. Nec multò post ipse conspicuus Christus ad palmam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit Tho-

mas in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulum deinde præbet, cadit & muneris sui neque post mortem oblitus bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando Thoma bene Angliæ tuæ precare. *Ex Eduardo.*

MEDITATIO.

De amore Dei.

1. His tribus reliquis diebus videbimus quid debeamus Deo, quid proximo, quid nobis, creatus est homo ad hunc finem, ut Deum amet ante omnia. Amare Deum, hominis negotium est cætera nugæ? *sola stat in toto virtutis gloria mundo, præter amare Deum cætera fumus erunt.* Dic amabo, probare ne possis, tuis operibus amâsse te Deum anno præterito? Excute facta, cogitata, verba. Quo abiêre tot dies, quò tot horæ?

2. Quoties in Deum peccâsti; & ejus neglexisti mandata? Quoties extinxisti sacros Divinæ gratiæ igniculos, & sacramenta profanâsti? ad tacitum conscientiæ tuæ testimonium si attenderis, dices cum Davide: *Domine tibi soli peccavi.* Simulatâ probitate vir frugi habitus sum coram hominibus, & coram te, Deus meus, qui scrutaris renes & corda, quid profuit larva sanctitatis?

3. Quid

3. Quid horum omîsit Deus, quæ tibi hoc anno præstare poterat? tu verò quid non omisisti? Age sis? anime mi, reliquum certè tempus hujus anni, & vitæ nostræ, Dei gloriæ & saluti nostræ allaboremus? *Dedimus corpori annum, demus animæ dies: vivamus paululùm Deo, qui sæculo viximus totùm.* Petr. Chrysol.

S. PHILETÆRUS CONFESSOR.

30. Decembr.

In hoc cognoscunt omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. c. 13.

MIrentur alii in Philetæro Procos: Nicomediæ filio illustre formæ decus quo illum ævo suo Diis parem homines fecerunt: ego in pulcherrimo corpore pulchriorem animum demiror exoscúlorque; & hoc amplius, quòd animi æstimator ipse egregius, nihili membrorum decorem fecit, omnibusque tormentis præbuit lacerandum. Primùm Diocletianum vicit, qui cum blasphemus Christum incesseret, vindex divini honoris

Phile-

Philetærus terram cœlosque ad iras movit. In fornacem deinde succensam injectus ipso pulchrior egressus est. Jam sub Maximino virgis uncisque fœdum in modum acceptus, omnium tamen in se oculos Superum rapuit, & tum denique his formosus est visus. Feræ sive formâ & ipsæ, sive fortitudine adolescentis captæ ad pedes se abjecerunt Victoris; feras verò cùm duo homines induissent, gladioq; Martyri immminerent, in loco obriguêre. Ultimò cùm virtus hæc oculos jam Tyranni etiam perstringeret, exulare jussa est. Et ecce de via morbi dæmonesque mali cedere, pedibus Dii se & templa sua substernere: quibus permotus Comes cum VI. militibus Fidem nostram est amplexus. Philetærus cùm Eubiotum virum sanctitatis famâ celeberrimum adiret, monitus hic ab Angelo bono obviam Martyri progressus est. In ejus antro Divum septimo die, socios verò duodecimo, ab exilio mors absolvit. *Ex Menais.*

MEDITATIO.

De amore proximi.

1. SIve animi, sive corporis necessitatibus prematur proxi-

proximus; quibuscunque poteris rebus, eum debes adjuvare. An implêsti hoc anno primum hoc Christianæ Charitatis officium? Quo ardore aliorum saluti & charitatis officiis incubuisti? Quot occasiones prætermisisti benefaciendo Christo qui in pauperibus delitescebat? Ne te ipsum decipias. *Si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* S. Joann.

2. Cave! ne quemquam factis, aut dictis offendas, quoniam qui proximum offendit, offendit Iesum. Benè sentias de omnibus, nulliúsque facta in malam partem trahas. Itáne egisti anno præterito? quoties non paruisti tuis præpositis? Quoties subditis, & æqualibus molestiarum segetem præbuisti? Num habes aliquem inimicum? si habeas, citò citiùs in gratiam cum eo redi,

3. An demùm aliis feceris, quæ tibi facta fuisse voluisses? vis laudari tu quidem, vis æstimari vis amari, & egrè admodum pateris eos, qui difficile ignoscunt erratis tuis, atque vel verbulo obscurant tuam famam. An aliis præstas, quòd exigis ab iis. Omnibus in rebus Iustitiam colas. Omnes comiter, paucos familiariter excipies. Quâ ratione cum aliis egeris, eâdem profectò agetur tecum. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

S. SYL-

S. SYLVESTER Papa.

31. Decembr.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ. S. Paul. 2 ad Tim. 4.

PAtria Sylvestro Roma, Romæ, hoc est patriæ pater ipse Sylvester fuit. Hoc tamen orbare Romam Urbis probrum Tarquinius voluit. Sed Sylvester ad tribunal citatus novo more mortem ludici reus indixit. Dictum, factum, piscem dum cœnat, os fortè ex hoc gutture receptum Tarquinius hamum mortis esse sentit. Post hæc dum Constantinus remissiùs rem Christianam curat & sopitæ nuper iterum in pios persecutiones recrudescunt, Exul Sylvester montem Soracten insidet; Impietatis fœditatem ut videret Imperator, leprâ inficitur. Sacrificuli, lepram ut abluat, balneas è parvulorum sanguine suadent. Ingemuere ad consilium impium omnes Romanæ Matres, cum audirent sanguini, quo vel manum aspergere scelus semper non expiandum habitum est, totum velle Imperatorem

rem innatare; Certè innatare rectius tot matrum lacrimis jam poterat. Et verò ejulatus & comploratio totâ urbe facta aures Imperatoris exoravit, factiqúe pœnitens censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea Principum Apostolorum species dormienti oblata vocare Sylvestrum jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus lepram corporis animiq; exuit. Triumphum Sylvestro mortuo Anno CCC. XXXV. Cœlum decrevit. *Ex Baron.*

MEDITATIO.

Tres reflectiones supra annum exeuntem.

1. POtes ne dicere cum veritate, sicut S. Paulus? Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: Ecce! perveniſti ad finem anni, percurre animo omnia bona & mala, quæ hoc anno feciſti, & vide, utrùm malæ actiones superent bonas.

2. Ubi nunc sunt voluptates & honores, quibus hoc anno fruebaris? transiêre omnia, & nihil supereſt præter triſtem memoriam de offenſo Deo. Nonne è contrario verum eſt? percipere te gaudium ineſtabile, ſi conſideras paucula illa bona, quæ pro Deo feciſti, sicut

ſicut annus iſte, ita tua vita, præteribunt, eritque unica conſolatio, quæ tibi ad finem vitæ remanebit, quòd Deo ſerviêris.

3. Si mortuus eſſes hoc anno in ſtatu peccati mortalis, in quo fortè fuiſti, ubi nunc eſſes? Deus tibi indulſit tempus ad faciendam pœnitentiam; illo meliùs utere in futurum, quàm hucuſque factum. Fortaſſis hic erit poſtremus annus tuæ vitæ. *Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.* S. Aug. Obſervabit autem, qui perſeveraverit in gratia Dei ſemper.

INDEX SANCTORUM QUARTÆ PARTIS.

A.

Ado Episcopus.	16 Decemb.	pag. 407
Albertus Magnus	16 Novemb.	335
Ambrosius Episcopus	7 Decemb.	386
Ammon cum Sociis MM.	20 Decemb.	417
Anastasia V. & M.	22 Decemb.	422
Andreas Apostolus	30 Novemb.	369
Andreas Martyr	17 Octob.	264

B.

Barbara	4 Decemb.	379
Barlaam & Iosaphat	27 Novemb.	362
Boëtius M.	23 Octob.	278
Bruno Confessor	6 Octob.	237
Burchardus Episc.	14 Octob.	257

C.

Cacilia V. & M.	22 Novemb.	350
Caprasius & Fides MM.	20 Octob.	271
Carolus Borromæus	4 Novemb.	307
Catharina V. M.	25 Novemb.	357
Christiana Ancilla	15 Decemb.	405
Chrysanthus & Daria MM.	25 Octob.	283
Clemens Papa & M.	23 Novemb.	352
Colmannus Mart.	13 Octob.	254
Conceptio B. V. M.	8 Decemb.	388
Conradus Confessor	26 Novemb.	359
Crucifixi Berythensis memoria	9 Novemb.	319

D.

Daniel Stylita Confess.	11 Decemb.	396

Dionysius Episc. cum Sociis	9 Octob.	245
E.		
Edmundus Rex M.	20 Novemb.	345
Elesbaan Rex Conf.	27 Octob.	288
Eligius Episc.	1 Decemb.	372
Elisabetha Vidua	19 Novemb.	343
Engelbertus Martyr	7 Novemb.	314
Eutropia V. M.	14 Decemb.	403
F.		
Franciscus Assis.	4 Octob.	232
Franciscus Borgia	10 Octob.	247
Franciscus Xaverius	3 Decemb.	377
Fulco Conf.	26 Octob.	285
G.		
Gallus Abbas	16 Octob.	261
Godefridus Episc.	8 Novemb.	316
Gregorius Turonensis	17 Novemb.	338
I.		
Iacobus Alemannus	11 Octob.	250
Innocentes MM.	28 Decemb.	438
Ioannes Apost. Evang.	27 Decemb.	435
Ioannes Bonus	22 Octob.	275
Ioannes Chuzubita	3 Octob.	230
Iosaphat & Barlaam	27 Novemb.	362
L.		
Laurentius Episc.	14 Novemb.	331
Lazarus Episc.	17 Decemb.	410
Leodegarius Episc. M.	2 Octob.	227
Leonardus Confessor	6 Novemb.	312
Lucas Evangelista	18 Octob.	266

245	*Lucia V. M.*	13 Decemb.	400
	M.		
345	*Maclovius Episc.*	15 Novemb.	333
288	*Malachias Episc.*	5 Novemb.	309
372	*Marcellus Conf.*	3 Novemb.	305
343	*Marcius Conf.*	24 Octob.	280
314	*Martinus Episc. Conf.*	11 Novemb.	324
403	*Martinus Papa M.*	12 Novemb.	326
	Maximilianus Episc. M.	12 Octob.	252
232	*Megengor sive Megengaudius Conf.*	19 Decemb.	415
247	*Mennas M.*	10 Decemb.	393
377	*Modestus Patriarcha*	18 Decemb.	412
285	N.		
	Narcissus Episc.	29 Octob.	293
261	*Nativitas Christi*	25 Decemb.	430
316	*Nicasius & Eutropia MM.*	14 Decemb.	403
338	*Nicolaus Episc.*	6 Decemb.	384
	Nicolaus Miles	24 Decemb.	427
250	O.		
438	*Odo Abbas*	18 Novemb.	340
435	*Omnium SS.*	1 Novemb.	300
275	*Omnium Fidelium Defunctorum.*	2 Novemb.	302
230	*Ositha V. & M.*	7 Octob.	240
362	P.		
	Pelagia Pœnitens	8 Octob.	242
331	*Petrus de Alcantara*	19 Octob.	268
410	*Philetarus Conf.*	30 Decemb.	443
227	*Placidus M.*	5 Octob.	235
312	*Præsentatio B. M. V.*	21 Novemb.	347
266	R.		
uria	*Radbodus Episc.*	29 Novemb.	367

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Remigius Episc.	1 Octob.	225
S.		
Sabas Abbas	5 Decemb.	381
Servulus Conf.	23 Decemb.	425
Severinus Boëtius M.	23 Octob.	278
Simon & Iudas Apost.	28 Octob.	290
Spiridion Episc.	12 Decemb.	398
Stanislaus Kostka	13 Novemb.	328
Stephanus Proto Martyr.	26 Decemb.	432
Stephanus Martyr	28 Novemb.	364
Sylvester Papa	31 Decemb.	446
Syrus Episc.	9 Decemb.	391
Symmachus M.	23 Octob.	278
T.		
Theoctista V.	10 Novemb.	321
Theodulus Conf.	2 Decemb.	374
Theresia V.	15 Octob.	259
Thomas Apost.	21 Decemb.	420
Thomas Cantuariensis Episc.	29 Decemb.	440
Trudo Conf.	24 Novemb.	354
V.		
Vrsula cum Soc. MM.	21 Octob.	273
W.		
Wolffgangus Episcopus	31 Octob.	297
Z.		
Zenobius & Zenobia MM.	30 Octob.	295

FINIS.

215

381
425
278
290
398
328
432
364
446
391
278

321
374
259
420
140
354

273

97

295

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN